image
not
available



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 M
1 H

Digitized by Google

PTOLEMÆVS PARVVS

In Genethliacis junctus Arabibus

AVCTORE

ANDREA ARGOLO

D. MARCI

Sereniſsimo Annuente Senatu Equite,

In Patauino Lyceo Mathematicas ſcientias profitente.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptibus IOSEPHI, & PETRI Vilort,
in Viâ Mercatoriâ.

CIↃ IↃC LII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTINÆ AVGVSTÆ
SVECORVM, GOTHORVM, WANDALORVM, &c.
REGINÆ POTENTISSIMÆ.

THus Dijs, Hæroibus elogia deberi, præcipuè de hominum genere benè merentibus extat apud Stobæum. Cum (Maieſtas Sereniſſima) ſplendidum virtutis, numerum, præter inſignem potentiam in Te orbis vniuerſus admiretur; fidem in Te inuenit Gnei Matij antiquiſſimum illud:

Jam nouus albeſcit Phœbus, & recenſetur
Commune lumen omnibus Aonidum Procis.

Auguſtiſſimi nempe mores, & decantatæ vndique virtutes, geſtaque ad ſummum honoris deducta faſtigium ſic (Auguſtiſſima Regina) Te illuſtrant, vt animos hominum planè allicias; atque tacita deinde admiratione detineas; Tu populorum, tot regnorum, & latæ regionis imperio addicta, quicquid ſpectabile boni olim Reges habuere prudentiſſimo termino collegiſti; firmam patriæ legum obſeruantiam; regnandi ordinem cum placida iuſtitia admirandum; populorum optimam in pace adminiſtrationem; nullam in dominio efferam libidinem; aut ſpernendum aliud, magno humanæ ſocietatis fulcimento. Neque hoc fato: ſed prudentiæ ampliſſimo teſtimonio. Tu regia cum fortuna, & potentia in lati Imperij ditione, in eo ſexu ab incunabulis animo ad ſtudia & ſcientias exarſiſti; infantia, & pueritia in earum laboribus tranſacta, & conſumpta; atq; in placidioribus ado-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

leſcentia, & iuuentutis primordijs delitijs ſpretis ſingulis, & voluptatibus mirificè propenſa eiſdem diſciplinis in aula cum literatis colloquio ita indulges; vt eas tractes vice otij, integro tamen, in tanta potentia, regnorum ac ſubditorum, regimine. Tu Guſtaui Regis filia, cuius geſta, & gloriam enarrare adhuc lingua non didicit; filia, eius gloriæ æmulatrix, doctrinarum, ſcientiarumque Phœnix, bonitatis, & morum laudabilium exemplar; atque verum honeſtatis muliebris ſimulacrum; cuius merita exteri omnes admiratione compulſi clamore magno extollunt æterna fama condigna. Cæterum cum in Suetiæ regnum Anteſignani Scientiarum Viri vndique deferantur, allecti Auguſtæ nomine, & virtutibus, Athenarum Ciuitas tranſmigrauit veluti per metempſycoſin nunc in Holmiam; & ne quicquam obſtaret quod Athenas ex intimis non repræſentaret, inuenit natura Auguſtam virginem, quæ artes, ſcientiaſque nutriret, foueret, ac propagaret. Athenis, pariterque Alexandriæ, Pergamique olim vigebant quidem ſcientiæ, ſed tantummodo Philoſophorum virtute, non largitate Principum: quod magis exiſtimari debet, hodie Stocholmiæ munificentiſſimè tractantur, vt innata fama confirmat. Supereſt, Regina Sereniſſima, vt hoc meum exile munus, animi pondere ſatis graue, ſereno vultu ſuſcipias. Deus Maieſtatem Tuam conſeruet; & fortunatiſſimè proſperet populis, & ſcientiarum fautoribus. Quod voueo. Patauij XII. Septemb. CIↃ IↃCLII.

S. M. R.

Deditiſſimus

Andreas Argolus.

Ad

AD LECTOREM.

CVm Mathematicæ ſcientiæ, vt in primo gradu certitudinis conſtitutæ, nec argumentis, nec obiectionibus lædi poſſint; qui in eas firmum animum, & ſtudium applicuerint, plura poterunt conſpicere, quàm Ptolemæus, & Antiquiores.

Nos his à prima ætate propenſi, ſingulari ſtudio, & aſſiduo addicti, abſque vlla Magiſtri opera (Deum teſtamur) plura compilauimus: quæ ſi optimè trutinentur, non ſpernenda; præcipuè verò per ordinem.

Problemata Aſtronomica, triangulorum ope demonſtrata per ſinus, tangentes, & ſecantes ex ſola multiplicatione abſque diuiſione.

Tabulæ Primi Mobilis. In quibus extant tabulæ Declinationum, Aſcenſionum rectarum, Aſcenſionum obliquarum à primo gradu eleuationis Poli Borei ad 60. ſingulæ cum latit. 9. gr. tam Boreali, quàm Auſtrali; Inſuper Tabulæ Poſitionum à grad. eleuationis Poli 37. ad 60.

Commentarium ſuper Quadripartitum Ptolemæi, delatum pro typis Francfurtum; vbi dum aliqua eius pars fuerat impreſſa, accenſa via, & regione Bibliopolarum igne conſumptum; exemplar eſt apud Nos, nec adhuc imprimitur ob difficultatem licentiæ Superiorum; Deus tamen aliquando miſerebitur tanto labori.

Ephemerides iuxta Copernici Hypotheſes ab anno 1620. ad 1660. quarum ſolùm extant impreſſæ à 1620. ad 1640. remorata in alijs impreſſione ob nouas Tychonis Brahe Hypotheſes, & nouas obſeruationes.

Tabulæ Secundorum Mobilium iuxta Tychonis, & no-

uas

uas è Cælo deductas obſeruationes: quibus Planetarum loca tam in longum, quàm in latum ad quæcumque tempora facillimè ſupputantur: cum tabulis ſingulis neceſſarijs ad condendas Ephemerides.

Ephemerides iuxta dictas Tychonis Hypotheſes, & nouas obſeruationes ab anno 1600. ad 1700. per ſæculum: impreſſæ ab anno 1620. ad 1700. cum à 1600. ad 1620. remanſerint in ſcriptis, nec aſſumptæ à Typographo, ut nimiũ difflatæ.

Liber de diebus Criticis, & decubitu ægrorum, cum exemplis Geniturarum Principum vltra centum: opus ſpectabile.

Pandoſion Sphæricum, in quo ſingula, & omnia in elemẽtaribus regionibus, & ætherea Mathematicè pertractãtur.

Cum Commentarium ſuper Quadripartitum nõ ſit impreſſum: ex Principum impulſu prodit Ptolemæus paruus iunctus Arabibus in Genethliacis: & tota Aſtrologica facultas perpenditur.

Alia opera extant non impreſſa, quæ lucem expectant: inter quæ.

Liber ſuper Euclidis Problemata, quæ diuerſis modis demonſtrantur, cum in his fuerit mancus Euclides.

EX ordine Magiſtratus, & Superiorum. Nos infraſcripti deputati, ſummo ſtudio, & diligentia vidimus librum Equitis Andreæ Argoli cum titulo Ptolemæus Paruus iunctus Arabibus in Genethliacis. Cum in eo nihil reperiatur contra Principes, aut bonos mores; nec repugnans fidei ortodoxæ, Patribus, vel Bullis Pontificijs; & cum, ſi inclinationes ex Aſtris, & influxus prædicentur non neceſſarij; ſed contingentes (vt vndique in libro fatetur Author) omnes Patres, & Theologi concedant; & præterea Clemens Octauus in ſua bulla expreſſerit, dignum impreſſione decreuimus. Lugduni die IIX. Aprilis cIↃ IↃCLII.

{ *Stephanus Molin Carmelita.*
Claudius Conet Prædicator.

IN-

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De ſignis Zodiaci, & eorum qualitatibus, ac diuiſione. Cap. 1. pag. 7.
De Planetis. 2. 12
De Aſpectibus, dignitatibus, aliiſque Planetarum paſſionibus. 3. 14
De Stellis fixis. 4. 21
De Significatis Planetarum in ſuis, vel aliorum domicilijs. 5. 33
De Significatione Planetarum Dominorum in alijs domibus. 6. 36
De Lunæ defluxibus. 7. 44
De Planetarum coniunctionibus, & aſpectibus. 8. 47
De Gradu horoſcopante, ſeu de rectificatione Geniturarum. 9. 53
Aliqua de Conceptione, & de eius figura cæleſti. 10. 54

LIBER SECVNDVS.

De Parentibus. Cap. 1. pag. 71
De Fratribus, & ſororibus. 2. 77
De Partu maſculino, vel fœminino. 3. 80
De Partu geminorum. 4. 81
De Monſtris. 5. 82
De His, qui non nutriuntur. 6. 84
De Iis, qui viuunt, verùm alijs expoſiti educandi relictis proprijs Parentibus. 7. 85
De Forma, & temperatura corporis. 8. 87
De Vitijs, & Morbis corporis. 9. 91
De Vitijs oculorum, & eorum affectionibus. 10. 93
De Sterilitate. 11. 95
De Mutis, Blæſis, Balbis, Balbutientibus, Traulis. 12. 92
De Claudis, Gibbis, Contortis, & huius generis. 13. 97
De Morbis Cutaneis. 14. 98
De Morbis. 15. 99
De Qualitatibus animi. 16. 103
De Vitijs, & morbis animi. 17. 117
De Diuitijs. 18. 121
De Fortuna honoris, & dignitatis. 18. 127
De Actionibus, & opificio Nati. 19. 134
De Propenſionibus ad religionem. 20. 140
De Coniugio virorum. 21. 141
De Coniugio mulierum. 22. 145
De Coniugio illegitimo. 23. 146
De Nati propenſionibus circa Venerea. 24. 148
De Affectionibus mulierum circa Venerea. 25. ibid.
De Filijs. 26. 149
De Amicis. 27. 151
De Inimicis. 29. 154
De Carceribus, & captiuitate. 30. 155
De Somnijs. 31. 156
De Seruis. 32. 157
De Itineribus. 33. 158
De Morte, & qualitate mortis. 34. 161
Pœna Capitis. 34. 167
Pericula Suſpenſionis. 36. ibid.
Pericula ex ferro. 37. 168
Pericula in aquis. 38. 169
Pericula ex igne, & ignitis. 39. 170
Pericula Veneni. 40. ibid.
Pericula ex animalibus. 41. 171
Pericula ruinæ, & caſus ab alto. 42. 172

Mors

Mors Subitanea. 43. ibid.
Pericula occaſione Mulierum. 44. 173
Pericula Mulierum in Partu. 45. ib.
Carceres, & captiuitas. 46. ibid.
Exilia. 47. 174
Infortunia plura. 48. ibid.
De Temporum Diuiſione. 49. 176
De Directiones Aſcendenti. 50. 185
Directiones Medij Cæli. 51. 186
De Directionibus Solis. 52. 189
De Exiſtimatione poſt mortem. 53. 193
Directiones Lunæ. 54. 194
Directiones Partis Fortunæ. 55. 197

LIBER TERTIVS.

De Reuolutionibus. Cap. 1. pag. 203
De Ingreſſibus Planetarum in reuolutione ad loca propria in Natiuitate, vel aliorum. 2. 205
Ingreſſus Iouis. 3. 206
De Marte. 4. 207
De Sole. 5. ibid.
De Venere. 6. 208
De Mercurio. 7. 209
De Luna. 8. 210
De Profectionibus. 9. ibid.
De Profectionibus Saturni. 10. 211
De Profectionibus Iouis. 11. 212
De Profectionibus Martis. 12. 213
De Profectionibus Solis. 13. 214
De Profectionibus Veneris. 14. 215
De Profectionibus Mercurij. 15. 216
De Profectionibus Lunæ. 16. 217
De Profectionibus Aſcendētis. 17. 218
De Profectionibus Medij Cæli. 18. 219
De Profectionibus Partis Fortunæ. 19. 220
De Tranſitibus in reuolutione. 20. 221
De Profectione Solis, et Medij Cæli per duodecim domicilia cæleſtia ſecundum Antiquiores. 21. 223
De Profectione Aſcendentis, & Lunæ. 22. 224
De Profectione Partis Fortunæ. 23. 225
De Reliquis Planetis. 24. 226
De Domino Anni. 25. ibid.
De Valetudine Nati in reuolutione. 26. 228
De Animi propenſionibus, & qualitatibus. 27. 232
De Diuitijs. 28. 235
De Statu honoris. 29. 238
De Parentum ſtatu. 30. 240
De Fratribus, & Sororibus. 31. 242
De Vxore. 32. 243
De Filijs. 33. 244
De Itineribus. 34. 245

ISA-

SYLLABVS RERVM

in opere adductarum, vbi primus numerus paginas, ſecundus ſecundum Librum, litera p. Præfationem indicat.

A

Abrahamus Auenesre laudatur. 4. pag. 6. P.

Acchillis clypeus qualis 30. *quid denotet ib. cur in ipſo quinque tantùm plicæ ibid. quid argenteum lorum in ipſo. ibid.*

Adriani Cæſaris de Medicorum multitudine ſcitum dictum. 44.

Aegritudo decubitus ſi futura ſit lethalis cauſæ. 5. 6. 7. *lib.* 2. *breuis, an chronica futura ſit* 3. 4. 5. *lib.* 2. *eius cognitionem vnde auſpicentur periti.* 1. *lib.* 2. 46. 8. *ſigna* 74.

Αἶρος κλιος Hercules eſt Sol. 3. p.

Aegyptij cur Iulij menſe annum inciperent. 69. *eruditi.* 24. *ipſi tantùm, & Aſſyrij tempore Ptolemæi Aſtrologiam callebant.* 91. *Meridiem venerabantur.* 69. *qua anima animatum, cælum facerent:* 6. *quot cæli orbes.* 2. *decipiebantur, & cur. ibid. eorum placita de Luna quæ.* 84.

Aeneas cur ſues Iunoni mactet. 8. *Aeneid.* 5. p.

Aeſchylus citatur. 4. p.

Aethiopum color vnde. 14.

Aether quid ſit. 2. p.

Affectiones corporis ad Ptolemæi mentem diſtinguntur. 76. *enarrantur ibid. eorum qualitates.* ibid.

Agellius, Genethliacis parũ fauẽs. 12.

Ἀκρότερα *dicta Diana cur.* 2. p.

Agricolationis præcepta quomodo ordinentur 12. *eius auctores Virgilius, Columella, Plinius, Palladius* 11. *ea apud Arcadas nobilis.* 24.

Aiacis clypeus. 30.

Alberti Magni de hora decubitus eruendâ opinio an bona. 79.

Albumazaris mira de Luna. 17.

Alexandrini Medicina inſignes 24. *vnde exordium anni capiant.* 65.

Ἀλεξίκακος *cur dictus Hercules.* 3. p.

Alphonſinorum ſchola. 82.

Ambroſius qua anni parte creatum mundum faciat. 39. *Lunæ fluxum, & refluxum maris tribuit* 16. *Lunam quomodo deſcribit.* ibid.

Anaretica loca quæ. 47.

Anaſſimander Solem ignitum lapidẽ dixit. 9.

Anaretæ qui planetæ, & vnde. 37. *quomodo cognoſcantur ibid. &* 38. *eorũ nis. ibid. non Solum planetæ, ſed alia aſtra infortunata. ib. eorum ethymus.* 70.

Anima ex quibus partibus cõſtet 6. *quatenus ſtellis ſubijceat* 22. *Anima cæli examinãtur* 57. *animæ vegetatricis munia tria.* 30.

Animodar regula quæ apud Ptol. 79.
Anni quattuor partes menſium pædagogi. 64. *temporis ſuppedanea* 82. *ciuilis anni conſtitutio* 65. *correctiones à quibus factæ*. 66. *exordium ab ingreſſu alicuius Principis ſumptum*. 65.
Annus Python eſt 82. *deſcribitur* 64. *duplex ſydereus, & tropicus, ibid. Aeoli ventorum Patris nomine cur dictus*. 64. *palmæ ſymbolo ab Aegyptijs figuratur*. 65.
Anuli ope longæuus uixit Iarchæ auus 32. 33.
Antæi fabulæ philoſophica explicatio 3. p. *Antæus vnde dicatur*. ibid.
Antyllus medicinæ auctor vetus laudatur 5. p.
Aper Erimanthæus quid. 3. p.
Apollonius Thianæus ope anuli ſenex vixit. 33.
Apollonius Rhodius Alexādrinus. 4.
Apollo caſtra Agamemnonis ſauciat. 1. p. *cur medicus, & vates*. 44. 3. p.
Apheta quid 47. *vnde dicatur*. 70. 36. *Hylecque apud Arabas*. ib. *qui Planetæ ſint Apheta ibid*. 37-38. *eos eligendi ordo*. 37.
Aphetica loca, & apheteriæ quid ſint 36.
Apuleius quomodo appellauerit Lunā 8. *laudatur* 44. *eius ſententia*. ibid.
Ara pluuia apud Hymettum. 20.
Arabes odorum diuites. 24. *audaces in Aſtrologia* 60. *molles* 13. *eorum ſcholæ placita*. 49.
Aratus citatur. 62.
Araneus quare 12. *Maij ſuſpendere telam dicatur ab Heſiodo*. 75.
Ariolus apud Xenophōtem de Socrate. 25.
Ariſtoteles cur ioconomam vocet naturam 57. *citatur*. 71. *cuius axioma*. 13. lib. 2.
Aries primus in Zodiaco. 39. *ſub eo ſigno an creatus mundus*. ib.
Arrianus citatur. 65.
Arſacides h. e. Perſæ veſtibus indulgent. 24.
Aſiatici quales. ib.
Aſinius Pollio ad Senecā ſiſtitur. 69.
Aſpectus, poſitiones Aſtrologis quattuor, & qui. 63.
Aſtra infra animum, & arbitrium agunt 91. *adurentia quæ*. 11. lib. 2. *eorum influxus tempore generationis*. 24.
Aſtrologia defenditur 60. *olim cataplo Alexandrina tantùm nota*. 91.
Athenæ orientales Roma. 69.
Athenienſium oblectatio. 24.
Atropos Parcharum vna quid. 4.
Auerroes Auicennæ contrarius. 12.
Auguria quid ſint apud Plinium in re medica. 58.
Auicenna quod crediderit de generatione hominis 12. *refellitur ibid. non ali aſtra vaporibus probat* 20. *Regulus medicus*. 46. *eius de Lunæ rationibus quæ ſententia*. 56.
Au. Gellius Phauorini contra Aſtrologos placita collegit. 90. *citatur*. 73.
Auguſtalis quis eſſet. 65. *eius dignitas ibidē. eius nomine ſcripturæ publicæ ſignatæ*. ibid.
Auguſtinus citatur. 71. *de cæli anima adducitur* 8. *explicatur*. 9. *laudat ſenarium numerum* 73. *declaratur*. 74. *eius*

de

de ui naturæ. 58. de iudiciaria ſententiæ. 26
Auguſtus anni Cæſariani correctionem abſoluit. 60.

B

Babylonici numeri apud Horatiũ qui. 60.
Babylonica Aſtrologia à Chaldæa an diueſa. ibid.
Beda duos ſupra primum mobile ponit globos. 3.
Beroſus apud Cleomedem. 17.
Boetius quid de anima cæli. 8. eiuſdem error. 9.

C

Caligula Tiberio morienti anulum extrahit. 33.
Callimachus Polymachus Capras pro bobus Dianæ mactat, & cur. 2. p.
Canicula æſtuante Canes inſaniũt. 13.
Cardanus laudatur. 6. p. eius de iudiciaria ſententia. 26.
Caßiodorus citatur. 70.
Catullus nothum Lunæ lumen vocat. 17.
Cauſæ inferiores quamdiù influant in inferiora. 48.
Cebes citatur. 73.
Celſus laudatur 6. p. criſes appellat notas 58. eius auctoritas qualis de certitudine numerica in criſi. 61. refutatur. 56.
Cenſorinus citatur. 66.
Cibi hora aſtrologica aſſignati. 7. p.
Circi 12. erant hoſtia. 70. de Circo quædam. ib.
Circuli cæleſtes quot, & qui. 61. eorum diuiſio. ibid.
Citharedica quorum inuentum. 24.
Cherubim flammeus gladius Zonam torridam facit. 63.
Chryſtallinum cælum animam dare ſenſibilem. 4. apud Theologos noſtros quid ſit. 3. idem aqueum. ibid.
Chorea Græcorum qualis. 68.
Cleomedes de Luna. 16. 17. eius, & Hiparchi mundi ſiſthemata. 60. citatur. 40. lib. 2.
Clementis Septimi gemma anularis qualis. 33.
Cloto vna Parcarum quid. 4
C. de Epiſt. & Cler. quid exclamet. 46.
Cælum omnium vita ex Ariſt. 10. vitam, motum, & intellectum referre, & quomodo 6. animatum ex Theophraſti, Ptolemæi, Albumazaris, & Zaelis ſententia. ibid. Theophraſti, & Orphei error de cælo. 9. eum circuli vinciri quæ rationes probent. 62. de ipſo Plotini ſententia 61. ipſum animatum, & qua anima. 6. anima informante. 7. 8. inanimatum qua ratione. 9. cæli quattuor partes quæ. 40. duodecim domus partibus humani corporis dominatur, & quomodo. 40. 41.
Cæpe creſcente Luna minui, ſecùs oſtrea. 13.
Columella citatur. 56.
Coluri explicantur. 63.
Columella contra Aſtrologos ſcripſit. 90. vixit ſub Nerone. ib.
Commentarij Auctoris in Quadrip. Ptolem. citantur. 12. 57. 79.
Conſiliarij Dei qui apud Aegyptios. 62.
Copernicea mundi typus 60. ſchola. 83.
Cor calidum. 17.
Cordis Scorpij quæ natura. 23
Corippus citatur. 70.
Corallium contra timorem valet. 32.

Corpus ergaſtulum, Piſtrinũ animæ. 30. *cuius partes quibus Lunæ phaſibus curentur* 15. *lib.*2. *quibus cæli partibus regantur.* 39.

Crinas Maſſil.ẽſis aſtrologicè medebatur 7.*p.*

*Criſis cur ita dicta.*54.55.5.*p.*6.*p. eius diffinitiones.*6.*p. quæ cauſæ effectrices.*77.*eiuſdem qualitates.*78. *apud Lucretium deſcriptio.*55. *quando expectaada, aut non.*76. *de ea.* 57. 58. 59.61.81.88.43.55.56.

Χρύνεσθαι *quomodo vertat Celſus.* 6.*p.*

Criticus dies qui apud Theologos. 54.

Critici d es, & Critimi ibid. ij examinãtur. 87.88.92.93.85.

Curtij de ſyderum influxu ſententia. 36.

Cydippi Luna morbum abtulit. 3.*p.*

Cynocephalum duodecies quotidie vrinã excernit 66. *eius inuentum horarum diſtinctio. ib. in horologiis inſculptum hoc animal.ib. eiuſdem hiſtorica natura.* ibid.

κύριαι ἡμέραι *quæ apud Hippocratẽ.* 6.*p.*

Cypri populi cuius naturæ. 13.

D

Damis de anulo Sarchæ regis Apollonio donato. 32.

*Decimus menſis in partibus bonus.*29.*co Nati Heroes.ib. quandoque popularium menſis.* ibid.

Decimus cumulus vndæ. 73.

Decimus numerus damnatur. 74.

Dei Veterum, ſydera. 1.*p.*

Deus Nodinus qui. 29.

*Dea Flora.*29.*Lactina ib. Hoſtilina quæ. ibid. Volutina. ib. Matuta.ibid. Patelena.* ibid.

Diana ſuem Aetolis immiſit 2.*p. quæ & Luna ægritudinum præſes.* 3.*p. cũ Libitina eadem.* 2.*p. cur mammoſa.*3.*p. illi funerũ præmia dabant Græci.*2.*p.*

Dies naturalis, ſolaris, & ciuilis. 67. *dies Lunæ decimus ſeptimus cur arbuſtis vtilis, ſementi obnoxius.* 75. *dies eſt anni epitome.*70. *vitæ humanæ ſpecimen.* 70. *quomodo diſcretus à Veteribus.* 67.

*Dierum criticorum doctrina.*43.44.45. 84.85.81.82.

Dionyſii Areopagitæ Angelus in ſphæris eſt anima cæli Platonica. 7.

Diocles adſtipulatur Galeno. 5.*p.*

Directiones quæ ſint.

Donatus ad Terentium citatur. 5.*p.*

Draconum in India hiſtoria. 33.

Decubitus exemplum. 85.86.44.

E

Eclipſis in aſcendente, & Cometes quid pariant nato. 3.2.

Electri natura diſcribitur. 13.

Eliazar quo menſe mundum creatum velit. 39.

Emphyricum cælum animam influere intellectiuam. 4.*quid, & cur ita dictum* 3.*eius ſydera Angeli ib. creditur immobile, & cur.* ib.

Eratoſthenis opinio. 62.*lib.*2.

Erimanthæus locus vnde dicatur. 3.*p.*

Error in captando loco Lunæ medio Veterum vnde. 90.15.*in noſtra tempora deflux t.* 91.

Endymion ex Luna nymphas, fluuios creat 4.*p. cur dormitor ad Phyſicam rationem.* ib.

Epas hum idus. 17.

Ephe-

Ephemeridis vſus in cibandis ægris, & applicandis collyriis. 91. eorundem vſus Iuuenalis tempore. ib. ex Aegypto, & Aſſyria eæ deportabantur Neronis tẽpore 90. eas veteres habebant. 89. numeris vt nunc complicitas. ibid.

Epidemia ex ſiccitate in Caſtris Agamẽnonis Soli tribuitur. 2.p. ex humiditate in Arcadia Lunæ. ib. epidemiæ genere vicariam. 46.

Epicurus quid de mundi formâ ſenſerit. 1. *Axes cæli.* 1. *duo Vſinus, & noticus.* ibid.

ἐπίδηλοι, καὶ θεωρητικαὶ ἡμέραι *quæ.* 6.p.

Euclides citatur. 70.

Eugenius Ferrerius aduocatur. 79.

Euripides duo genera ponit in morbis. 1.p. *eius verſiculi.* ib. *is cur Solem glebam auream dixerit apud Lucianum.* 14. *glebam auream Solem dixit.* 9.

Euſtathius citatur. 1.p. *eius interpretatio ad Homerum.* 2.p.

Ezechielis in Chryſtallo ſuper Cherubim quid intellexerit. 3.

F

Fallax iudicium in re medica. 4.p.

Firmamentum vegetatiuam diſponit potentiam. 4.

Firmicus citatur. 5.p. 58.

Fracaſtorius in Syphillide de Morbo Gallico opinio. 11.

G

Galenus citatur 5.p. 82. 81. 92. *quâ ſignificatione aliquando Criſim ſumpſerit.* 7.p. *peritiam Lunaris medij curſus intellexit.* 44. *cur* λόγον *criſim vocat.* 5.p. *eius de medicina ſententia* 45. *vſus in morbis acutis decretorios dies numerandi.* 87. *& ratio* 88. *de medico ſententia.* 43. *ſententia adſeritur.* 74. *de morbis menſtruis, & chronicis diſſertatio.* 80. *quos motu Lunæ regulari dicit* 81. *quomodo decretorios diuidat.* ibid.

Geneſis cognitio ad decubitum maximè neceſſaria. 2.

Georgius Tranſteterus laudatur. 6.p.

Gordianus nodus. 74.

Gorges Rex Indorum Medicus. 46.

Gregrius XIII. cũ Cæſare comparandus 66.

Gregoriana correctio anni celebratur 60.

Græci dies menſis quo pacto diuidant. 67. *& 78. in ipſorum diuiſione ſtropha, antiſtropha, & epodus cur reperiatur.* ibid. *Oceanum non dabant, nec Romani Antipodas.* 60.

Gygis Lydorum regis anulus. 33. *quæ eius hiſtoria.* ibid.

H

Halcyonij dies. 56.

Haly laudatur 6.p. *Arabum ſolertiſſimus fontem humorum Lunam vocat.* 17.

Hebræorum Patres cælum faciunt inanimatum. 6.

Hercules quomodo dicatur, vt Solem ſignificet. 3.p. *is Sol eſt* 2.p. *eius clauа.* 74.

Hermaphroditus cur ex Venere genitus, & Mercurio. 21.

Hermes Triſmegiſtus dictus, cur 8.p. *Aegyptiorum Rex medicus.* 46. *laudatur.* 6.p. *eius de Marte, & Saturno ſententia.* 34.

Heſiodus Aſcræus poſt Homerum. 7.p.

Herodotus citatur in Euterpe. 5.p.

Hie-

Digitized by Google

Hieremias quomodo Lunam appellauerit. 8. declaratur. ibid.
Hieronymus adducitur de cæli anima. 8. declaratur. 9. eius de medicis indoctis effatum. 46.
Hieronymus Vuolfius. 6. p.
Hipparchus Aſtronomiæ pomæria auget. 3.
Hippocrates laudatur. 93. cur iuſtam naturam vocauerit. 57. eius de Luna rationibus 56. περὶ τῶν ἐπιδημιῶν liber. 6. p. Hippocratis vinculo conſtringendus. 46. eius fallax ſententia. 80. ſententia 12. lib. 2. 13. lib. 2. de Apolline dictum. 44. Aphoriſmi non ſemper veri. 45. Hippocrati dicam proponere. 46. eius imago cur pileata. 3.
Hippica ara Marti erecta. 21.
Homerus nouit Criſes pendere à Luna. 7. p. ante Heſiodum Aſcræum ib. in epidemia in Caſtris Græcis quid intellexerit. 1. p. cur canes ibid. & mulos ante cætera animalia mori faciat. 2. p. eius laus. 30. Antrum apud Ithacam. 4. p.
Homo mundo ſimilis 4. rotundam habet formam. 5. congruit cum plantis figura. ibid.
Horatius citatur. 89.
Horæ Romanorum quæ nobis. 69. horæ ad currum Solis ſaliunt 68. æſtiuæ Romanorum longæ die, noctè breues, & cur. 68. & è contra ibid. Græcorum ritu Romanorum diſpoſitæ, ſecus Hebræorum. 69.
Horizon qui, & cur ita dictus. 63.
Humores peccantes quibus Planetis ſubijciantur, & quot diebus terminentur. 76. eorum commixtio effectus animi parit. 29
Hyadibus cadentibus maria furere videtur. 56.
Hydræ fabulæ enarratio philoſophica. 3. p.

I

Iatro mathematica Hermetis Triſmegiſti 18. 19. 20. 21. 22. lib. 2.
Ianus teſſarocephalus 82. & cur, philoſophicè. ibid.
Infantibus humidum neceſſarium. 17.
Influxus alij potentes, alij non. 12. eos dari. 10.
Ingreſſus, & tranſitus ijdem quod reuolutiones, & qui. 7.
Inteſtina nigra quæ à Græcis dicta, et cur 5.
Io: Protoſpatharius Heſiodi Interpres 73. citatur. 37. 3. p. eius interpretatio lepida. 4. p. eius ſententia 75. Is vir doctiſſimus. ib.
Io: Picus. 56.
Io: Rhodulphus Camerarius. 6. p.
Io: Regiomontanus laudatur. 40.
Io: Diaconus interpres Heſiodi citatur. 3. p. pulchra de Araneo doctrina. 75.
Io: Tzetza Proclum reprehendit ad Heſiodum. 74.
Iob quid ſibi voluerit in uerſiculo de aſtris loquens. 3.
Ioſuè Rabbi quâ anni parte mundũ creatum fecerit. 39.
Interpres Heſiodi citatur. 2. p. 7. p. 73. 3. p. Apollonij Rhodij. 4. p. Ariſtophanis 2. p. Aeſchyli 4. p.
Intercalatio in ãno quomodo fieret apud Græcos. 66.
Iſidorus citatur 8. p. 5. p.

Italiæ

Digitized by Google

Italiæ populi cuius naturæ. 13.
Iudæi ſuperſtitioſi. 24.
I. Cæſar quomodo conſtituiſſe ſectã Aſtrologiæ dicatur à Plinio. 60.
Iulij Tertij Pontificis gemma anularis mira. 33.
Iuno aer eſt 20. *ei pluuiæ cur accenſeantur ib. cur vxor, & ſoror Iouis.* 3.p.
Iuppiter qualem hominẽ faciat 22. *præeſt ſecundo conceptionis menſi* 27. *adiuuat fœtum, & quando. ibid. quibus corporis partibus dominatur* 41. *qui ei morbi tradantur. ib. Iuppiter Trociſchus apud Galenum quid* 45. *cur Pater.* 20. *ipſe, Venus crocei coloris. ibid.*
Iuramentum per Dictynnæ iaculos apud veteres. 2.p.
Iuuenalis verſiculi 4.59. *Is citatur.* 60. *de Ephemeride mathematica.* 80. *de Chaldæis Aſtrologis.* 9. *de influxu ſyderum.* 67. *De Soſtrato detortus illuſtratur.* 32.
Iuſtiniani nouella. 65.

K

Kalendaria quid: 89.

L

Lacheſis vna Parcarum quid. 4.
Lactantius de vtilitate Lunæ 18. *de partium, quæ dicuntur nigræ, frugi.* 45.
Lapides quidam vim à ſyderibus naturalem attrahunt. 33. *quorundam mira natura. ib. quidam in draconum capite ibid. ex quibus poteſtatem Gygis anulus habuerit. ibid. eorum facultas ex doct. Platonica.* 31.
Leo Nemæus quid ſit 2.p. *cecidiſſe è Luna narratur. ibid. nutritus in ſinu Iunonis cur.* 3.p.
Leones Sole in Leone febricitant. 13.
Leonis X. gemma anularis mirifica. 33.
Libitina eadem cum Diana 2.p. *Libitinam ditare.* 46.
Literarum exemplum Lucretij. 71.
Lucanus de Eudoxo. 60.
Luca Gauricus aſtrologus laudatur. 4.p.
Lucas Holſtenius celebratur. ibid.
Lucianus in Ocypo. 4.p.
Lucretius Lunam pilæ ſimilem facit. 18. *citatur.* 2.p. *iterum.* 60. & 89. *qualis philoſophus* 57. *eius de numeris ſententia. ibid. opinio* 71. *verſiculi. ibid. citatur.* 43.8.p.
Luna terris vicina. 16. *quomodo à D. Ambroſio appellata. ibid. terra dicta apud Plutarchum ſed noſtra purgatior, & cæleſtis. ibid. diſcriminatrix naturæ cur. ibid. cur humida. ibid. cur decepta à Pane fingatur. ibid. fluxus & refluxus maris cauſa. ibid. ſeptem eius formæ, & quæ. ibid. cur Lucina, parientibus præſes.* 29. *cur humida, & calida.* 21. *cur in amore Endimionis Soli habenas tradidiſſe dicatur à Seneca Tragico.* 5.p. *cerebrum, & viſcera moderatur* 17. *ſeptimo menſi conceptionis præeſt, & cur.* 29. *Effectricis cauſa criſeos.* 77. *eius termini, & cõfigurationes* 77. 78. 3. *lib.* 2. 14. *lib.* 2. *duplex motus* 65. *deliquij vis.* 17. 18. *ei argentum tribuitur* 18. *eius peragrationis per dies decubitus exacta diſſertatio.* 9. 10. 11. *lib.* 2. *motus medius qui.* 91. *effectus quando maiores* 84. *lumen plantis commodum* 8. *in loco Saturni in Natiuitate potentia.* 3.

lib.

lib.2. ipſa id quibus ſignis curationes morborum adleuet. 14. *lib.* 2. *quale corpus faciat.*22. *primam hominis regit ætatem.*17. *cur dicta* γεγενῆς 3. *p. vt pila picea in aere Solis igni obuertitur.* 17. *à Sole capit lumen. ibid. cur amaſia Endymionis.*21. *ex eo Nymphas, & fluuios ereat.* 4. *p. non codē motu ſemper rapitur.*44. *cur arcum ei tribuerint.* 3. *p. ei ſubiecit puſillanimes.* 23. *motus eius explanatur.* 83.
Lunaria. 89.
Lunares quadrantes anno ſimiles. 82.

M

Machaones glorioſi. 44.
*Macrobius citatur.*66.68. *idem de ſeptenario numero.*19. *citatur* 22. *eius de numeris opinio refellitur.* 71.
Mahemetis arguta cantilena numerica. 73.57.
M. Popilio Lenate C. Calph. Coſſ. primū eiecti ab vrbe Aſtrologi. 90.
Magia de qua Plinius quæ. 59.
Magi ijdem qui Aſtrologi. 89.
Magnete lapis ab Vrſæ ſydere vim habet incognitam ſyderalem. 33. *Herculeus lapis deſcribitur.* 13.
Maij vndecimo cur tondendæ oues iuxta Heſiodum. 75.
Manilius de die decimoſeptimo Lunæ 18. *citatur.* 39. *de commutatione dierum opinio.* 11.
Mars tertio menſi conceptiones dominatur. 28. *eius cum alijs configuratio varia. ibid. Lunæ iunctus Mars qualis.* 2. *lib.* 2. *quibus dominetur corporis partibus* 42. *qui ab eo morbi procedāt. ibid. qualem is reddat hominem.* 22. *dominatur celericis.*23. *eius vis in humoribus.* 21. *ruber in ſydere, & cur ib. ei Hippia ara flucta ibid. October ſacer.* 35.
*Marſum vinum bibebant olim ſerui.*69.
Martialis citatur. 80.83.
*Marſilius Ficinus laudatur.*6. *de eligendo decubitus tempore non proba opinio.* 79.
Materia, & forma inter motum ponuntur. 4.
Media nox, ſeptentrio, quarta pars cæli. 40.
*Medici ex Diebus Criticis noſcunt vim morbi.*43. *eorū vbi altercatio in Diebus Criticis* 92. *erratum quoddam in re Critica* 44.56. *turba nocua.* 44.
Medicus naturæ miniſter 43. *eo malo peiorem morbum non habere Pandoræ Vaſculum.* 44.
Medicina quondam expulſa 59. *cum magia originem traxiſſe dicitur à Plinio ibid. ſerò apud Romanos recepta.* 45. *apud quos clara.* 24.
Melampodis teſtimonium allatum. 73.
Melancholici ſub Saturno. 23.
Membra nigra ſeptem. 19.
Menander Critici diei meminit. 8. *p.*
Mercurius Lunæ iunctus qualis. 2. *lib.*8. *Venerem propè in nuptijs cur Mercurium collocabant.* 29. 15. *cur tricephalus dictus* 21. *cur Triſmegiſtus ib. cur Deorum nuntius ibid. à Luna humiditatem mutuatur. ibid. ambiguæ naturæ* 21. *veſpertilio ſyderum. ibid. ancipitis qualitatis. ibid. quale corpus concinnet* 22. *quibus membris corporis dominetur.* 42. *quas ægritudinis* mo-

moueat. ibid.
Menſium ſex maſculi, ac totidem fœminæ. 60. *ijs qui deorum imperent religione veterum.*
Meridianus Circulus explicatur. 62.
Meridies ſecunda pars cæli. 40.
Meſues Regis Damaſcenis frater, Medicus. 46.
Mithylenorum inuentio. 24.
Mitridates Rex Ponti Medicus. 46.
Monas ob quid nobilis. 73. *vt ſterilis contra damnatur.* ibid.
Morbi ob Deorum iram in terram delati 45. *ij aut* αὐθαίρετο *; aut* ἐκ θεῶν. 1. *p. an curabiles in genere.* 1. *lib.* 2. *eorum natura ex ſtellis examinantur.* 77. *vires in acutas peracutas, & perperacutas diſtributæ.* 80. *ſi pateant cauſæ, ſubueniri poſſe.* 43. *curationes quibus ſtellarum obſeruationibus temperandæ.* 14. *lib.* 2.
Moſcopulus Heſiodi interpres. 2. *p. citatur* 73. 75.
Muli, & canes calid. 2. *p.*
Mundus ſub quo ſigno creatus, iuxta aliquos. 39. *qua forma* 1. *p.* 1. *eum mori, ac renaſci in aere ex Solis vi, ac poteſtate.* 22.

N

Nabathæi mercatores. 24.
Natura ancilla humani corporis vaſculum defricat, emundat. 7. *p. texit humana corpora ad lucernam Lunæ.* 4. *p. dicta œconoma ab Ariſtotele, & cur* 57. *iuſta ab Hippocrate.* 57. *ſemper vices verſat.* 44. *eius quæ vis ſit in corpore.* 58. *nitela contra morbum.* 56. *officium. ibid. &* 57.
Nautæ, & agricolationis præcepta quomodò accipiantur. 12.
Neapolitani vnde exordium anni caperent. 56.
Nicepſus vetus Aſtrologus. 38.
Nicolaus Theologus cælum facit inanimatum. 6. *qua ratione.* 6. & 7.
Nilus augetur ſub Canicula 13. *eteſijs repellitur.*
Niobi Luna cum Sole male configurata hiſtoricè filios necat. 3. *p.*
Nonus menſis in partu cur bonus. 29.
Nonius citatur. 68.
Notæ ſunt Criſes penes Celſum. 58.
Nouenarius cur perfectiſſimus. 72. *Dijs carus. ibid. in eo perfectio. ibid. ibidem tamen noxius. ibid.*
Numerica vis. 72. *an ſit cauſa criſis.* 56. *quid ſit* 70. *eam Pythagorici, & Platonici docuere.* 56. *eius obſeruationes quæ, quales ſint.* 74. 71.
Numerus quinarius qualis. 72. *binarius qualis, & ob quid nobilis* 73. *idem damnatur.* ibid.

O

Occidens tertia pars cœli 40. *Dæmini tribuitur.* 69.
Octaua domus cæli mortis eſt. 2. *lib.* 2.
Octonarius numerus Iuſtitiæ & cur. 33. *damnatur etiam & cur.* ibid.
October Marti cur Sacer. 35.
Oriens Deo à veteribus accenſetur. 69. *cæli pars prima.* 40.
Origenes adducitur de Cæli anima 8. *refellitur. ibid. eiuſdem ſententia de influxu ſyderum.* 35.
Ortus & occaſus Coſmici, Achronici, et Heliaci. 63.

Orpheus iuramentum per octo Deos inſtituit. 73.
Orphei quæ extant carmina non ſunt illius Argonautæ. 7.p.
Orythiæ fabella quid ſibi velit. 69.
Oſtrea Luna creſcente repleri. 13.

P

Palladij opus ruſticum Kalendarium eſt. 89. *is citatur* 56.
Pallilitij quæ natura. 23.
Parcæ cęlorum motum indicant. 4.
Partes nigræ quędam inteſtina corporis dicta à Gręcis. 45.
Pauſanias de ara pluuia. 20.
Palma annis ſingulis 12. *baim producit.* 65.
Pando ræ vaſculum terra. 2.p.
Peonia herba comitialem morbum ſedat 32.
Perſius citatur 7.p. *illuſtratur.* 32. *eius admonitio.* 66. *idem interpunctus, & illucidatus.* ibid.
Petri Aponenſis opinio de tempore decubitus eliciendo. 79.
Petronius ephemeridem deſignat. 89.11. *noctes Neronis deſcripſit.* 67.
Petosyris aſtrologus. 38.91.
Phauorinus Arelatenſis Philoſophus Aſtrologos damnat 90. *Ptolemæum pręcipuè ibid. eius ſententias collegerunt Sex Empyricus, & Au. Gellius, ibid.*
Picus Mirandulanus de vita hominis 11 *contra Aſtrologos ſcribit.* 90.
Pythagoras quid de numeris ſenſerit. 70.
Potentię & Virtutes corporis quot, & quę. 13. *lib.* 2. *quibus fulciantur Planetis.* ibid.
Philoſophia ſophiſticam fallacem comitẽ habet. 59.
Philoſtratus in hiſtorica veritate ſuſpectus 33.
Piſces pluit. 13.
Planeta vnuſquiſque vnicuique menſi. 27. *Planetæ in Piſcium ſigno aquas cient.* 11. *Planetę qui* 2. *iidem errones dicti. ibid. quomodo diſpoſiti ab Aegyptijs ibid. quo tempore periodum Zodiaci abſoluant.* 3. *ortus, & interitus cauſę.* 34. *quomodo animi qualitates inſinuent per humorum mixtiones* 23 *qualia informent corpora.* 22. *quæ mẽbra regant. ibid. pro vt in Geneſi ſunt, depluunt Nato qualitates corporeas. ibid. in Geminis æſtum ſollicitant.* 1. *in Oriente Nato humores partiuntur.* 33. *eorum diſpoſitio corporum vitia diſponit.* 22.
Platanus Romanis grata. 67.
Plato citatur 71. *facit cælum animatũ* 6.
Platonici quid de cęlo ſenſerint. 2.p.
Plautus adducitur 68. *emendatur in Pſeudolo ibid.*
Plutarchus citatur 74. 7. p. 70. *ali vaporibus refert ſydera* 20. 2. p. *in Iſidis libello citatur.* 22.
Plinius ali vaporibus ait aſtra. 20. *quo pacto Lunam vocet ſecundam.* 75. *Criſes vocat auguria.* 58. *citatur.* 7. p. 89. *eius dictum explicatur.* 59.60. *de ſanguine hominis opinio.* 59.
Plotinus non ali ſydera vaporibus demõſtrat. 20.
Poetę olim docti. 3.p.
Polares circuli enarrantur. 63.
Pollucis Gramm. teſtimonium. 8.p.
Polybij opinio. 64. *lib.* 2.

Po-

Digitized by Google

Polypodium etiam bilem purgat. 32.
Pontanus citatur in Vrania. 39.
Porphyrius de antro Nympharum Ithacæ 4.p. Vertitur à Luca Holſtenio.ib. eius ſententia de Solis qualitate. 21.
Portæ Cancri, & Capricorni quid velint apud Platonicos. 34.
Proclus de Lana ſucida. 75. videtur nimiùm tribuiſſe numeris Pythagoricis. 74. refellitur à Tzetza ibid. Heſiodi optimus interpres. 2. p. ad Heſiodum de Luna 18 17. eius doctrina. 75.
Primum Mob le quid. 2.p.
Profectiones quę ſint. 47.
Prognoſtica ab Aſtrologia tantùm purè accipiuntur. 44. quomodo procurentur. 45.46. vt fiant, quę maximè conſideranda. 1. lib. 2. 2. lib. 2. 47.48.49. 50.51.52 53 54.55.
Prorogator Vitę quomodo obſeruandus. 47.
Proſerpina eadem cum Lunâ. ibid.
Prometheus medicinæ gnarus. 4.p.
Prouerbium. 44. lib. 2 ibid.
Ptolemæus typum cæleſtis architecturæ componit 3. quos in eâ re ſequutus fuerit. ibid. eius collocatio Planetarũ verior, quàm Antiquiorum. ibid. citatur de Luna ib. Quadripartitus eius citatur. 91. eius de medicis aſſertio. 12. lib. 2. eius Kalendarium 80. is quam animam cælo dederit. 6 errauit. 9.

Q

Quadripartitus Ptolemæi ab auctore Cõmentariis illuſtratus. 39.
Quaternarius numerus ſapientiæ 73. dãnatus. ibid Pythagoricis ſacer. 72.
Quartana febris ad 12. annum producta. 77.

R

Radij Solis quomodo dicti à Lucretio. 2.p.
Ranas pluit. 13.
Reguli Stellæ quæ natura. 23.
Romani menſis dies quomodo diſponerent. 68.

S

Sabor Rex Medorum Medicus. 46.
Sabiel Rex Arabum Medicus. ibid.
Sanguis hominum ad Lunæ motum augetur. 59. mouetur circulariter in humano corpore. 5. in eius miſſione quæ obſeruanda. 16.17 lib. 2.
Sanguinei hilares. 23. ſub Ioue, & Venere. 23.
Sapientia in baſi quadrilatera apud Cebetem. 73.
Saturnus cur filios deuoraſſe dicatur 34. porrectus ei pro Ioue lapis 35. cur vinctus à Ioue fingatur apud Plutarchum. 35. ei retecto capite cur ſupplicarent. ib. quale is corpus reddat. 22. præeſt primo conceptionis menſi. 27. quando benè fœtum diſponat. ibid. quia terrâ remotior, ſiccior. 20. niger fuſcæ barbæ cur dicatur. ibid. Lunæ iunctus qualis 2. lib. 2. quibus partibus corporis dominetur 41. quos morbos diſponat ibid. eius ad aram pueri cur mactarentur. 35.
Sauonarola contra Aſtrologos. 90.
Schema exempli decubitus. 86.87.
Scholiaſtes Ariſtophanis citatur. 2.
Scythæ pauperes frugum. 24. cuius naturæ. 13.
Sectæ aſtrologicæ an plurimæ apud Veteres iuxta Plinium. 60.
Seneca in Hippolyto citatur 2. p. Gallionis

filius. 5.p.
Senecæ di mutationibus rerum naturaliũ opinio. 11.
Senario numero Geneſis clauditur. 73. *is laudatur ab Auguſtino ibid. damnatur, & cur.* ibid.
Septenarij numeri vis. 14. *is numerus quietis* 73. *etiam apud, Ethnicos ibid. eius die feriebantur, vt nunc ſcholaſtici.* ib.
Septem numero in natura quæ. 19.
Septimanæ, & hebdomades quo tempore apud Chriſtianos inductæ. 67.
Septentrionalium hom nũ color vndè. 14.
Serapis inſculpi ſolitus in horologijs, & cur. 66.
Serenus nominatur. 8.p.61. *eius de cauſa morbi verſiculi.* 58.
Serpẽtes ex capillis fœminæ naſcuntur. 12.
Sex. Empyricus Phauorini aſſecla. 90.
Sex. Sulpicij epiſtola adducitur. 69.
Signa quæ partibus ſingulis humani corporis dominentur. 41. *ea duodena Zodiaci Dei conſiliarij ſunt Aegyptiorũ.* 62.
Significatores Vitæ examinãtur. 3. lib. 2.
Soſtratus Iuuenalis idem cum illo Taciti.
Strabo adducitur. 62.
Strabus duos globos cælorum ſupra primum mobile ponit. 3. *qua parte anni creatum mundum dicat.* 39.
Sol Rex aſtrorum 42. *quos morbos diſponat. ibid. Lucem reliquis aſtris commodat.* 14. *quattuor anni partes format. ibid in die annum quomodo conſtituat* 15. *metallo non artifex. ibid. configuratus cum ſtellis varias adfert aeris mutationes. ibid. &* 28. *quarti menſis conceptionis dominus* 28. *calidus, & humidus cur.* 21.22. *choreæ, vt magiſter in medio Planetarum.* 68. *œconomus dictus.* 23. *Lunæ iunctus qualis.* 2. lib. 2. *quale corpus conſcinnet.* 22.
Solinus affertur. 60.66.
Solicitium quid. 66.
Spicæ Virginis quæ poteſtas. 23.
Statuaria quorum oblectamentum. 24.
Stellas paſci humoribus. 20.
Stellæ in animos agunt Scoto teſte, Thoma Aquinate, Damaſceno, Alberto Magno, ſed quomodo. 25.26. *earum fixarum vis.* 23.
Stoicorum apud Galenum de mundi forma opinio. 1.
Sublunaris locus aplane, chile, apud Platonicos, Tartarus apud Heſiodum, aer Cyryllum Alexandrinum. 66.
Suetonius citatur. 65.60.73.
Syderum in lapides inque herbas potentia. 31.
Syriæ populi cuius naturæ. 13.
Syrij, & Carthaginenſes eiuſdem gentis populi. 35.

T

Tabulæ Aſtronomicæ in ſuperiori ſæculo quales. 90.
Tacitus citatur 74. *de magis, & Aſtrologis refert. ibid. in Claudij fortuna admonitio.* 36.
Tempus veſpertinum cur ægris graue. 5.p.
Terra in centro vt fex. 4.
Terrentius citatur. 7.p.
Thebanorum oblectatio. 24.
Thebit de cantandis anulis ſyderalis doctrina. 33.
Thema valetudinarium quomodo erigendum

Digitized by Google

dum 78. & cuius figura meliùs erigatur. 79.
Theodorus de menſibus citatur. 3.p.
Theon interpres Græcus Arati.2.p. eius ad Aratum doctrina. 75.
Tibiarum quorum oblectatio. 24.
Tibulli hemyſtichium à Seneca celebratum. 20
Timochares firmamentum, & cælum ſtellatum contra raptum Primi Mobilis moueri primus obſeruauit. 2.3.
Thomas Boderius aduocâtur.79. laudatur. 6.p.
Thomas Diuus de homine.14.eius ſententia legitimè examinatur. 26.
Torrida Zona quid apud Rabbinos quoſdam. 63.
Tragicomici in Paſtore fideli adducti verſiculi. 1.p.
Traſulli veteris Aſtrologi ephemeris à Iuuenale deſcribitur 89.idem aſtrologus Tiberij amicitia, & prædictionibus clarus. ibid.
Trias ob quid nobilis. 37. idem numerus malus, & cur. ibid.
Trimalcionis in domo Tabella ephemeridis ponitur à Petronio, vt Neronem aſtrologum deſignet. 89.
Tychonica mundi Typus. 60.
Tzetza Ioannes citatur73.Heſiodi Interpres. 2.p.

V

Vegetij teſtimonium. 56.85.
Venti quid corpori mali boniuè afflatu adducant.15.16.lib.2. quomodo annum, & mundum diſtinguant. 64.
Venus cur aphroditis 20. cum barba cur ibid. cur fœmina, & maſcula. 2. cum Mercurio in nuptijs veterum collocatur.29.quinto diei conceptionis dominatur; eius varia configurationes.28. quale corpus exhibeat.22.quibus partibus dominetur humani corporis,quique morbi ipſi accenſeantur. 42. cur alma dicta, cur mater 20. eius in Papho inſula effigies. 32. pluuia immunis eſt.ibid. de ea Tacitus in Hiſtorijs.quomodo. ibid.
Veterum in Luna motu medio error.8. 88.ij cognouere Criſes à Luna pendere 7.p. an Romæ benè ſyderum naturam perceperint.6.vſum ephemeridum habebant. 89.
Virgilius de tempore creationis mundi. 35.criticorum dierum meminit. 8.p. adducitur, & explicatur. 69. is, & Ouidius optimi inter Poetas Aſtronomi.63.de Luna noctis commodo.18
Vitruuius de Luna. 17.
Vulpianus citatur lib. 2. de Off. Procon. 90.

Z

Zodiacum in duodecim ſegmenta diſpeſciur. 39.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Nominum eorum, quorum in libro ſecundo extant Genituræ, & Decubitus.

A

Adulphus Guſtauus Rex Suetię 39.
Anna Regina Poloniæ. 41.
Antonius Maria Card. Saluiatus. 45.
Alexander Card. Vrſinus. 57.
Antonius Card. Fachinettus. 63.
Andreas Card. Perettus. 87.

B

Berlingerius Card. Gipſius. 99.
Bernardus Dux Vaimarius. 139.

C

Clemens VIII. Pontifex. 25.
Carolus filius Philippi II. 43.
Carolus Crequius Comeſtabilis Frãcię. 95.
Carolus Dux Mantuæ. 119.

D

Dominicus Card. Gymnaſius. 81.
Dominicus Molinus Senator Venetus. 113.

F

Ferdinandus Gonzaga Dux Mantuę pag. 51.
Franciscus Medices. 59.
Franciſcus Leſdiguerius Comeſtabilis. 83.
Federicus Cęſius. 89.
Franciſcus Card. Mantica. 91.
Flaminius Card. Plattus. 97.
Fabritius Card. Veroſpius. 109.
Franciſcus Dux Mantuæ. 115.
Federicus Card. Borromęus. 117.
Franciſcus Orſáttus Patauinus. 129.

G

Gregorius XV. Pontifex. 19.

H

Henricus II. Rex Galliæ. 31.
Henricus III. Rex Galliæ. 33.
Henricus IIII. Rex Galliæ. 35.
Hyacinthus Emanuel Dux Sabaudię. 47.
Hippolytus Card. Aldobrandinus. 67.

I

Io. Baptiſta Card. Detus. 69.
Io. Baptiſta Card. Lenius. 79.
Ioannes Georgius Princeps Aldobrãdinus. 77.
Ioannes Columna Patriarcha. 123.
Io. Baptiſta Laurus. 137.

L

Ludouicus Card. Ludouiſius 53.
Lælius Card. Biſcia. 73.
Laodiuius Card. Zachia. 85.
Leonora Duciſſa Sfortia. 101.

M

Marcus Antònius Columna Comeſtabilis. 65.
Margotius Card. Lanfrancus. 105.
Marſilius Landrianus. 125.
Mulier Excellentiſſima. 107.

N

N. Burattus Bononienſis. 131.

O

Odoardus Card. Farneſius. 49.

Octa-

INDEX.

Octauius Card. Bandinus. 103.
Octauianus Vbaldinus. 127.
Octauius Veſtrius. 135.

P

Paulus V. Pontifex. 27.
Philippus Columna Comeſtabilis. 71.
Philippus Card. Spinellus. 92.

R

Rainutius Dux Parmæ. 55.
Rubertus Card. Vbaldinus. 75.
Ricciardus Aduocatus. 133.

S

Sixtus V. Pontifex. 23.
Scipio Card. Burgheſius. 61.
Sebaſtianus Rex Portugalliæ. 37.
Scipio Card. Cobellutius. 121.

T

Tiberius Card. Mutus. 111.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DEscendere è *ſuperioribus in inferiora corpora animalem quamdam vim, qua animantia, non modò ſpirantia, verùm fruges, arbores, flumina alantur, moueanturque; tamè noſtra, quàm è veteri ſchola Philoſophi praſtantiſſimi iudicarunt; qui omnes Cælum ipſum vniuerſales, particulareſque tam alterationis, quàm generationis, & interitus iacere in inferiora poteſtates, prout varia ſit ſyderum poſitio, atque aptitudo experientia, qua eſt oculatiſſima etiam ignarorum magiſtra, edocti tradidere; hinc Ariſtoteles libr.* 8. *Auſcult. phyſic. Primum Cælum vitam eſſe omnibus ſignificat; quandoquidem euidentiſſima, & communis vita operatio intimus motus; adeo quòd ceſſante illo cuncta ſiſti oporteat, non lapidem deorſum ferri, non ignem ſurſum aſcendere; veluti in minori mundo ſi cordis motus terminetur, & omnis membrorum motus perire neceſſe eſt, vt diſertiſſimus Picus Mirandulanus probauit: ſed Ariſtotel. idem pluries attigit, congruumque faſſus eſt hanc inferiorem regionem ſuperiorum lationibus conſiſtere, vt eius indè tota virtus pendeat, & gubernetur. Rurſuſque ſtellarum motum in Zodiaco primariam eſſe originem generationis, & corruptionis omnium inferiorum; Sic Ptolameus Aſtronomorum facilè Princeps:* euidentiſſimum (*ait*) eſt diffundi vim quamdam ab æthera natura in vniuerſa terra circumpoſita; quæque ſub Luna ſunt omnia ætheris motibus agitari, & quicquid in terra, aere, & aquis naſcitur animantium, & germinum. *Verno enim Aequinoctio, cùm Tellus propinquiore Solis ſydere temperatur, flores, ſegetes generat veluti pubeſcens, & in virgulta iuueneſcens; mox Cancri ſolſtitio exucta ipſas tamquam ad ſenium productas arefactas eijcit; Autumnali Aequinoctio mox poma, qua frugibus duriora concoctu erant ad interitum etiam perfectionis perducit; donec aduentante Brumali ſolſtitio tota anni vita completur; qua cuncta Solis per obliquum illum circulum Zodiaci nunc recedentis, nunc propinquantis phaſi fieri cognoſcimus. Nec eâ contentus aſſertione Ariſtoteles lib. de element. propriet. id de-*

A. *mon-*

Digitized by Google

monſtrat clarium, cum, vbi Planetæ contigerint ſignum Piſcium, fore, vt aquis diluantur omnia minari inquit; Secus ſi in Geminis fiat coitus. Nam Vniuerſi tunc futuram conflagrationem. Sed non modò Philoſophi in ſegetes, plantas, animaliaque, humores influere ſydera confitentur: verùm, & agricolationis Auctores Columella, & Palladius teſtantur: Plinius, & Virgilius profitentur, ſub cœleſtiaque immutari ſingula, non tam ex ſuperiorum qualitatibus, ſed etiam ex alijs occultis, ac ſpecificis; non immediatè, ſed mediante nos ambiente aere probat Seneca. Immutato namque in primis qualitatibus aere ſubcæleſtia varijs affectionibus ſubijciuntur: hinc rubigine meſſes vruntur, poma corrupto aeris ſpiritu flaceſcunt: Epidemiæ etiam ſalubribus regionibus illico oriuntur; noua etiam genera nunquam antea auditorum morborum erumpunt, vt in Syphillide ſua Galeni authoritate probat Fracaſtorius cum de morbo Gallico carminibus diſputat. Sic veteres morbi plurimi prius ſæuientes miteſcunt, vt experimur in Elephantiaſi; quæ omnia cum hic in imis accidant, occultis ſyderum influxibus tribuenda ſunt; vnde eſt etiam, ſæpiſſimè mures è terra progigni in naui abſque vllo ſpeciei ſemine; ſerpentes ex mulierum præcipuè capillis generari, hominem in elephantino, Aſinum canino capite oriri? niſi occulta cooperante virtute cœleſtium ſtellarum præcipuarum, quæ in Arietis ſigno collocantur ab Aſtrologiæ peritis? intantùm vt Auicennas ingenio exactiſsimus ab experta ſcientia ſingularis vir in libro, quem de Diluuijs ſcripſit, dicere non dubitarit, poſt cataclyſmata, ac terrarum inundationes, nullo humano ſemine, tantùm tabidis hominum cadaueribus hominem ſolere, ac poſſe generari, concurrente Cœleſtium corporum influentia pro ſemine. Cuius rei cum Auerroes 8. Phyſic. meminiſſet, retuliſſetque ſuper hac re opinionem, eam probè refellens, poſſe fatetur ſydera animalium generationi non perinde diſſimilium, vt Talpæ, Veſpertilliones, & mures ſunt, ſufficere; ad perfectorum verò animalium productionem, vt Leonum, elephantorum, Hominum, deficere: liquet tamen nobis per Auerroem etiam humores hic in inferioribus à ſuperioribus regi per ſydera; atque ita ſecundas cauſas inferiores, vt aer, & humores ſunt, ſubordinatas ſuperioribus motas mouere dicemus, prout ipſa ab influxibus ſuperioribus agitantur: Quorum influxuum alij potentes, vt potè

qui

qui à potentibus, ac uniformibus cauſis producuntur; quidam alij, veluti ab occultioribus cauſis producti, non potentes dici poſſunt. Potentes eos dicimus, ac uniformes per quos Nautica, atque Agricolationis præcepta ordinantur; cum per ortum, occaſumque ſyderum certiſſima operibus enaſcatur variatio; quorum momenta Nautæ, & Agricolæ obſeruant, veluti Arcturi, Virgiliarum, Hyadum, Lyræ, & id genus aliorum, per quos itidem tempora ad generationem quadrupedum apta, nidificationem, ac transfretationem auium demonſtrantur. Minus potentes autem quippe qui à ſecretioribus cauſis emanant, non niſi doctioribus patent, & è quibus oriri vt plurimùm epidimiæ, fames, bella, terremotus, inundationes, mutationes Monarchiarum, & alia obſeruantur; quæ niſi certo ſyderum influxu fierent, non vtique præſtitutis temporibus, & improuiſis incurrerent: ex eclipſibus nempe, ex Cometis, ex ſuperiorum Saturni, Iouis, & Martis coniunctionibus, ac cœleſtium corporum inſuetis ſyzigijs accidunt; quæ cuncta occultiſſima artis arcana ſunt. Inter occultiora etiam (quæ à ſyderibus tamen deriuare credibile eſt) nonne Magnetis Herculei lapidis natura videtur, quæ ſyderali affectione trahitur, atque ad Polum quodam genio amatorio vertitur? nonne electri latens inclinatio, quæ quiſquilias vertit, pallearumque helluo fragmina colligit? atque vndenam fatum octimeſtrem non viuere, ſeptimeſtrem nutriri cogitabimus, niſi ſyderum arcana ratione? nec cauſa recipit quod membra non adhuc in vtero ſint, cum ſeptimo menſe ortos plurimos ſciamus ſupernutriri? quis rimari poterit abſque ſyderum peritia cur Luna creſcente repleantur oſtrea, & conchilia; ſint exuſta, ac tenuia eadem lumine diminuta? cum contra obſeruatum ſit, Plutarco tradente, cepas deficiente Luna creſcere, creſcente diminui? Quis pluuias nunc ſanguine maculoſas, nunc lapidibus pergraues interpretabitur? piſcium, & ranarum procellas? cum apud Athenæum ſcriptum ſit piſcibus pluiſſe nonumquam; ac in Peonia, & Dardania tantam vim ranarum (referente Euſtachio) conſtet, vt domus opplerentur, ne dum viæ? Nonne Canicula æſtuante Canes in rabiem aguntur, vina in dolijs feruent, maria vexantur, ac admiranda alia contingunt? Sole Leonis ſignum ſcandente torquentur febre Leones: ac Sole inſcendente Canem Ni-

Digitized by Google

lus arcano more ad momenta huius ſyderis increſcit, Aegipto perfunditur, vt in ſuis natural. queſt. placitis Seneca demonſtrat, Pliniuſque, & Lucanus referunt. Pro diuerſo etiam Cœli ad terram climate Populi ad varios mores inclinantur, membraque, ac temperaturæ iuxta Vitruuium, & experientiam hominum informantur: Saui Scythæ, quòd damnatis frigore terris inhabitent, ſunt; placidiores Syriæ, Cypri, Italiæ populi, quod temperato Cœlo degant; item Phænices, atque Arabes ad delitias potius, quam ad bella propenſi.

Animos frangit clementia Cœli:

Lucanus cecinit. Hinc colorum etiam corporum diuerſæ ſpecies; Septentrionalium locorum Incolæ, quique ad Boreum Polum vergunt, ob frigoris naturam (cuius eſt membra, ac poros laxare) lactei ſunt, & flauicomi: Aethiopes ob aduſtionem humorum tenebricoſi, & criſpi: Omnia tandem à cauſis cœleſtibus inferiora gubernantur; hinc in Hominum exitu ex materno aluo, ex Planetarum, aliorumque Aſtrorum inter ſe aſpectibus, ac varia ab Horizonte diſtantia, & Meridiano, diuerſaque in ſignis Zodiaci conſtitutione, varia corporum temperamenta producuntur in actiuis, & paſſiuis qualitatibus, ac per conſequens diuerſæ etiam animæ qualitates, ſeu mores, qui ex Galeno corporum temperamenta ſequuntur. Ex varia item, ac diuerſa in Cæli locis Planetarum poſitura, obſeruationibus compertum, diuerſa prodire in Natis accidentia proſpera, ſeù aduerſa pro ſyderum qualitate benefica, ſiue malefica; quemadmodum ex diſtantia eorumdem ab Meridiano, ac Horizonte, & inter ipſa ſydera numerata per gradus Aequinoctialis circuli hauriri temporis quantitatem, qua inſignia illa fuerint euentura; quæ ſingula nec eſſe ſuperſtitionibus inuoluta, nec vetita fatentur omnes Theologi; poſſeque coniectura aſſequi. Dicebat enim D. Auguſtinus; videmus anni tempora variari, & rerum genera quædam decrementis, & augmentis Lunæ augeri, vel minui; ſic reliqua generata ex ſtellis alterantur, quibus tamen animi voluntates non ſubduntur. *Et D. Thomas 2. de generat.* qui ſciret virtutes Cęlorum, & ſtellarum in eis poſitarum, dum res aliqua naſcitur, poſſet iudicare de tota vita rei generatæ, licet hoc neceſſitatem non

ponat,

ponat, & poſſit impediri per accidens. *Hinc Origenes,* quemadmodum humana libertas minimè tollitur, quamuis Deus, quæcumque facturi ſumus, præuideat; ſic etiam ſigna ex ſtellis, quæ diuinitus ad ſignificandum ordinata ſunt, libertati noſtrę nequaquam officiunt. Sed Cęlum eſt ſicut liber omnia futura in ſe ſcripta continens, quæ tamen Deus poteſt delere, augere, minuere, prout libuerit ſuæ omnipotentiæ. *Dicebat vnde S. Ambroſ. 4. examerõ.* Redempti ſunt Apoſtoli, & congregati ex peccatoribus, non vtique natiuitatis ſuæ hora, ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus. Latro in Cruce non beneficio natiuitatis, ſed confeſſione fidei, ac libero arbitrio ad Paradiſi tranſiuit gaudia. Ionam non vis natiuitatis, ſed diuinæ præceptionis offenſa præcipitauit in mare. Sic Petrum imminente iam morte Angelus domini, non ſtellarum ſeries, liberauit. *Panormitanus Aſtrologicas prædictiones non eſſe prohibitas his verbis oſtendit.* Dicere quod corpora cęleſtia, & ſtellæ (ſublata neceſſitate) non cogunt hominem, ſed inclinant ad vitia, ad virtutem, interdum non eſt malè dictum: ſic de infirmitatibus, valetudine, morte, & alijs iudicium facere non eſt peccatum; & permittitur bonis Aſtrologis. *Idem fatetur Caietanus in ſua ſumma; & D. Thom. 3. contr. gent. dicens*: quæ ad corporalia pertinent, ſiue interiora, ſiue exteriora in vſum hominis venientia à Deo mediantibus Angelis, & corporibus cęleſtibus diſpenſantur. *& cap. 2. concludit* corpora cęleſtia cauſæ ſunt omnis alterationis, & motus in hoc infimo Mundo. *Scotuſquè 2. ſentent. diſt. 14. dicit: ſtellas actionem habere, & dominium in elementis, mixtis, animatis, inanimatis, & reliquis: quod etiam vbiquè à Patribus infinities promulgatur. In his verò, quæ à voluntate hominis dependent Albertus Magnus hæc profert in ſpeculo.* In his cælum eſt aliquomodo ſignum. Nam diuerſarum partium contradictionis, quarum homo poteſt alteram eligere, ſcribit Deus ab æterno vtram illarum eliget: vndè in libro vniuerſitatis, qui eſt Cęli pellis, potuit Deus oſtendere, ſi voluerit; nec per hoc infringitur liberum arbitrium, ſicut nec diuina

 pro-

prouidentia poſita. *Azor. noſtro aeuo Societatis Ieſu ſacerdos lib. 9. inſtitut. moral. cap. 13. aſſerit.* At verò ſi quis obſeruato natali die cuiuſque, & notatis ſyderum, & Aſtrorum ſigniſ probabiliter coniectat eum certa temperatura præditum, certis animi propenſionibus affectum iri; ac proinde ingenio, aut corporis viribus valiturum, aut certis morborum generibus obnoxium fore; Eccleſiaſticos Canones, aut Pontificia iura, aut leges non violat.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

DE SIGNIS ZODIACI, ET EORVM QVAlitatibus, ac diuiſione. Cap. I.

INTER decem ſpheræ circulos maiores, & minores, ſolus Zodiacus, ſignifer, ſeù obliquus circulus latus ſtatuitur: ſub cuius Zona Planetæ ſeptem eiuſdem limites non excedentes curſus ſuos abſoluunt periodicos. Conſtituitur latus ab Antiquis vtrimq; tam in Boream, quàm in Auſtrum gradibus ſex ab Ecliptica, ac proinde gradibus duodecim; cum Planetas ab Ecliptica, ac via Solis (quæ in Zonæ medio ſita eſt) ſex gradibus latitudinis ad ſummum non excedere obſeruarint. Verùm cum Venerem obſeruent; Recentiores gradibus nouem cum fragmentis aliquibus deuiare ab Ecliptica: idem circulus gradibus viginti latus ſtatuendus eſt: longitudine autem, vt quilibet alius circulus gradibus 360. diuiſus in partes duodecim, ſeu ſigna, quorum quodlibet gradus triginta occupet: gradu conflato ex minutis ſexaginta, minuto ex 60. ſecundis; ſecundo ex 60. tertijs, & vſque ad decima facta diuiſione ſi libuerit. Hæc ſigna cæleſtia appellauit Antiquitas animalium nomine, vel ob proprietates, vel ſtellarum ſitum in illis locis formam, vel ſimilitudinem animalium repreſentantium: & ſunt

♈ Aries, ♉ Taurus, ♊ Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo, ♎ Libra, ♏ Scorpius, ♐ Sagittarius, ♑ Capricornus, ♒ Aquarius, ♓ Piſces.

Diuiduntur autem pluribus diuiſionibus.

In quatuor quadrantes quatuor anni temporibus correſpondentes, Veri, Aeſtati, Autumno, Hyemi. Vernalis, puerilis, aereus, ſanguineus, calidus, & humidus continet tria ſigna ♈ ♉ ♊. Aeſtiuus iuuenilis, colericus, igneus, calidus, & ſiccus continens ♋ ♌ ♍. Autumnalis virilis, terreus, melancholicus, frigidus, & ſiccus continens ♎ ♏ ♐. Hyemalis flegmaticus, ſenilis, aqueus retinens ♑ ♒ ♓.

Signa ignea ♈ ♌ ♐ conſtituentia trigonum igneum

Aerea ♊ ♎ ♒ trigonum aereum

Terrea ♉ ♍ ♑. terreum

Aquea ♋ ♏ ♓ aqueum trigonuum.

Signa Cardinalia, & mobilia ♈ ♋ ♎ ♑, in quibus Sol ſcandens anni tempora gignit Ver in ♈. æſtatem in ♋. Autumnum in ♎. Hyemem in ♑

Aequinoctialia ♈ ♎

Solſtitia ♋ ♑.

Septentrionalia ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ſeu Borealia

Meridionalia ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓ ſeu Auſtralia

Fixa ♉ ♌ ♏ ♒

Communia, ſeu bicorporea ♊ ♍ ♐ ♓.

Digitized by Google

Calida ♈ ♊ ♌ ♎ ♒
Frigida ♉ ♋ ♍ ♏ ♑ ♓
Quadrupedia ♈ ♉ ♌ ♐ ♑
Humana ♊ ♍ ♒ prima Medietas ♐.
Prolifica ♋ ♏ ♓
Sterilia ♊ ♍ ♌
Feralia ♌ & poſtrema ♐ medietas
Venenoſa, ♏ & ſtellæ fixæ ſerpentis
Muta ♋ ♏ ♓
Rauca ♈ ♉ ♌ ♑
Vocem habentia ♊ ♍ ♎ ♐ ♒
Mutilata ♉, & Caput Algol, ſeu Meduſæ
Aquatica ♓. Delphin
Vincta Cephæus, Andromeda
Naufraga Argus, Nauis
Ducalia, Coronæ Ariadnes Auſtralis, ac Borealis.
Antiſcia ſeu eiuſdem potentiæ ſigna ſunt quæ æqualiter diſtant à Tropicis. Imperantia, & obedientia ſunt, ſigna oppoſita Antiſcijs. Signa ſeptemtrionalia ſunt Imperantia; Auſtralia obedientia; Aries habet Antiſcium in ♍ & gradus 12. ♈. in 18. ♍.

♊ ♉ ♈ ♓ ♒ ♑
♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐ Antiſcia

Imperantia ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Obedientia ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
Hæc ſigna cæleſtia dominantur non ſolùm corporis humani partibus, verùm etiam ſuper particularia Mundi climata, & regiones; nec non Ciuitates, ſub quorum aſcendente fuerint ceptæ ædificari. Circumfertur hæc tabella.

Pro-

Digitized by Google

Prouinciæ, Ciuitates, & loca ſubiecta ſignis cæleſtibus.

♈	♉	♊	♋
Siria	Parthia	Hircania	Numidia
Paleſtina	Media	Armenia	Africa
Gallia	Perſia	Martiana	Bithinia
Brittania min.	Arcipel. Inſulæ	Cyrenaica	Frigia
Burgunda ſup.	Cyprus	Marmarica	Colchis
Germania	Aſia minor.	Sardinia	Carthago
Sueuia	Ruſſia	Longobardiæ pars	Granata
Sileſia ſuper.	Polonia maior.	Flandria	Burgundiæ Com.
Polonia min.	Suetiæ pars	Barbantia	Hollandia
Neapolis	Hibernia	Vuittemberg Duc.	Zelandia
Capua	Lotharingia	Aegiptus Infer.	Scotia
Ancona	Campania	Corduba	Bruſſia
Imola	Heluetia	Viterbum	Bizantium
Ferraria	Rhetia	Ceſena	Tunetum
Florentia	Franconia	Taurinum	Venetia
Fauentia	Burgum Hiſp.	Vercellæ	Genua
Bergomum	Bononia	Regium	Luca
Lindauia	Senæ	Louanium	Piſæ
Traiectum	Mantua	Brugæ	Mediolanum
Branſuicum	Tarentum	Londinum	Vincentia
Cracouia	Panormum	Maguntia	Brema
Marſilia	Tigurum	Kitzingia	Treueris
Ceſar Auguſta	Lucerna	Hasfordia	Eboracum
	Peruſia	Bamberga	S. Andreas
	Brixia	Norimberga	Lubecum
	Nacernum	Villacus	Magdeburgum
	Metis	Tridentum	Gorlizium
	Herbipolis		
	Caroloſtadium		
	Lipſia		
	Poyna		
	Nouoguardia		
	Planum		
	Sinigallia		
	Salernum		

Digitized by Google

Prouinciæ, Ciuitates, & loca ſubiecta ſignis cæleſtibus.

♌	♍	♎	♏
Caldæa	*Meſopotamia*	*Bactriana*	*Matragonetis*
Phenicia	*Babilonia*	*Caſbia*	*Comagena*
Orchinia	*Aſſiria*	*Theba*	*Cappadocia*
Gallia togata	*Achaia*	*Oaſis*	*Iudæa*
Alpes	*Græcia*	*Trogloditica*	*Idumea*
Italia	*Croacia*	*Aethiopia*	*Gethulia*
Sicilia	*Carinthia*	*Tuſcia*	*Mauritania*
Apulia	*Atheſina*	*Sabaudia*	*Noruegia*
Boemia	*Creta*	*Delphinatus*	*Catalonia*
Damaſcus	*Athenien. Duc.*	*Alſatium*	*Suetia occid.*
Syracuſa	*Galliæ com. pars*	*Sundgauia*	*Bauaria ſuper.*
Roma	*Sileſia infer.*	*Liuonia*	*Algerium*
Rauenna	*Hyeroſolima*	*Auſtria*	*Valentia*
Gimona	*Corinthus*	*Oliſippo*	*Trapezuntis*
Vlma	*Rhodus*	*Arelatum*	*Vrbinum*
Confluentia	*Nouaria*	*Caieta*	*Aquileia*
Praga	*Aretium*	*Lauda*	*Piſtorium*
Lintzium	*Cuma*	*Sueſſa*	*Camerinum*
Cremiſium	*Brundiſium*	*Placentia*	*Taruiſium*
Mantua	*Papia*	*Veldxirchium*	*Patauium*
Cremona	*Sygma*	*Frinburgum*	*Forum Iulij*
	Lugdunum	*Briſgoia*	*Meßana*
	Pariſij	*Argentina*	*Vienna Allobr.*
	Baſilea	*Spira*	*Monacum*
	Heydelberga	*Francf. ad Men.*	*Gedanum*
	Erfordias	*Mala ſuetia*	
	Vratislauia	*Vuimpeno*	
		Heylprunna	
		Friſingia	
		Vienna	
		Roma antiqua.	

Prouinciæ, Ciuitates, & loca ſubiecta ſignis Cæleſtibus.

♐	♑	♒	♓
Arabia felix	*India*	*Oxiana*	*Phazania*
Tyrrhenia	*Atriana*	*Sogdiana*	*Naſamonitis*
Celtica	*Gedroſia*	*Arabiæ deſert.*	*Garamantes*
Hiſpania	*Macedonia*	*Amazonia*	*Lydia*
Dalmatia	*Illyris*	*Sarmatra*	*Pamphilia*
Sclauonia	*Thracia*	*Tartaria mai.*	*Cilicia*
Vngaria	*Boſſina*	*Vallachia*	*Calabria*
Morauia	*Albania*	*Ruſſia rub.*	*Portugallus*
Illyria	*Bulgaria*	*Dania*	*Normandia*
Toletum	*Gracia*	*Suetiæ pars*	*Alexandria*
Volterra	*Lituania*	*Vueſtfalia*	*Hiſpalis*
Mutina	*Saſſonia*	*Pedemontium*	*Compoſtella*
Narbona	*Turingia*	*Bauariæ pars*	*Parentium*
Auenio	*Marchia ſtiriæ*	*Brema*	*Rhotomagus*
Colonia Agr.	*Orcades*	*Amburgum*	*Vuormatia*
Sulgnidia	*Iuliacum*	*Monsferratus*	*Ratisbona*
Rotemburgum	*Clectonia*	*Piſaurum*	
Buda Vngar.	*Berga*	*Tridentum*	
Caſcouia	*Gandauum*	*Salisburgum*	
Ludemburgum	*Oxonia*	*Ingolſtadium*	
Tuberinum	*Brandeburg.*		
Aſti	*Auguſta Vind.*		
Firmum	*Coſtantia*		
	Dirrbona		
	Fauentia		

Digitized by Google

SAturnus ſeptem Planetarum vltimus prope Firmamentum, ſeu ſtellatum Cœlum conſtitutus, ac à terra diſtantiſſimus, Planeta maſculinus eſt, diurnus, dictus Infortuna maior, naturæ humanæ inimicus, qualitatem frigidam, & ſiccam retinens naturali calori, atque radicali humido aduerſam, ex quibus animalia viuunt, & conſeruantur; proprium eſt ei ſuis qualitatibus intemperatis omnia deſtruere, ac labefactare: præter enim actiuas, paſſiuaſque qualitates, vim quamdam veneficam occultam retinet, qua præcipuè noxius obſeruatur. Non negandum tamen ipſum caliditatis aliquid non retinere; cum enim vita ex humido, & calido conſiſtat, ad nulla Saturnus eſset vtilis, ſi calidam aliquomodo vim non reciperet; certumque eſt ad ſationem, arborum inciſionem, aliaque in agricultura conferre; nutrit Saturnus ſcarabeos, ſcorpiones, ſerpentes, viperas, araneas; producit herbas fętidas, metallaque alijs Planetis commixtus; fouetque omnia, quibus dominatur, vt glandes, rutam, cepas, ceruſsam, colocinthidem, aliaque permulta. Verùm calor hic ad humanæ naturæ conſeruationem non eſt ſufficiens, ac generationem, ob id frigidus, ſiccuſque vſurpatur. Significat Saturnus agriculturam, fructus terræ, ædificationem, Architecturam, fodinas metallicas, hæreditates mortuorum, carceres, auaritiam, Hypocryſim, arcana naturæ, ſecreta, res antiquas, prophetiam, auguria, Magiam, ſomnia, ſomniorum interpretationem, paupertatem, profundas cogitationes, ſeueritatem, memoriam tenacem, obſtinationem, in membris virtutem retentricem, ſic loca obſcura, deſerta, cimiteria, aliaque melancholiam in animos generantia. Retinet ſub ſe ſenes, agricolas, Architectos, lapicidas, foſsores metallorum, figulos, coriarios, Heremitas, clauſtrales, Mauros, Iudęos, carceratos, mancipia, pertinaces, inuidos, inſidiatores, ſolitarios, taciturnos, melancholicos. Retardat Saturnus operationes, vel impedit ſua frigiditate: hinc in conſultando eſset idoneus, niſi adduceret timorem; ſuffragatur etiam ſtudioſis, rerumque inuentoribus; ſic dolis, qui indigent perſeuerantia, quemadmodum occultationibus, vt fiant clanculum. Multoties eſt diuitiarum ſignificator, nec credimus immeritò; decernit quippè ſtabilia, fundos, ædificia, in quibus diuitiæ conſiſtunt; parſimoniam, auaritiam, ac tenacitatem diuitiarum cauſa; decernit labores, ac agriculturam; procreat doloſos, rapaces, ac hæreditates impartitur, ex quibus omnibus diuitiæ cumulantur. Dominatur Saturnus in humano corpore melancholiæ, pituitæ crudæ non naturali, dextræ auri, ſpleni, oſſibus, veſſicæ, cartilaginibus, ligamentis: producitque morbos plurimos, quos capite proprio enumerabimus.

Iuppiter à iuuando dictus Planeta maſculinus eſt, diurnus, temperatè calidus, & humidus, naturalique calori, ac humido radicali adſimilis; fortuna maior, humanæ naturæ, atque viuentium auxilium, bonorum omnium auctor, omniumque ſua qualitate benefica moderator. Significat prudentiam, temperantiam, liberalitatem, benignitatem, comitatem, modeſtiam, manſuetudinem, inclinationem ad deuotionem, diuitias, iuſtitiam, leges, mores honeſtos, pacem, honeſtatem, Religionem, dignitates Eccleſiaſticas, commen-

dationes,

dationes, beneficia, ſanitatem, ac animi, & corporis tranquillitatem. Præeſt viris Eccleſiaſticis, Præfectis, Prælatis, Epiſcopis, aut alterius generis Præpoſitis, Aduocatis, nobilibus, diuitibus, magnanimis, verecundis, manſuetis, prudentibus, Religioſis, Præſidibus prouinciarum, ſeu Ciuitatum. Dominatur inter humanis membris iecori, ſanguini, pulmoni, tactui, carni, iecoroſiſque humoribus: procreat morbos, quos ſicut reliquorum Planetarum ſuo loco enumerabimus.

Mars Planeta maſculinus eſt, nocturnus, infortuna minor, qualitate calidus, & ſiccus intemperatè, maleficus, humanę naturę, ac viuentibus inimicus, ſua vredine omnia deſtruens. Significat militiam, bellum, rixas, contentiones, prçlia, mortes, combuſtiones, incendia, prçcipitia, vulnera, carceres, exilia, artem fabrilem, Alchimiſticam, opificia, quę igne exercentur, tyrannidem, violentiam, homicidia, victorias, fortiter geſta. Ex hominibus milites, Duces, Capitaneos, Chyrurgos, Medicos, tonſores, venatores, piratas, prædones, graſſatores, carnifices, contumelioſos, inſidioſos, coniuratos, litrores, fabros, qui ferrum, & ignita opera tractant, bombardarios, fuſores, macheropeos, iracundos, audaces, crudeles, inuerecundos. Dominatur auditui ſiniſtro, renibus, felli, bili, inteſtinis, ac ſedi.

Sol vita animantium, ex quo Aſtra omnia lumen recipiunt, ac in motu regulantur: diſponitque Planetarum vices, qui ſub eius radijs fuerint combuſti, Planeta maſculinus eſt, diurnus, calidus, & ſiccus; infortuna per corporalem coniunctionem, fortuna per aſpectum. Significat claritatem ingenij, animæ elationem, maieſtatem, liberalitatem, nobilitatem, magnanimitatem, fortitudinem, potentiam, dominium, ſplendorem, honores, dignitates, Magiſtratus, Reſpublicas, Regna. Præeſt Regibus, Principibus, Magnatibus, Magiſtratus gerentibus, ſplendidis, claris, prouidis, honorum cupidis, ambitioſis, elatis. Dominatur in humano corpore, oculo dextro, cordi, arterijs, & in eis contento ſanguini ſpirituali; regitque vitalem potentiam, vitaleſque ſpiritus.

Venus fortuna minor Planeta femineus eſt nocturnus, calidus, & humidus temperatè, natura beneficus. Significat mulieres, Muſicos, Poetas, Pictores, artifices rerum ad voluptatem pertinentium, manſuetos, libidinoſos, voluptatibus deditos, ſaltatores, delitiarum, & conuiuiorum appetentes: Muſicam, delitias, otia, conuiuia, amores, choreas, luxum, libidinem, nuptias, dotes, ornamenta, miſericordiam, affabilitatem, vrbanitatem, pulchritudinem, donationes ab amicis, aut mulieribus, res prætioſas, amicitias. Dominatur guſtui, olfactui, vaſis ſeminarijs, ſemini, pudendiſque vtriuſque ſexus.

Mercurius ancipitis eſt naturæ, cum bonis bonus, cum malis malitiam adauget, qualitateſque retinet pro natura Planetarum, quibus commiſcetur; ob frequentem tamen combuſtionem, & ſolis vicinium ſiccus eſt. Regit philoſophos, mathematicos, arithmeticos, mercatores, nuncios, tabellarios, ſcriptores, Cancellarios, notarios, procuratores, literatos, artifices omnis generis, librarios, ingenioſos, ſagaçes, calidos, inſtabiles. Sic contractus, negotiationes, ſtudia honeſta, merces, ſcholas, epiſtolas, artes omnes, quæ verſantur in contemplatione ingenij, inuentionem nouarum artium, curioſitatem, diuinationem, & ſimilia. Dominatur verò linguæ, ſermoni, phantaſiæ, neruis,

menti,

Digitized by Google

menti, rationi, ſpiritibus digitis.

Luna luminare minus humidiſſima eſt, præcipuè in quadraturis cum Sole ; quando terris eſt propinquiſſima; & excalefacit adiuta ſolis radiis: fœmmina, nocturna; nullam in ſe lucem retinens, niſi eam, quam à ſole recipit. Significat mulieres, plebem, nautas, piſcatores, Legatos, nuncios, peregrinos, qui ſunt in aſſiduo motu; mare, flumina, inſulas, puteos, paludes, nauigationes, legationes, itinera, peregrinationes, rumores, literas, ſtudium hiſtoriarum, fluxus, & affluxus maris, vagabundos, puſillanimos, animi, & corporis affectiones. Præeſt Luna cerebro, & eius parti ſenſitiuæ, oculo ſiniſtro, pituitæ naturali, multæ, aut paucæ, prout fuerit aut plena, aut deficiens.

Præter Planetas obſeruant Aſtrologi Nodos lunares, interſectiones videlicet orbis deferentis lunæ cum Ecliptica, & via Solis; ſectionemque in parte Boreali vocant Nodum Boreum, euehentem ſeu Caput Draconis ☊. interſectionem verò in parte Auſtrali Nodum Auſtrinum, deprimentem, & Caudam Draconis ☋. Caput Draconis conſtituunt de natura Iouis, & Veneris. Caudam verò de natura Saturni, ac Martis, atque maleficam.

Reliqui Planetæ etiam ſicut Luna hos Nodos, ac interſectiones eorum orbium cum ecliptica retinent, quo loco nullam retinent latitudinem & noſtro æuo his locis in Zodiaco conſtituunt.

☊	♄	♋	☋	♑
☊	♃	♋	☋	♑
☊	♂	♊	☋	♐

Veneris autem, & Mercurij vt velocius mobiles hi Nodi aſſiduò ſubeunt variationem.

Diſtantes maximè ab his interſectionibus Planetæ, maximam obtinent latitudinem, quam libuit hic apponere.

	Latit. maxima Boreal.		*Latit. maxima Merid.*	
	G	M	G	M
♄	2	43	2	49
♃	1	38	1	40
♂	4	31	6	47
♀	9	3	9	3
☿	3	33	3	33
●	5	17 $\frac{1}{2}$	5	17 $\frac{1}{2}$

DE ASPECTIBVS, DIGNITATIBVS, ALIISQVE Planetarum paſſionibus. Cap. III.

PLanetæ poſſunt inter ſe coniungi, opponi, configurarique aſpectu trino, quadrato, ſextili, ac etiam ex nobis quintili.

Co-

Coniunctio, congreſſus, coitus, ſeu ſynodus eſt, quando ſtellæ reperiuntur in eiſdem Zodiaci partibus. ☌

Oppoſitio, ſeu radius diametralis, cùm diſtant ſtellæ per circuli medietatem, ſex ſigna, ſeu gradus 180. ☍

Radius trinus, triangularis, trigonus, cùm diſtant per tertiam partem circuli, ſigna quatuor, & gradus 120. △

Quadratus, quadrangularis tetragonus, cùm adfuerit diſtantia per circuli partem quartam, tria ſigna, ſeu gradus 90. □

Sextilis, ſexangularis, hexagonus, quando diſtant per ſextam circuli partem, duo ſigna, & gradus 60. ⚹

Quintilis, cum diſtant per quintam circuli partem ſeu gradus 72. hoc charactere placuit ſignari. □

Inter hos aſpectus, ſeu radios, alij ſunt dextri, qui ſcilicet tendunt contra ordinem ſignorum, alij ſiniſtri, & ſecundùm ordinem ſignorum; dextri ex ♎ in ♋, ſiniſtri ex ♋ in ♎ pro exemplo. Dextri ſunt ſiniſtris validiores. Aſpectus alius partilis, alius platicus. Partilis quando ſtellæ diſtant ad vnguem tot gradibus, quot pro aſpectu requiruntur; vt pro ſextili grad. 60. pro quadrato 90. pro oppoſitione 180. pro trino 120. pro quintili grad. 72. Platicus verò, qui etiam vocatur radius ad orbem, cum Planetæ non ſe ex eiſdem gradibus intuentur; vt v. g. vnus nõ ſit in gr. 12. ♈ alter in 12. ♋ ſed alter in pluribus, aut paucioribus, ita tamen vt nõ excedat quantitatem lucis ſui orbis; vt ſi Mars ſit in grad. 10. ♈, Iuppiter in 16. ♋ dicentur ſe reſpicere de quadrato platicè quantum verò extendatur quantitas lucis adeſt tabella.

	G	
♄	10	0
♃	12	0
♂	7	30
☉	17	0
♀	8	0
☿	7	0
☽	12	30

	G	M
Primæ magnit.	7	30
Stellæ fixæ 2. magnit.	5	30
3. magnit.	3	40
4. magnit.	1	30

Platicus hic aſpectus diuiditur in applicationem, & defluxum. Applicatio dicitur, quando Planeta velocioris motus accedit ad alium tardioris. Defluxus, ſeu ſeparatio, quando Planeta motus velocioris eſt in pluribus gradibus, & in dies ſeparatur à Planeta motus tardioris; quod poteſt pluribus modis accidere, vt apparet in ephemeridibus.

Receptio Planetarum eſt quando reperiuntur in alterius dignitatibus, tunc alter dicitur Planetam alterum recipere. Planeta peregrinus dicitur, quando reperitur in loco vbi nullam obtinet dignitatem.

Vacuus curſu dicitur, cum ab aliquo ſeparatur, nec deinde applicatur alteri, quæ paſſio in Luna præcipuè obſeruatur.

Dicitur eſſe Planeta in ſuo Hayz quando Planeta maſculinus, & diurnus de die eſt ſupra terram in ſigno maſculino; & nocturnus de nocte ſub terra in ſigno fœminino.

Saturnus, Iuppiter, Mars, dicuntur Planetæ ſuperiores, eo quòd ſint collocati

locati

Digitized by Google

locati ſupra Solem; Mercurius, Venus, Luna inferiores.

Planetæ ratione Solis dicuntur ſub radijs, combuſti, & in corde Solis. ſub radijs, quoties à Sole non diſtiterint minus grad. 17. quantum ſolares radij extenduntur. Combuſti dicuntur ab antiquis, quando diſtant à Sole minus medietate lucis ſuorum orbium; vt Iuppiter infra ſex gradus à Sole eſt combuſtus. In corde verò Solis, quando non diſtiterint à Sole plus minut. 19. per aggregatum ſemidiametrorum Solis, & diſci Planetarum.

Superiores ſunt orientales ♄ ♃ ♂ à coniunctione cum Sole vſque ad oppoſitionem. Occidentales, quando Solem ſequuntur ab oppoſitione, quouſque Soli coniungantur. Venus, & Mercurius dicuntur Orientales, cum Solem præcedunt, & ſunt in ſecunda medietate epicyclorum; Occidentales, ſequentes Solem in prima medietate epicycli. Luna eſt Orientalis ab oppoſitione ad coitum; Occidentalis, à coniunctione ad oppoſitionem.

Planetæ dicuntur aucti lumine cùm recedunt à Sole, vel Sol recedit ab ipſis; minuti lumine, quando accedunt ad Solem, vel Sol illos inuadit.

Tardi motu, vel veloces dicuntur reſpectu eorum motus medij. Si namque verus eorum motus fuerit medio maior, dicuntur veloces: ſi minor tardi. Directi, quando incedunt ſecundum ordinem ſignorum. Retrogradi, cum contra dictum ordinem gradiuntur.

Motus medij Planetarum.

	G	M	Sec.
♄	0	2	0
♃	0	4	59
♂	0	31	27
☉	0	59	8
♀	0	59	8
☿	0	59	8
☽	13	10	35

Ex Ptolemæo, ac alijs, vſurpatur ſæpè hoc nomen eleuationis, abſque alia declaratione; hinc ſciendum quatuor modis poſſe intelligi Planetam ſuper alium eleuari.

Primò reſpectu ſuorum orbium, cum in Apogeo conſtituti Planetæ dicantur eleuati, & in altiori loco; è contra in Perigeo. Secundò ratione latitudinis, nam aſcendentes magis ad Boream eleuati ſunt ſupra remotiores à dicta plaga. Tertiò cum Planetæ coniunguntur, Occidentalior, & tardioris motus dicitur eleuatus ſupra reliquum. Quartò habita ratione figuræ cœleſtis; accedentes namque propius ad Meridianum exaltati, & eleuati dicuntur.

Dignitates Planetis tribuunt Aſtrologi alias eſſentiales, alias accidentales. Eſſentiales quæ eis conueniunt ratione eſſentiæ, ac naturæ, ſiue ſignorum, & ſtellarum de eorum natura: Accidentales verò, quæ non ijs inſunt primariò, & ratione ſuæ eſſentiæ, verùm aliunde adueniunt, vel reſpectu loci Cœli, diſtantiæ à Sole, collatione cum Planetis reliquis, vel alio modo. Planetæ in ſuis dignitatibus validiores effectus producunt in eorum ſignificatis; Sicut è contra debiliores, conſtituti in oppoſito ſuarum dignitatum.

Eſſentiales quinque ſtatuuntur. Domus; exaltatio, ſeu altitudo; Trigonus, ſeu triplicitas; terminus, ſeu finis; & perſona, ſeu facies: de quibus latè in ephemeridibus.

Ta-

Tabella Dignitatum Planetarum.

	Domus.		*Exaltatio.*	*Trigoni.*	*Fines, ſeu termini Aegyptiorum.*									
♈	♂	D	☉	☉ ♃	6	♃	12	♀	20	☿	25	♂	30	♄
♉	♀	N	☽	♀ ☽	8	♀	14	☿	22	♃	27	♄	30	♂
♊	☿	D		♄ ☿	6	☿	12	♃	17	♀	24	♂	30	♄
♋	☽	N	♃	♂ ♀ ☽	7	♂	13	♀	19	☿	26	♃	30	♄
♌	☉	D		☉ ♃	6	♃	12	♄	18	♀	24	☿	30	♂
♍	☿	N	☿	♀ ☽	7	☿	17	♀	21	♃	28	♂	30	♄
♎	♀	D	♄	♄ ☿	6	♄	14	☿	21	♃	28	♀	30	♂
♏	♂	N		♂ ♀ ☽	7	♂	11	♀	19	☿	24	♃	30	♄
♐	♃	D		☉ ♃	12	♃	17	♀	21	☿	26	♄	30	♂
♑	♄	N	♂	♀ ☽	7	☿	14	♃	22	♀	26	♄	30	♂
♒	♄	D		♄ ☿	7	☿	13	♀	20	♃	25	♂	30	♄
♓	♃	N	♀	♂ ♀ ☽	12	♀	16	♃	19	☿	28	♂	30	♄

Pro colligendis Planetarum aſpectibus facili via libuit Tabellam hic inſerere dictam Speculum Aſtronomicum, ac pro exemplo figuram Cœleſtem, in qua Planetæ ſint collocati, vt vides; elicientur enim aſpectus omnium, in quibus ſignis incidant, vt Saturnus, qui eſt in gr. 10. min. 30. ♌ retinebit ſuos ſextiles ſiniſtros in gr. 10. min. 30. ♎; dextros in gr. 10. min. 30. ♊; ſic quadratas radiationes in gr. 10. min. 30. ♏, ♉; trinos radios in gr. 10. min. 30. ♈, ♐; oppoſitionem verò in grad. 10. min. 30. ♒.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓				
△	□	✶		♄		✶	□	△		☍		♄	10	30	♌
	△	□	✶		♃		✶	□	△		☍	♃	15	2	♍
☍		△	□	✶		♂		✶	□	△		♂	8	52	♎
☍		△	□	✶		☉		✶	□	△		☉	7	43	♎
	△	□	✶		♀		✶	□	△		☍	♀	12	28	♍
	☍		△	□	✶		☿		✶	□	△	☿	0	30	♏
△		☍		△	□	✶		☽		✶	□	☽	22	34	♐
☊						☋						☊	8	30	♎
	⊗											⊗	22	33	♉

De duodecim Cœleſtibus domibus.

Meridiani circuli, ac Horizontis ope diuiditur Cœleſtis figura in duodecim domicilia, & quatuor quadrantes, cuius quilibet tria continet; quæ vocant Aſtronomi domus, manſiones, dodecatemoria.

Primus quadrans ab Oriente vſque ad Medium Cœli, ſeu lineam meridianam complectitur domos duodecimam, vndecimam, & decimam; vocaturque quadrans Vernalis, maſculinus, puerilis, ſanguineus. Secundus a Medio Cœli ad Occidens retinet nonam, octauam, ac ſeptimam, æſtiuus, meridianus, fęmineus, iuuenilis, cholericus. Tertius ab Occaſu ad Imum Cœli continens ſextam, quintam, ac quartam, Occidentalis, autumnalis, maſculinus, melancholicus, frigidus, & ſiccus, virilis. Quartus ab Imo Cœli ad Oriens retinens, tertiam, ſecundam, & primam fęmineus, ſeptemtrionalis, Hyemalis, phlegmaticus, ſenilis.

Domorum aliæ angulares, vt prima, decima, quarta, ſeptima. Aliæ ſuccedentes, vt ſecunda, octaua, quinta, vndecima. Aliæ cadentes, vt tertia, nona, ſexta, duodecima. Succedentes vocantur anaphoræ, cadentes cataphoræ.

Diuiditur etiam Cœlum in duas partes, Aſcendentem à quarta domo ad Medium Cœli; & deſcendentem à decima ad quartam per viam Occidentis, de quibus alibi fuſius pertractatur.

Figura

Figura Cœleſtis cum ſuis ſignificatis.



Luculentius ſignificatata habentur in Iudicio directionum inferius.

Digitized by Google

De Affectionibus alijs Planetarum.

SAturno ſunt amici Ippiter, & Mercurius. Inimici Mars, & Venus. Ioui ſunt amici Saturnus, Sol, Venus. Inimici Mars, Mercurius. Marti amica Venus. Inimici reliqui.

Soli amici Saturnus, Venus, Iuppiter, Mercurius. Inimici Mars, Luna.

Veneri amici Iuppiter, Sol, Mars, Luna. Inimicus Saturnus.

Mercurio amici Iuppiter, Sol. Inimici Mars, Iuppiter.

Lunæ amici Venus, Iuppiter. Inimicus Sol.

Planetæ conſtituti in ſuis domicilijs decernunt Natos exiſtimari à ſuis, & inter propinquos; amatores quietis in patria, & vt plurimum gauiſuros fælicitate; dummodo non fuerint alia in Genituris contraindicantia.

In ſuis exaltationibus honores impartiuntur, & gloriam à conſanguineis, nec non etiam exteris.

In proprijs Trigonis demonſtrant Natos quietos, & amatores, rerum omnium quamdam [illegible]

In ſuis finibus variam tribuunt fortunam, frequentemque ſtatus, & conditionis mutationem.

Planetæ peregrini maiorem afferunt fortunam extra patriam, quàm in patria; verùm à maleficis afflicti, vel alio modo malè conſtituti nullibi omnino bona pollicentur.

Cadentes demonſtrant itinera, peregrinationes, malè affecti exilia; vt plurimùm autem inconſtantiam in omnibus, ſicut in honoribus, & exaltationibus incommoda; Natoſque abiectos, & ab alijs ſpernendos.

Retrogradi ſuperiores pertinaciam afferunt; etſi omnes tres fuerint retrogradi adeo Natos pertinaces indicant, quòd pro ſtolidis habentur, & fatuis: quique ſemper contentionibus ſint impliciti, & cum difficultatibus ſummis negotia ad finem perducentes.

Inferiores Venus, & Mercurius retrogradi producunt Natos anxios, curioſos, diffidentes de ſemetipſis, propriaſque actiones negligentes.

Stationarij Planetæ dant ferè homines cogitantes.

Operantur etiam Planetæ vt plurimum in his, quæ generaliter ſigna diſponunt, in quibus fuerint conſtituti.

Diſponit Aries vitam. Libra diuitias.

Taurus labores. Scorpius animi ſollicitudinem.

Gemini induſtriam. Sagittarius audaciam, & promptitudinem.

Cancer negotiationem, & patrimonia. Capricornus dignitates, & regnum.

Leo vires, & tolerantiam. Aquarius perſeuerantiam, & partorum retentionem.

Virgo finem laborum, & abſolutionem operum. Piſces delitias, & voluptates.

Digitized by Google

DE STELLIS FIXIS. Cap. IV.

STellæ fixæ in Firmamento in ſex magnitudines diuiſæ numerantur ratione earum diametri apparentis, vt in earum Catalogo conſpicitur.

Primæ magnitudinis ſunt.

Cauda Leonis.	Acarnar, extrema Eridani.
Arcturus, Bootes.	Canis Syrius.
Vultur cadens, Lyra.	Canis Procyon.
Pallilitium, oculus Tauri.	Cor Hydræ.
Cor Leonis, Regulus.	In ſummo pedis dextri Centauri.
Spica Virginis.	Fomahant, vltima in eſſuſione aquæ Aquarij.
Antares, Cor Scorpij.	

Regiæ ſtellæ.

Regulus	Hercules
Pallilitium	Spica Virginis
Antares	Luminoſior lancis Auſtralis.

Mouentur fixæ in firmamento motu primo ex Oriente in Occaſum ſpatio horarum vigintiquatuor, & motu proprio, ac ſecundo ex Occidente in Oriens ſuper Polis Eclipticæ ſingulis annis ſecundis 51. & vnico gradu in annis 70. Sunt de natura Planetarum, Iouiales, Saturninæ. Martiales, Venereæ Mercuriales, & multæ naturæ mixtæ ex diuerſis Planetis: influxuſque diffundunt in hæc inferiora pro qualitate Planetarum, quorum fuerint naturæ, propitios, vel infauſtos, repertæ in Aſcendente, Medio Cœli, vel alio domicilio, aut eorum dominis, vel iunctæ Soli, Lunæ, reliquiſque Planetis.

Saturninæ & de natura abſolutè Saturni influunt, quæ diximus de Saturno cap. præcedenti, inuidiam, auaritiam, pertinaciam, labores, pericula, caſus ab alto, in aquis, carceres, & reliqua ſimilia; profundas meditationes, ſuperſtitionem, egeſtatem, odia mulierum; Natos decernunt triſtes, auaros, pigros, turpes, laborioſos; ſicut aliquando cum auxilio beneficorum pollicentur hæreditates, & alia, quæ ſuo loco dicemus.

Iouiales bonos mores influunt, iuſtitiam, verecundiam, fidelitatem, magnanimitatem, deuotionem, & huiuſmodi, tribuuntque honores, & diuitias.

Martiales iram, vindictæ deſiderium, rixas, contentiones, homicidia, exilia, carceres, pericula violentiæ, mala ab animalibus, itinera; bona tamen ex cauſis Martialibus, vel mala ſi à maleficis fuerint adiutæ.

Venereæ, & Mercuriales ea decernunt, quæ ſupra de Mercurio, & Venere diximus; Venereæ circa voluptuoſa; Mercuriales actiones, & ingenium. obſeruationibus cæterum hæc produntur.

Stellæ Saturninæ, & Iouiales, in quibus vterque Planeta vires retinet, optimum præbent hominibus iudicium, & conſilium; faciunt prudentes, magnanimos, compoſitos, dant diuitias, & hæreditates benè conſtitutę.

Saturninæ, & Martiales Natos prędicunt proditores, loquaces, pertinaces, iracundos, immoderatos in omnibus, ſeditioſos, temerarios, plurimis intentos, etiam ſuperuacaneis, fraudolentos, crudeles, ſi cum Luna, Aſcen-

 dente,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dente, vel Domino Aſcendentis fuerint; Idoneos tamen artibus.

Saturninæ, & Venereæ influunt odium in mulieres, maledicentiam, inuidiam, ſolitudinem, zelotypiam; fortunam mediocrem in diuitijs, auaritiam in rebus honeſtis, prodigalitatem in turpibus.

Saturninæ, Mercuriales dant aptitudinem ad ſtudia, optimum ingenium, licet ad maledicentiam propenſum; inſidias, deluſiones, furta; prudentiam cum vitijs, & odio; profundum ingenium; ſed non aptum ad perſuadendum.

Iouiales, & Martiales honores, diuitias, & felicitatem impartiuntur; in Principibus tamen aliquando infortunium, cum faciant præcipites. Decernunt Natos ſe ipſos ad maiora euehentes, prudentes in vindicta, ingenio militari, crudeles, Primatum affectantes, audaces, fortes, fortunatos, promptos, aptos adminiſtrationibus; & in his nihil mediocre, pręter mores.

Iouiales, & Venereæ prębent formoſitatem, probitatem, honeſtatem, pietatem, iuſtitiam, fidelitatem, amicitias, honores, diuitias, amores mulierum, dignitates.

Iouiales, & Mercuriales ſunt fauſtę pro diſciplinis, adminiſtrationibus, honoribus, fortunis, linguarum peritia, calliditate, prudentia politica, ingenio, conſilio: licet non pro vitę felicitate.

Martiales, & Solares faciunt audaces, crudeles, felices, aut infelices prout fuerint cum maleficis, aut beneficis. Cum Luna, Sole, Marte, aut Domino Aſcendentis dant pericula ex igne, etiam ex fulgure. Vt plurimùm faciunt ad ſcientias ineptos, turpes, oculorum vitijs afflictos.

Martiales, & Venereę repentinas, & magnas aliquando dant felicitates ſi à beneficis foueantur: hęreditates, diuitias, earum magnum deſiderium, libidines, voluptates incontinentes, gaudia, quamuis malos mores. Aliquando cum maleficis infortunia, caſuſque violentos ob Venerea.

Martiales, & Mercuriales producunt feſtiuos, lingua promptos, doloſos, mendaces, fures, inſidiatores, proditores, luſores, falſarios, inſtabili fortuna, curioſos: Bonaque tribuunt in opificijs, in reliquis nocent niſi in bello.

Martiales, & Lunares dant vitia in oculis paupertatem, labores, infamiam, violentiam, vel mortem repentinam, itinera, exilia; faciunt multoties ebrios.

Venereę, & Mercuriales addunt gratiam in artibus, & ſcientijs cum Sole, Luna, Medio Cœli, Aſcendente, vel eius domino; prębentque calliditatem in excogitandis voluptatibus. Plurima habentur pro ratione qualitatum eorum influxuum capitibus Iudiciorum proportionatis.

De Significatis Planetarum in domibus Cœleſtibus.

PRima domus, Horoſcopos, Aſcendens, Oriens, ſeu angulus orientalis ſignificat vitam Nati, vitę periodum, corporis temperaturam, corporis accidentia, animi qualitates, quę corporis temperaturam ſequuntur: Caput, faciem cum ſuis partibus, ac morbos, qui in illis contingunt.

♄ Saturnus in dicta prima domo conſtitutus facit Natum primogenitum, vel abſolutè, vel ex morte aliorum: qualitatibus melancholicis turbat animum, & corpus: in actionibus adducit difficultates: corpus reddit aliquo modo deforme, niſi in ſuis dignitatibus reperiatur: in quibus ſi perſiſtat omnia

erunt

Digitized by Google

erunt debillora, in prima ętate multas erumnas pręſtat, in ſecunda facit indigere.

♃ Iuppiter in prima domo longum decernit, ac proſperum vitę terminum: producit corpus ſanum, pulchrum, ac proportionatum, mores honeſtos tribuit, reddit Natum prudentem, pium, iuſtum, honeſtum: & multoties Natum facit primogenitum, pręcipuè in nocturna Genitura.

♂ Mars peregrinus, & extra ſuas dignitates Natum demonſtrat vt plurimum, breuis vitæ, morbis, ſicut extrinſecis cauſis aduerſis conflictandum, audacem, callidum, rixoſum, infeſtantem, iracundum, delictis propenſum, litigioſum, diſcordias ſeminantem, periculis expoſitum, in praua exiſtimatione conſtituendum, prodigum, deſtructorem rei familiaris, itineribus deditum; in facie, aut capite, cicatrice, vel vulneribus affligendum. Cæterum Mars in ſuis dignitatibus prædicit in armis, ac re militari fortunatos, & adminiſtrationes impartitur: vt plurimùm tamen cerebrum excalefaciendo fluxiones, & deſtillationes demonſtrat præter animi motus violentos.

☉ Sol facit primogenitum ex ſe, vel per mortem aliorum; aut ſaltem inter fratres digniorem, honorabilioremq; tribuit altioris ſuæ progeniei gradum exaltationis, dominium ſuper alios, & authoritatem, honores, dignitateſque à Principibus, incrementum diuitiarum, vitam longam, vitaliſque potentiæ robur.

♀ Venus facit Natum voluptuoſum, luxui deditum, corporis pulchra conſtitutione, longæ, ac ſanæ Vitæ, ęgritudinibus paucis obnoxium, voluptates omnis generis amantem; ſicut corporis ornatum, & quæ in Vita conſiſtunt gaudia, choreas, conuiuia, ſocietates, Muſicam, res odoriferas, delitias, amores, ac huiuſmodi. Natus erit elegans, placidis moribus, voluptuoſis opificijs addictus, Muſicæ, picturæ, poeſi; facie pulchra, venuſtis oculis, decoro aſpectu, à Mulieribus, ac maiori parte diligendus.

☿ Mercurius producit Natum membrorum gracilium licet benè proportionatum, reddit ipſum ingenioſum, ſapientem, ſcientificum, prudentem, diſcretum, callidum, cogitationis profundæ, memorię longę, facilè addiſcentem, etiam abſque Magiſtri opera, ex quibus gloria conſurget, & honor; Delectabitur Mathematicis, Muſica, Geometria, Arithmetica, Aſtronomia, mercatura, rebus ſculptis, monetis, ſcripturis, atque huiuſmodi. Erit loquelæ multæ, precipuèque cum Martis aliquo aſpectu; qui ſi erit quadratus, vel oppoſitus, vulnera in capite decernet: ſicut Natum malorum morum procreat, furem, maledicum, ſermone alios infeſtantem, inſtabilem, mendacem. Si verò Mercurius fuerit cum radio aliquo Saturni benefico, vel in dignitatibus Saturni ſcientias plurimas, acreque ingenium impartitur.

☽ Luna in prima domo propellit Natum ad mutationes, & itinera; tribuit inconſtantiam, ac animum ad varia conuertibilem, variò vagantem, varijs negotijs ſemper implicitum; Natum ſani corporis, pinguis, phlegmaticum, colore vt plurimum flauo, candido, cum maculis quibuſdam in facie. Cæterum Principum fauoribus, atque diuitijs decorandum, & ſuperioratum aliquando obtinentem, & dignitates.

☊ Caput Draconis dat honores, fauores, & diuitias à Magnatibus, præ-

Digitized by Google

cipueque eccleſiaſticis, fortunam, dominium, fouetque vitam.

☋ Cauda Draconis ſemper mala adducit; impedimenta nempe animi, vel Corporis; vel enim anguſtias, tribulationes, damna, & perniciem affert, vel corpus aliquo vitio deformat, vel oculos aliquo affectu moleſtat.

⊗ Pars fortunæ in prima Natum diuitijs cumulandis deditum ſignificat: ſuoque labore, ac induſtria, fortunam in illis tribuit, ſi aliquo benefico Veneris, aut Iouis radio irroretur: è contrà difficultates adducit, ſi à Marte, vel Saturno affligatur: quod intelligendum etiam eſt in conſtitutione eiuſdem Partis fortunæ in alijs domicilijs.

De Domo Secunda.

Domus ſecunda vocata Porta inferna, Anaphora, ſuccedens Horoſcopo ſignificat, quæ vitæ neceſſaria ſunt, ſubſtantias, opes, ſupellectilia, bona mobilia, nummos, lucra, cenſus, mercaturas, & ſimilia: in quo domicilio.

Saturnus defectum tribuit diuitiarum, impedimenta in lucris, paupertatem, diuitiarum ablationem, inuidias plurimas, Natum derelinquendum ab amicis, pericula caſus ab alto. In ſuis tamen dignitatibus omnia modetatur, facitque diuites, verùm auaros, ſordidos, atque in actionibus tardiſſimos.

Iuppiter affluentem tribuit diuitiarum fortunam, præcipuè ex parte eccleſiaſtica: ac præterea ingenium producit optimum, & ad actiones diſpoſitionem, ſicut multoties ſacerdotia impartitur.

Mars ſignificat anguſtias, & perturbationes in diuitijs, calamitates, egeſtatem, rei familiaris dilapidationem, paupertatem, damna à ſeruis, furtis, ludis, aliiſque ſignificatis Martialibus; itinera, & aliquando vulnera.

Sol Natum diuitias cumulaturum decernit, ſtatumque diuitiarum ſplendidum; ac eas continuatas: licet diſpendia plurima cauſa honoris, ac magnanimitatis. Ex obſeruationibus verò ſol in ſecunda oculos pulchros producit.

Venus in diurna genitura tardum tribuit matrimonium. Cæterum diuitias ſemper impartitur, vel eccleſiaſticas, vel cauſa mulierum; prædicitque Natos elegantes, licet voluptatibus deditos, ac Concubinarios, ſæpè verò quorum vxores repentino caſu moriantur.

Mercurius reddit Natos ingenioſos, excellentes in Mechanicis, pictores, ſculptores, ſcriptores, artes facilè diſcentes, fortunatos in mercibus, ac ſcripturis, ex quibus, ſicut ex ingenio, & induſtria opes maximas congregabunt. Tribuit honores, & authoritatem apud Magnates, precipuè cum congreſſu, aut radio Planetarum beneficorum.

Luna perpetuam ſtatus mutationem influit circa diuitias: nunc proſperum; nunc infauſtum: modò affluentias, modò egeſtatem, nunc fortunas à Principibus, nunc ex alijs cauſis diuitiarum amiſſionem.

Caput Draconis numquam Natos patitur pauperes; dat diuitias, hæreditates, fortunam proſperam in diuitijs, præcipuè ex re eccleſiaſtica.

Cauda Draconis damna tribuit, fortunamque ſemper aduerſam in diuitijs: nec non pericula caſus ab alto.

Pars

Pars fortunæ in ſecunda ſtatum proſperum prædicit in diuitijs ex negotijs, ludis, ac huiuſmodi, dummodò à maleficis non infeſtetur; & meliora cum teſtimonio beneficorum.

De Tertia Domo.

TErtia domus cadens ſignificat fratres, ſorores, affines, conſanguineos, itinera parua, breuia, fidem, religionem paruam. In qua Saturnus nocet fratribus; vel enim fratres prohibet, vel odia inter fratres, aut ſorores ſuſcitat. Affert pericula, diſplicentias in paruis itineribus; facit Natos tardos in actionibus, pauperes, peccantes in fide, & religione, Hypocritas, ac huiuſmodi, ſycophantas.

Iuppiter fortunatos fratres tribuit, & propinquos; in itineribus proſperitatem, & tranquillitatem; Natos facit credulos, deuotos, religioni addictos, ac conſcientiæ bonæ.

Mars pericula, & aduerſitates infert in itineribus, latronum inſultus, pericula ex animalibus, præcipitia. Odia excitat inter fratres, vel eos denegat, vel eorum mortes, ſeu infortunia decernit; reddit Natos incredulos, blaſphematores, abſque ſacrorum timore. In ſuo domicilio rixas, & aliquando mortem, & interfectionem fratrum minatur. In domo Veneris dat fratres, & ſorores, ex quibus Natus gaudebit. In domo Iouis dat diuitias, & negotia plurima. In domo Mercurij facit ingenio acutiſſimos, ſed criminalibus accuſationibus, inuidijſque expoſitos. In domo Saturni dat abſcondita, & theſauros. In domo Solis (ſi adſit Lunæ radius) facit latrones, deceptores. In ſuo domicilio cum aſpectu prauo Mercurij facit fratricidas. Semper tamen Mars in tertia labores plurimos portendit; prędicitque Natos conſcios occultorum facinorum.

Sol in tertia itinera demonſtrat, fratres nobiles tribuit, adminiſtrationes, officia à Principibus, ac magnatibus, ſæpèque religionis vinculo addicit.

Venus decernit religioni Natos addictos, abſtinentes à delictis, fideles; verùm ſimulantes; Fratres, ac Sorores tribuit venuſtas, amorem inter eos, & in itineribus paruis fortunam proſperam.

Mercurius dat propenſionem ad Mathematicas. Fortunatus fortunam in intineribus, è contra verò afflictus à maleficis; ſicut in rebus eccleſiaſticus, & fratribus. Cum Ioue, & participatione Saturni facit doctiſſimos, nouarumque rerum inuentores. Cum Venere Muſicos præcipuè in Libra, aut Geminis, ſapientes, ac ob id aliquando tribuit æducationem Infantis, inclinat ſępiſſime ad religionem.

Luna plurima dat itinera, cum fratribus, ac ſororibus tranquillitatem, fratres plures, & ſorores; bona ex Conſanguineis religionem, officia à Principibus, & gaudia cum diuitiarum incrementis.

Caput Draconis dat religionem; in religione humores, & exaltationem; fortunata itinera, fratres fortunatos, nobilioreſque Nato.

Cauda Draconis infortunat itinera: deſtructionem fratrum, & ſororum minatur, lites ſuſcitat cum conſanguineis, aut fratribus.

Pars fortunæ plura decernit itinera, ac cum mora, inclinat ad religionem fortu-

Digitized by Google

fortunam præſtat in itineribus, in tractatibus cum fratribus conſanguineis, ac religioſis.

De domo Quarta.

QVarta domus, Imum Cæli, ſeu angulus ſeptemtrionalis ſignificat Patrem, Auos, bona ſtabilia, prædia, fundos, agros, caſtella, Vrbes, theſauros, fodinas metallicas, agriculturam, ædificia, hæreditates, res antiquas. Inqua

Saturnus deuaſtat ſtabilia, dat etiam Patris mortem, iacturam patrimonij; prædicit etiam vitam breuem Matris. In genitura diurna facit nimium pecuniarum auidos, ſicut in nocturna prodigos. Potens Saturnus in ſuis dignitatibus hęreditates impartitur, bonaque ex agricultura, terræ fructibus, ſtabilia; nec non Matri vitam longam, & fortunam.

Iuppiter diuitias ex hereditatibus pollicetur, & aliquando ex abſconditis, fortunam proſperam cum Principibus, diuitias ſine labore, incrementum Patrimonij, Patrem honoratum, longęuum, felicitatemque proceſſu temporis. Facit laudandos poſt mortem, ſepeliendos loco honorato cum pompa, legumlatores. Iuriſconſultos, Præfectos Reipublicæ, in Magiſtratibus conſtituendos, & honoribus; & multoties Sacerdotes.

Mars decernit Natos homicidas, ſanguinis effuſores, calamitoſo exitui ſubiectos, dat ſtabilium deſtructionem, Patris mortem citam; lites, & tribulationes cum Patre, pericula ex igne, vulnera, moleſtias, ac damna ab vxoribus; malam famam poſt mortem, violenti exitus diſcrimina, pedum vitia adducit.

Sol tribuit ſtabilia, theſauros, laudes, gloriam, dignitates in ſenio; laudes etiam poſt mortem, lucra in ſenectute, apparitiones rerum futurarum, reuelationes arcanorum, honores ex actionibus. Patris ſtatum honorificum niſi affligatur à Marte, aut Saturno; quo caſu Patris mors repentina demonſtratur.

Venus hęreditates tribuit ſtabilium, ac diuitias; Parentes honoratos, gratiam apud Magnates, vxores morigeras, laudatumque Vitę exitum.

Mercurius optimam præbet memoriam; decernit artifices celebres, acutos, negotijs aptiſſimos, ſua induſtria ſtabilia cumulantes, & pecunias, deditos agriculturæ, ac ædificijs; verùm minatur męrores, moleſtias, ac contentiones cum affinibus, & propinquis.

Luna reddit Natum deditum ædificationi, agriculturæ, piſcinis, molendinis, ac huiuſmodi, ſicut diuitijs cumulandis; turbat tamen diuerſis ex cauſis parentes; anguſtias etiam tribuit licet cum exitu felici. In diurna genitura mala infert in vitæ principio, melioremque poſtmodum ſtatum pollicetur.

Caput Draconis ex ſtabilibus, ac hæreditatibus affert vtilitatem, bonaque multoties inopinata, theſauros, ac huiuſmodi, patremque longæuum prędicit, & nobilem.

Cauda Draconis labores adducit, patrimonij labem, atque ſtabilium, patremque turbat in vita, ac exiſtimatione.

Pars fortunæ bona ex ſtabilibus demonſtrat, abſconditis, fodinis metallicis, hęreditatibus, ſi non fuerit infortunata.

De

Digitized by Google

De Domo Quinta.

QVinta domus ſignificat filios, munera, legationes, donationes, voluptates, gaudia, luxus, choreas, conuiuia, ac huiuſmodi ſolatia. In qua Saturnus vel filios denegat, vel occidit, aut diſpergit ſua qualitate malefica; animi infert pathemata, afflictiones, remouetque gaudia. Natum incultè veſtientem decernit, nullis voluptatibus addictum. Contentiones ſuſcitat cum Legatis, Præfectis, ac huiuſmodi: aduerſamq; fortunã tribuit in negotijs cõmiſſis.

Iuppiter filios plures elargitur, eoſque honoratos, ac ab omnibus laudandos in exiſtimatione conſtitutos: gaudia affert, beneficia, donationes, hæreditates, legationes, negotia ardua commiſſa, amicos plurimos fideles, ac proficuos, delectationem in gemmis, veſtibus, odoribus, delitijs. Facit Præſides, ac Præfectos, felicitateſque adducit.

Mars paucos filios concedit extra ſuas dignitates, vel ex ipſis parum gaudij; tribuit tamen ſpurios, ac illegitimos, prohibet gaudia, malaque tribuit ex luxu. In ſuis dignitatibus dat filios potentes; quemadmodum in Iouis domicilio legationes, honores, ac patrimonij augmentum.

Sol pollicetur liberis honores, laudem, & gloriam ſi adfuerint; Sol enim Saturnus, & Mars filios non concedunt. Tribuit præterea Nato reuerentiam à vulgo, ſolatia, ac bona à Magnatibus, dignitates, legationes. Facit venuſtos ſplendidos, optimè veſtientes cum delitijs, gemmis, odoribus, & huiuſmodi. Venus filios plurimos demonſtrat, gaudium, ac fortunam ex ipſis; quamuis experientia ex primogenito parum gaudij; ad voluptates inclinat omnis generis, luxus, amores, choreas, conuiuia, delitias; reddit Natum fortunatum in negotijs.

Mercurius fortunam præbet ex vno filio. Filios tamen (ſi concedit) ingenioſos decernit, ac de natura Mercurij. Dat negotia ex ſcripturis, & epiſtolis, dona à Magnatibus; Natos decernit Legatos, Equites, ſcribas ingenioſos, negotiatores; licet deditos omnes voluptatibus. Matutinus concedit filios, extra radios Solis; veſpertinus denegat: demonſtrat inſuper hoc loco Mercurius prodigos, nec pecuniam retinentes.

Luna dat legationes, itinera, honores à populo, filios plurimos; reddit Natos voluptatibus deditos, ac præcipuè conuiuijs.

Caput Draconis liberat Natum à calamitatibus, & periculis, plures dat filios, eoſque longeuos, ac fortunatos, legationes impartitur, officia, voluptates, Natoſque decernit ſumptuosè veſtientes.

Cauda Draconis vel denegat filios, vel eos caſibus violentis interimit, & acerbis. Remouet gaudia, Natoſque malè indicat veſtientes, ac cauſa voluptatum plurima paſſuros.

Pars fortunæ prout fuerit affecta mala, ſeu bona in ſignificatis huius domicilij portendit.

Digitized by Google

De Domo Sexta.

SExta domus ægritudines ſignificat, vitia corporis, ſeu morbos inſeparabiles, ſeruos, ancillas, animalia parua domeſtica, patruos ex Hermete. Vbi Saturnus corporis vitia, & ægritudines minatur; in animalibus damna, ſicut à ſeruis, inobedientiam familiæ, corpus languidum, dolores ventris, dentium: carceres, prodigalitatem, ac corporis aliquod vitium inſeparabile.

Iuppiter paucos morbos decernit licet ruborem in facie ex ſanguinis redundantia. Cęterum fortunam tribuit ex animalibus; ſeruos, ac familiam bonam, ac bona à Patruis.

Mars morbos tribuit calidos, & ſiccos; ſępè vitia corporis vt gibboſitatem, claudicationem, ac huiuſmodi; familiam malam, infidam, ex qua diſplicentias, ſeruos Martiales, infortunam in animalibus. Fortunatus tamen decernit optimos Medicos cum participatione Veneris, & Mercurij per aſpectum, vel coniunctionem.

Sol dat à vilibus, & ſeruis perturbationes; quamuis decernit Natum ſeruis benefacientem. Aegritudines graues demonſtrat, longas, membrorum principalium; ſic Patrem breuis vitæ ſi Mars fuerit in Aſcendente.

Venus damna tribuit à ſeruis, & ancillis; morbos paucos, eoſque vt plurimum cauſa Veneris, affectiones renum, impotentiam coitus, vxorem ignobilem, inobedientem, viduam, vel fędatam, laboraturam in partu. Natum decernit cum famulabus, ac vilibus congreſſurum. Cæterum Venus in ſuis dignitatibus bona impartitur ex animalibus, & ſeruis, vxoremque melioris conditionis demonſtrat.

Mercurius deditos facit Natos libidini; à mulierbus decipiendos, paſſuros in lingua, aut cruribus; Medicos decernit, vel Arithmeticos. In Martis aſpectu aut Saturni malefico pericula ſtruit à ſeruis, carcerum, aut mortis violentæ.

Luna plures adducit ægritudines, cerebri affectus, inimicitias cum mulieribus, damna ab his, rixas cum conſanguineis. Licet fortunata ibi corpus ſanum demonſtret.

Caput Draconis fortunam in familia tribuit, & animalibus; paucos morbos ſeruoſque bonos, ac fideles.

Cauda Draconis ægritudines plurimas adducit, ſeruos infidos, malos, infirmos, pigros, ex quibus mala, & anguſtias Natus experietur, infortuniumquè ex animalibus tribuit.

Pars fortunæ fortunata propitia, infortunata improſpera decernit in familia, ac paruis animalibus, atque Patruis.

De Domo Septima.

SEptima domus, ſeù angulus occidentalis ſignificat, coniugium, nuptias, mulieres, aduerſarios, hoſtes publicos, lites, bella, latrones, rapinas, ſcelera omnis generis; & terminum vitæ vltimum, ſeù ſenectutem. In qua Saturnus, vt in loco vbi oppugnat Aſcendens, ac Vitam ex diametro maximè

noxius

necuus eſt : violentis caſibus decernit Natum expoſitum : triſtitias, ac difficultates tribuit in coniugo, ſeparationem aliquando vxoris; dolores articulorum : in aqueis ſignis ægritudines in pudendis, fiſtulas, hæmorroidas, lites, contentiones, inimicitias.

Iuppiter felicem reddit ſenectutem; contra inimicos tribuit victoriam, matrimonium honoratum, gaudia cum vxore, plura ſæpè coniugia, & cum felicitate; vxores caſtas, bonas, honeſtas, inimicos paucos, paucas lites, & contentiones.

Mars decernit calamitates, anguſtias, lites, rixas, homicidia, bella, perturbationes, in omnibus inimicos plurimos, propenſionem ad libidinem, exitum violentum, ſi complicetur cum Sole, & Luna; vxores prauas, carceres, & in carceribus tormenta: Natos breuis vitæ, vel extrà patriam peregrinatures.

Sol dat contrarietates à Potentibus, laudes in ſenio, inimicitias cum Magnis, vxores nobiles, quamuis in prima ætate adſit periculum ducendi meretricem in vxorem.

Venus plures dat nuptias, gaudia cum mulieribus, lętitias cum vxore, vxores pulchras, bona à fęminis, ſenectutem felicem, dummodo à maleficis non fuerit afflicta. Retardat tamen matrimonium.

Mercurius dat propenſionem magnam ad mulieres, earumque cauſa, vel cum eis rixas, & anguſtias. Afflictus à Marte, aut Saturno inimicos potentes decernit, carceres, exilia, accuſationes, ſupplicia in carceribus, condemnationes à Iudicibus pro delictis; periculum ne Natus vxorem interficiat: decernitur leno, & vitijs libidinis implicitus.

Luna ſolitaria vel mortem tribuit in iuuentute, vel perpetuam moram extra patriam, & cum aſpectu prauo maleficorum mortem violentam. Fortunata bona impartitur à mulieribus; vxorem pulchram dat, ac diuitem, ſenectutem cum honoribus, plura coniugia. Infortunata retardat vxorem, vel denegat, vel tribuit viduam, vel corruptam præcipue decreſcens, itineraque plurima.

Caput Draconis paucos dat inimicos, bona à mulieribus, Venereas conſuetudines, vxorem pulchram, diuitem, morigeram.

Cauda Draconis dat inimicitias, verùm inimicorum deſtructionem; mortem citam vxoris, anguſtias in Matrimonio, ſæpequè deſtructionem, & diſſolutionem, rixaſque inter coniuges.

Pars fortunæ bene affecta bonum, infortunata in fauſta decernit in ſignificatis domus ſeptimæ; verùm itinera, & moram extra Patriam ſemper.

De Domo Octaua.

DOmus octaua ſignificat mortem, cauſam mortis, mutilationes membrorum, timores, incantationes, veneficia, hæreditates mortuorum. In qua Saturnus dat hæreditates ex morte propinquorum, ſi fuerit in proprijs dignitatibus, vel Iouem, aut Venerem radio benefico reſpexerit, præcipuè in nocturna genitura, extra ſuas dignitates dat afflictiones triſtitias, & ſæpè exitum violentum.

Iuppiter mortem tribuit naturalem, hæreditates, vitam longam; verùm in nocturna

nocturna genitura ſuſcitat multoties lites, & bonorum damna portendit.

Mars (poſitis luminaribus in angulis) dat periculum violentiæ, vulnera in manibus, pedibus; defectus oculorum, egeſtatem, ammiſſionem bonorum, carceres, ſuſpendia, vituperia, anguſtias, animi pathemata ſi fuerit extrà ſuas dignitates. In ſuis dignitatibus omnia erunt minora; rixaſque adducit, quæ erunt cauſæ diuitiarum.

Sol dat damna in diuitijs à Potentibus, ac plerumque vitæ exitum prauum; tribuit mortem Natis, quando fuerint in dignitatibus conſtituti. Afflictus à Marte, vel Saturno in ſignis aqueis pericula infert ex aquis: in terreis ex ruina; in igneis ex igne, vel ferro; in aereis ſuſpenſionem, carceres tormenta, aut pericula mortis repentinæ.

Venus de difficili dat connubium, & vel vxorem, viduam, vel fœdatam concedit; hæreditates tamen impartitur; vitam longam, finemque bonum; ſicut aduerſitates cauſa Matris, vel eiuſdem mortem citam, difficultatem filiorum, ac ab vxore incommoda.

Mercurius dat augmentum diuitiarum ex induſtria propria, inimicitias cauſa mortuorum, diſſenſiones cum vicinis, luctus ob mortuos, hęreditates cum auxilio Iouis, aut Veneris. Cum radio maleficorum infortunia dat in hæreditatibus, malam mortem, facitque Natos mendaces, malitioſos, tardos, infortunatos, ac anguſtias plurimas paſſuros.

Luna afflictiones multas oſtendit, depoſitiones ab honoribus, à Magnatibus, rixas, carceres, teſtimonia falſa, mortem repentinam, affectus cerebri, pericula in aquis, ſi à maleficis infeſtetur. Si verò bene fuerit conſtituta hæreditates condonat, mortem facilem, vitamque longam, ac ſanam.

Caput Draconis vitam longam pollicetur, validam, honores, hæreditates.

Cauda Draconis bonorum decernit ammiſſionem; mortem ſępe violentam ſi luminaria ſuriat afflitta, vel Aſcendens.

Pars fortunæ dat hæreditates; circa quas gaudium, vel anguſtias prout beneficis, aut maleficis fuerit applicata.

De Domo Nona.

NOna domus cadens dicta Theos ſignificat itinera longa, peregrinationes, religionem, perſonas, & dignitates eccleſiaſticas, ſcientias omnis generis, pietatem, ſectam, veritatem, diuinationem, ſomnia, ſapientiam, prophetiam, Alchimiam. In qua

Saturnus errorem portendit in fide, damna in itineribus, ſomnia turbida, odia Principium: facit Monachos, hæremitas, clauſtrales, effodientes ſepulchra, mortuos ſpoliantes, ſacerdotes, interpretes ſomniorum, augures, Mathematicos, Phyloſophos, Hypocrites, hæreticos.

Iuppiter dat dignitates eccleſiaſticas, diuitias, Sacerdotia, Prælaturas, fortunam in itineribus, fidem ſinceram, ſomnia vera.

Mars dat inſtabilitatem in propoſito religionis, ſuperſtitionem, ſomnia vana, itinera multa, amorem equorum, & vini, infidelitatem. In ſuis dignitatibus dat itinera fortunata, honores, bona in militia, pręſertim ex eccleſiaſticis.

Sol

Sol dat religionem, fidem, amorem Dei, itinera multa, & vtilia; Prælaturas, honores Eccleſiaſticos, præcipuè in ſignis regijs, Patrem honoratum, felicem, Natique exaltationem.

Venus dat peregrinationes, religionem, timorem Dei, Prælaturas eccleſiaſticas, laudes ex opificio, plurimaſque in ſomnijs pollutiones; facit cælibes, ſacerdotes, à coniugio abhorrentes.

Mercurius tribuit diſciplinas, ſcientias, experientiam rerum occultarum; Aſtronomiam, fortunam in rebus eccleſiaſticis, ſcientias mathematicas: ſed Natum prædicit ſe plurimùm iactantem; datque itinera.

Luna itinera longa, & multa demonſtrat, deſiderium peregrinandi, ſomnia multa, & cogitationes. In domo Mercurij Aſtrologiam; in domo Veneris Muſicam, picturam, poeſim; in domo Martis militiam, vel agriculturam, in domo Saturni Alchimiam tribuit.

Caput Draconis in nona dat religionem, & in religione dignitates, itinera fortunata niſi adfuerint malefici; ſomnia vera.

Cauda Draconis inſtabilitatem tribuit in fide, & ſuſpitionem, fidem malam, præcipuè cum participatione Saturni, aut Martis, infortunia in itineribus, ſomnia vana.

Pars fortunæ dat longa itinera, ac negotia cum eccleſiaſticis, & fortunam etiam in his, ſi fuerit irradiata à beneficis.

De Domo Decima.

Domus decima, Medium cæli, angulus Meridianus decernit Regnum, Principatum, dominium, honores publicos, Magiſtratus, dignitates, honores a Principibus, opificium, amicitias, actiones, Matrem, filios. In qua Saturnus damna ſignificat à Potentibus, captiuitatem, carceres, perſecutiones, caſum ab alto. Bene conſtitutus dat diuitias ex ædificijs magnis, & opificio; retardat tamen bona vſque ad annos triginta, feliciorem decernendo ſenectutem, quam iuuentutem. Extra ſuas dignitates prædicit Matrem breuis vitæ, & iacturam dignitatis. Si in decima fuerit Leo, & ibi Sol, aut Luna ſignificat Natum iudicio plectendum in carceribus. Si ibi fuerit Iuppiter Natus pericula hæc paſſurum ſine culpa. Si ad fuerit Mars, vel ibi dominabitur, occidetur cum culpa; ſi decimæ dominetur Mercurius, patietur ob falſos teſtes. Si dominabitur Venus, vel Saturnus fuerit cum Venere, patietur tormenta, & condemnabitur ad mortem.

Iuppiter elargitur diuitias, honores, dignitates, Prælaturas eccleſiaſticas, negotia publica, adminiſtrationes, officia, licet libidinis aliquam notam.

Mars dat carceres, perſecutiones à Potentibus, pericula magna, ſæpè exitum violentum, ſi luminaria fuerint afflicta; inimicitias cum conſanguineis, aut Parentibus, vitam multoties breuem, exilia, & huiuſmodi. In ſuis dignitatibus dat bona ex adminiſtrationibus, ac rebus Martialibus.

Sol dat gloriam, dignitates, authoritatem apud Magnates, honores vltra conditionem Nati, buona ex opificio, ex amicitia Principum; & altioris gradus exaltationem.

Venus dat honores, amicitias Principum, Matronarum, & ab his diuitias, & hono-

honores, melioremque fortunam in ſecunda, quam ætate prima.

Mercurius ſcientias influit Mathematicas, laudes ob opificium. Facit multoties Secretarios, Cancellarios Principum. Verùm in prauo radio Martis infelicitatem tribuit, pericula, damna, exilia; ſicut in Saturni aſpectu carceres, & perſecutiones.

Luna honores, & officia tribuit à Potentibus, ac exa ltationem, bona à Populis, & quamuis in iuuentute fluctuantem fortunam decernat, ſperata tamen Natus obtinebit.

Caput Draconis facit Natos honeſtæ vitæ, honorandos, ex opificio diuites, deuotos, ac in dignitatibus conſtituendos.

Cauda Draconis dat carceres, exilia, depoſitionem à dignitatibus, oppoſitiones, damna in honore, & re, itinera coacta, breuemque Matris vitam.

Pars fortunæ dat fortunam, honores, ac diuitias ex Principibus, & opificio, ſi beneficis fuerit admixta præcipuè.

De Domo Vndecima.

DOmus vndecima, dicta Bonus dęmon, ſeu Genius ſignificat amicos, fauores, ſuffragia, conſilia, ſpes, fiduciam, ſucceſſum rerum ſperatarum. In qua

Saturnus dat in rebus ſperatis impedimenta, triſtitias cauſa amicorum, inimicitias cum vilibus, infortunam in filijs, ſpes vanas, amicitias cum Saturninis.

Iuppiter dat dignitates cauſa amicorum, fortunam, bona ex rebus ſperatis, plurimos amicos bonos, fideles; plures filios, primumque maſculum; honores, diuitias, Magiſtratus, ac conſequtionem rerum ſperatarum.

Mars inimicitias tribuit cum amicis, amicos fallaces, ſpes vanas, ammiſſionem ſubſtantiæ difficultates in rebus ſperatis. In ſuis dignitatibus amicitiam decernit cum Principibus, ac militibus, bonaque ex Martialibus ſignificatis.

Sol auxilium, & gaudium præbet ex amicis; ſenectutem feliciorem iuuentute; ſpes bonas, amicitias Magnatum, honores, officia, dignitates.

Venus iuuentutem decernit feliciorem ſenectute, filios plurimos, fortunam in amicis, ſodalibus, ſperatarumque rerum conſecutionem.

Mercurius amicos tribuit ſapientes, ac ab illis gaudia: bona ex ſperatis, ſicut ex ſcientijs, ſcripturis, opificio.

Luna bona decernit ex ſperatis, amicos plures, ſicut filios, honoreſque, & vtilia à Principibus.

Caput Draconis familiaritatem dat Principium, & ab ipſis honores, & diuitias.

Cauda Draconis cum amicis infortunam ſignificat, & cum ipſis contentiones, ſicut difficultates in rebus ſperatis.

Pars fortunæ fortunam tribuit ex ſperatis, & amicis.

De Domo Duodecima.

DOmus duodecima dicta Cacodęmon, ſeu malus Genius ſignificat triſtitias, ærumnas, timores, paupertatem, carceres, inimicos occultos,

detractio

detractores, ſeruos, ancillas, animalia magna. In quã

Saturnus ſignificat triſtitiam, captiuitatem, impedimenta in omnibus, damna in animalibus, timorem, inimicos plurimos, exilia, ægritudines inſeparabiles, mala à ſeruis, ac inimicis, inſultus, ac huiuſmodi. In ſuis dignitatibus fortunam tribuit in animalibus.

Iuppiter ſignificat ſeruitutem, paupertatem, morbos, calumnias, mala à ſeruis; inimicos potentes, carceres, mala in animalibus. In ſuis dignitatibus omnia mitigantur, & facit Natos inimicis ſuperiores.

Mars dat carceres ob cauſas criminales, damna ab inimicis, ſeruis; anguſtias, tribulationes; ſeruos infidos, inſidiatores; aliquod vitium, ſeù ægritudinem corporis inſeparabilem, ſcelera, infortunam in animalibus, vulnera in pedibus, vel ex ſuis manibus. Si Mars fuerit fortis inimici erunt fortes, potentes, ſi debilis, debiles; quomodocumque autem conſtitutus decernit, quod Natus obruet inimicos.

Sol dat inimicitias Magnatum, ac ab illis bonorum amiſſionem: damna à ſeruis, carceres, exilia, infamiam, detractiones, inuidias, ægritudines graues, & longas, corpus infirmum.

Venus dat damna, & moleſtias à mulieribus, vel earum cauſa; carceres, exilia, proſecutiones, & pericula; matrimonium malum; vitia magna circa libidinem; in Natiuitate mulieris decernit meretricem; in natiuitate Viri vxor ſæpè meretrix, ancilla, vilis, cum infamia, & Viri detrimento. Vir etiam decernitur multoties cinędus,

Mercurius facit optimum Philoſophum, negotiatorem circa animalia; verùm afflictus decernit Natum deceptorem, doctis inimicum, affectantem negotia ardua, inquirentem inutilia, vitijs libidinis implicitum, furioſum; dat carceres, exilia, oppoſitiones.

Luna dat inimicitias, & ab inimicis impedimenta, captiuitatem, carceres, breuem vitam, pericula mortis violentæ, ſi a maleficis aſſligatur, labores, infortunia in animalibus, ſeruis, pericula in aquis, ex fetto, peſte.

Caput Draconis, inimicos dat plures, infortunium in ſeruis, diuitiarum paucitatem, paupertatem, ſeruitutem.

Cauda Draconis dat oppreſſionem inimicorum: ſed mala in animalibus.

Pars fortunæ bona, aut mala adducit, prout fuerit conſtituta.

DE SIGNIFICATIS PLANETARVM IN SVIS, vel aliorum domicilijs. Cap. V.

De Saturno.

SAturnus in ♑ ♒ ſuis domicilijs Natum prædicit grauem, conſultum, prudentem; ſi fuerit in Aſcendente in aliqua ſuarum dignitatum, vel in aſpectu benefico Partis fortunæ tribuit diuitias, amicitias Magnatum, & exiſtimationem apud omnes; In nocturna tamen genitura adducit aliquando ægritudines de ſui natura frigidas, ſi Lunæ, vel Aſcendenti corpore, aut radijs coniuctur.

Digitized by Google

In domo Iouis ♐ ♓ dat mores rectos, compoſitos; fauetque diuitijs ſi trino, vel ſextili radio Iouem reſpexerit, & hæreditates, ac ſtabilia.

In domo Martis ♈ ♏ animum prauum procreat, ſtabilem in indignationibus, & deſiderio vindictæ contra inimicos; ſi verò Mars fuerit benè conſtitutus, & Saturnum reſpexerit radio benefico honores ſtabiles tribuit in Martialibus, & adminiſtrationibus.

In domo Solis ♌ fęliciter conſtitutus de die tribuit bona Patri, & Nato; de nocte eſt parum propitius pro eiſdem.

In domo Veneris ♉ ♎ inclinat ad viles fęminas cum dedecore, & damno; benè autem applicatus Parti fortunæ, vel domui ſecundæ dat diuitias cauſa fęminarum, & multoties hæreditates ex fęminis.

In domo Mercurij ♊ ♍ dat ſcientias, præcipuè occultas, animum maledicum, inuidum; Natumquè ſubiectum reddit inuidijs, & moleſtijs, & ſæpe cum autium, vel linguę aliquo defectu.

In domo Lunæ ♋ Matri, vxori, & fęminis nocet, ſic earum diuitias deuaſtat.

De Ioue.

IVppiter in domo Saturni ſi fuerit animum producit melancholicum, ſæpè afflictionem; Natum implicationibus obnoxium; Natum diuitem tamen, aliquando ſordidum, & qui ſecretas diuitias habere profiteatur.

In ſuis domicilijs honores, dignitates impartitur, Principum familiaritates, diuitias, dominium, authoritatem.

In domibus Martis benè conſtitutus honores tribuit in militia, adminiſtrationibus cum diuitijs, & Principum familiaritates.

In domo Solis authoritatem, & dominium pollicetur, honores, laudes, gloriam, publicas dignitates, & optimum ingenium.

In domibus Veneris fortunam cum mulieribus præcipuè nobilibus decernit, & in rebus eccleſiaſticis.

In domicilijs Mercurij Natum prædicit ſapientem, doctum, fidelem, bonum; & diuitias ex ſcientijs, negotijs, alijſque Mercurialibus impartitur.

In domo Lunæ honores tribuit à plebe, & exteris nationibus, & fortunam cum Principibus; præcipuè in angulis conſtitutus.

De Marte.

MArs in domo Saturni Natum ſtabilem decernit, & cęptæ proſequentem, timidè tamen audacem; nocet tamen Patrimonio, & fratribus maioribus.

In domo Iouis fortunam tribuit in Martialibus, militia, negotijs publicis, adminiſtrationibus, præcipuè ſi Iuppiter fuerit in domo Martis.

In domo propria in ♈ inclinat ad rixas, ad aliorum abiectionē, & iniurias; tribuit pericula Caſus ab alto, & occultorum dolorum in viſceribus; in ♏ minora decernuntur. In ſingulis tamen domibus reddit aptum Mathematicis.

In domo Solis minatur affectiones ſtomachi, vel oculorum; ſicut ſi Solem, vel Lunā, aut Aſcendens infeſtauerit pericula violentię, & mortem extra patriā.

Digitized by Google

In domo Veneris libidinem affert ſine perſonæ qualitatis exceptione, cuius cauſa anguſtias, & pericula ſuſcitabit; experientia in ♉ tribuit proditiones; in ♎ pericula violentiæ ex ferro, vel ignitis.

In domo Mercurij Natum producit callidum, prudentem, verùm mendacem, falſarium, & qui induſtria alios ſuperabit, & ingenio.

In domo Lunæ, ad delicta propellit, dat mortem citam Matris, & damna in Matris diuitijs.

De Sole.

SOl in domo Saturni Natum decernit compoſitum in actionibus, & conſilijs prudentem, noc temere aliquid incipientem.

In domo Iouis nobiliorem, & honorabiliorem inter conſanguineos: honoribus decorandum, verùm libidinis uitio cum conſanguineis.

In domo Martis ♈ ſua exaltatione tribuit dignitates, & honores, & dominium. In ♏ nocet Patri, & calidas affert hepatis affectiones.

In domo propria in diurna genitura in angulis, vel ſuccedentibus dignitates amplas, & diuitias impartitur; in nocturna minatur mortem citam Patris, licet diuitias ex itineribus.

In domo Veneris Natum bonum, veridicum, & rerum occultarum inueſtigatorem decernit, & propenſum itineribus.

In domo Mercurij tribuit Principum familiaritates, ſcientias, præcipuè Aſtrorum. In nocturna Genitura dat diuitias, & honores in ſecunda ætate.

In domo Lunæ minatur affectus ſtomachi, vel oculorum, præcipue ſi à malefico aliquo affligatur.

De Venere.

VEnus in domo Saturni dat breuem vitam Matris, & vxoris; inclinatque ad vitia libidinis, adulteria, fornicationes, mollitiem, ſodomiam.

In domo Iouis fortunam tribuit ex mulieribus, ex quibus diuitias, præcipue nobilibus: a quibus maxime diligetur Natus, qui decernitur honeſtus, diſcretus.

In domo Martis magnas dat libidines; commercia cum fœminis malis; earum cauſa rixas, & pericula; ſicut diſſenſiones cum vxore.

In domo Solis amicitias demonſtrat, & amores cum mulieribus leuis ingenij cum dedecore.

In domo propria reddit Natum fortunatum, conſequentem res ſperatas, deditum gaudijs, & voluptatibus.

In domo Mercurij inclinat ad libidines; ſicut exercitia muliebria; amicitias verò decernit cum religioſis.

In domo Lunæ, inſtabilem demonſtrat in Venereis, & amoribus.

Digitized by Google

De Mercurio.

Mercurius in domo Saturni ingenium affert acutum, amicitias cum clauſtralibus; & vt plurimum nocet auribus, aut linguæ.

In domo Iouis Natum prædicit doctum, iuſtum, legalem, prudentem; & Principum amicitias impartitur.

In domo Martis decernit callidum, vafrum, mendacem; verùm abſque noxa.

In domo Solis memoriam tribuit optimam, ſcientias; multoties facit Cancellarium, Secretarium, Scriptorem.

In domo Veneris inclinat ad voluptates, & delitias; familiaritatem tribuit cum Matronis nobilibus.

In domo propria dat ſcientias, aptitudinem ad Mathematicas, philoſophiam, poeſim, & ad merces, & negotia.

In domo Lunæ reddit Natum diſcretum, fidelem, bonum, licet inſtabilem.

De Luna.

Luna in domo Saturni tribuit humores frigidos, diſtillationes, ægritudines; pigritiam in actionibus, & nocet Matri, & matrimonio.

In domo Iouis pollicetur honores, decorem, gloriam, diuitias, corporis bona; libidinis verò notam cum mulieribus illicitis.

In domo Martis inclinat ad rixas, & delicta, commercia cum malis, & ex his pericula, & mala adducit.

In domo Solis honores tribuit à Principibus; aliquando afflicta oculorum, & capitis affectiones.

In domo Veneris bona adducit ex mulieribus; cum quibus amicitias.

In domo Mercurij, optimum tribuit ingenium, ex quo honores, & diuitias.

In domo propria cum beneficis applicata dat animi, & corporis tranquilitatem; è contra afflicta à maleficis, ægritudines, & moleſtias.

DE SIGNIFICATIONE PLANETARVM Dominorum in alijs domibus. Cap. VI.

De Dominio Aſcendentis.

Dominus Aſcendentis conſtitutus in Aſcendente fouet vitam, & etiam exiſtimationem, & Natum decernit eſſe honorabiliorem inter domeſticos, & propinquos.

In ſecundo inclinat ad diuitias ſuo labore, & induſtria acquirendas; ſi eſt in figura cęleſti fortunatus, vel receptus à domino domus ſecundę lucra, & diuitias impertitur: ſi male affectus in diuitijs damna.

In tertia fratres demonſtrat plures, inclinat ad itinera, fortunata, vel impro-

Digitized by Google

ſpera prout fuerit bene, aut male conſtitutus in figura cæleſti.

In quarta tribuit bona ab Antenatis, Patre Matre, hereditatibus, ſtabilibus; pauca tamen itinera: Natum verò prędicit elatum, animoque claro.

In quinta dat voluptates omnisgeneris, ſicut gaudia ex filijs; & legationes, negotiaque commiſſa impartitur, bonaquè ex amicis, aut ſodalibus.

In ſexta facit obnoxium laboribus, & ægritudinibus.

In ſeptima inclinat ad rixas, & contentiones: Natumque reddit mulierum voluntati nimium obſequentem.

In octaua Natum reddit melancholicum, animo debili; & nocet ſemper Vitæ.

In nona inclinat ad itinera, religionem, ſcientias. Malè affectus pericula adducit in itineribus à latronibus, velalio modo.

In decima bona pollicetur ex opificio, actionibus, & Magnatum amicitijs, ſicut etiam honores.

In vndecima concedit plures amicos, paucos aliquando filios, optimos verò mores.

In duodecima ſuſcitat inimicos, ab illis mala; oppoſitiones, pericula Carceris, vel alterius infortunij, & moleſtiæ.

De Domino Domus Secundæ.

Dominus ſecundæ in Aſcendente fortunam tribuit in diuitijs, quibus reddit Natum acquirendis intentum, præcipuè benè affectus.

In ſecunda diuitias ſemper pollicetur, præcipuè cum domino Aſcendentis, vel eius benefico radio.

In tertia diuitiàs tribuit ex itineribus; damna à fratribus, nec fratrum ſtatum fauſtum.

In quarta decernit augmentum ſtabilium, fortunam ex ſenioribus familiæ; & hæreditatibus.

In quinta dat negotia commiſſa cum vtilitate; gaudià, & voluptates; filioſque diuites magni nominis, & honoratos.

In ſexta demonſtrat damna à ſeruis, beſtijs minoribus, & ægritudinibus.

In ſeptima dat diſpendia ex litibus, bello, rixis. Bona cauſa fęminarum, & aliquando ex malè partis, vxoris, latrocinijs, & huiuſmodi.

In octaua prout benè aut malè diſpoſitus conſiderandus; nam benè hæreditates impartitur, malè damna notabilia.

In nona ex eccleſiaſticis, itineribus, ſcientijs, & abſconditis dat vtilia.

In decima ex opificio, actionibus, officio, honoribus adminiſtrationibus, & Principum ſtipendijs concedit bona.

In vndecima ex amicis, ſodalibus, rebus ſperatis dat vtilia.

In duodecima fęliciter conſtitutus tribuit bona ex inimicitijs, animalibus maioribus, ſeruis; Infeliciter damna ex inimicis, furtis, carceribus, & alijs infortunijs, & moleſtijs.

Digitized by Google

De domino domus Tertiæ.

DOminus tertiæ in Aſcendente facit primogenitum, ſolum, vel digniorem inter fratres; inclinat ad itinera; fratres (ſi aderint) accipient honores, diuitias, & bona à Nato.

In ſecunda decernit itinera cauſa officij, & dignitatis; rixas autem decernit, & contentiones cum fratribus cauſa diuitiarum.

In tertia dat itinera ob voluptatis, & animi ſolatia; plures verò dat fratres.

In quarta fratres decernit pauperes, paternam hæreditatem diuidentes; & aliqui fratres morientur poſt Natum.

In quinta itinera decernit cauſa voluptatum: fratres extra patriam commoraturos; & fratribus gaudia cauſa filiorum.

In ſexta diſſenſiones, & contrarietates adducit inter fratres.

In ſeptima itinera decernit ob rixas, lites, matrimonium; & libidinem cum vxore fratris, aut conſanguinei.

In octaua itinera tribuit ob hæreditatem, peſtem, mortem, homicidia; fratres verò oſtendit in malo ſtatu conſtituendos.

In nona oſtendit fratres extraneas vxores ducturos, & ob id extra patriam habitantes, vel ob alias cauſas; itinera verò ob religionem, deuotionem, & ſimilia ſignificata.

In decima itinera decernit cauſa honoris, & adminiſtrationis; dat odia, & inuidiam inter fratres, ac eorum mortem citam.

In vndecima tribuit concordiam, & amorem inter fratres, & bona, & honores Nato ab illis.

In duodecima itinera demonſtrat ob inimicitias, perſecutiones, contrarietates delicta, ob carceratos, & ſimilia. Inter fratres verò diſcordias, & mala in illis.

De domino domus Quartæ.

DOminus quartæ in Aſcendente dat fortunam in ſtabilibus, ædificijs, agricultura, mercatura, hæreditatibus, Natumque prædicit ob animi dotes, & qualitates honorabiliorem inter conſanguineos, amatum à Potentibus, & ab illis auxilia habiturum.

In ſecunda decernit Parentes diuites, honoratos, qui Natum diligent magis quam alios: fortunam tribuit Nato in emendis, & vendendis ſtabilibus.

In tertia fratres Nati erunt damnoſi Parentibus: Natus verò acquiret hæreditates, & diuitias ex itineribus, aut conſanguineis.

In quarta bona tribuit ex ſtabilibus, & ſenioribus domus; & Nati nomen decernit celebre apud exteras nationes.

In quinta Patrem decernit diuitem: Natum verò filium procreaturum, qui fruetur ſua hæreditate, ſicut Nato proſperitatem cauſa filiorum.

In ſexta decernit Patrem abiectum, vilem: Natum verò fortunatum in Medicinæ ſcientia; aliquando tamen mendacem.

In ſeptima bona pollicetur ex vxore, fœminis, litibus, bello, negotijs; &

Patrem

Patrem odio habiendum a Nato.

In octaua dat Patris breuem vitam, Matris pericula in partu, mortem Nati extra patriam; hæreditates tamen cauſa mortuorum.

In nona bona ex itineribus, ſcientijs, vel eccleſiaſticis decernit. Patrem verò abiectum, periculis obnoxium, & aliquando aduenam.

In decima Patrem dat honoratum apud Principes; Nato bona ex opificio negotijs, actionibus, dignitatibus, Principibus.

In vndecima decernit vitam breuem Patris, vel Patri infortunia adfuiſſe ante ortum Natum, & poſt ortum meliorem fortunam.

In duodecima, decernit Parentes pauperes, vel extraneos, aut aduenas: Nato verò mortem extra patriam; & ex inimicis bona licet cum anxietate demonſtrat.

De domino domus Quintæ.

DOminus quintæ in Aſcendente Natum decernit voluptatibus, & delitijs propenſum; tribuit plures filios, & à Nato dilectos.

In ſecunda dat filios diuites, & ob hoc Patri gaudia.

In tertia dat bona ex paternis, & Natum gauiſurum in itineribus, ob voluptates in illis.

In quarta benè affectus plures dat filios, & aliorum hæreditates: malè poſitus dat anguſtias filijs cauſa hæreditatum.

In quinta filijs dat proſperitatem; Natumque inclinat ad voluptates.

In ſexta. Natus facile tolerabit ægritudines, & bona acquirit à ſeruis, & animalibus.

In ſeptima. Nato erunt filij inimici; qui gaudia experietur ab vxore.

In octaua fortunatus decernit filios gauiſuros paterna hæreditate, Infortunatus paucos tribuit filios: verùm hæreditates ex mortuis.

In nona dat filios addictos religioni: & gaudia ob itinera longa, vel res Eccleſiaſticas.

In decima dat bona à Magnatibus, honores, adminiſtrationes, filij tamen Nati patientur in corpore.

In vndecima dat filios malorum morum, deditos contentionibus. Natus verò cupita obtinebit.

In duodecima paucos dat filios, & illos odioſos parentibus; fortunam verò in animalibus magnis:

De domino domus Sextæ.

DOminus ſextæ in prima facit Natum ægritudinibus obnoxium, & mala decernit à ſeruis.

In ſecunda cauſa amiſſionis diuitiarum tribuit ægritudines; Natumque pauperem decernit viuentem ex ſeruorum induſtria, vel animalium.

In tertia dat ægritudines in paruis itineribus; & fratres infirmos.

In quarta decernit Patrem multoties ſeruum, vel filium ſerui, & vilem; Nato verò ægritudines in propria domo.

In quinta cauſa filiorum, vel voluptatum dat ægritudines; & filios decernit cum maculis, & morboſos.

In ſexta dat ægritudines ex laboribus; Erit tamen Sanus, ſi eum reſpiciat dominus Aſcendentis.

In ſeptima decernit inimicitias cum fœminis malis, vel vilibus; accuſationes ob delicta, ob vxorem, ob inimicos, & lites.

In octaua, Natus videbit mortem inimicorum; & applicatus domino Aſcendentis ægritudinem tribuit ob mortem alterius.

In nona decernit ægritudines extra patriam; & Natum fraudolentum, & malorum morum.

In decima ex Principibus dat moleſtias; & ægritudines cauſa officij, vel dignitatis.

In vndecima amicitias contrahet Natus cum ignotis; experietur ſpes vanas, cuius cauſa etiam ægritudines.

In duodecima odia tribuit Vilium, abſque tamen nocumento: ex inimicis diſplicentias, damnaque ex beſtijs, inimicis, aut carceribus.

De Domino Domus Septima.

Dominus ſeptimę in prima amicitias tribuit cum mulieribus, fortunam in litibus, conuentionibus, & negotijs; vxores cum macula, morituras ante Natum; & diſcordias plures, & lites.

In ſecunda Natus ducet vxorem cauſa diuitiarum, cuius mortem videbit, & inimicorum; plures lites, & diſſenſiones experietur cauſa diuitiarum; & damna ex inimicis publicis, aut latronibus.

In tertia frater aliquando coibit cum vxore Nati, ob id odio habitus; vxorem aliquando ducet conſanguineam, & diſſenſiones inibit cum fratribus.

In quarta bonam decernit fortunam in negotijs mulierum, ſicut Antenatorum in hæreditatibus, & ſtabilibus. Vxor multoties erit ex progenie Nati caſta, bona; ſed Natus contentiones experietur cauſa Genitorum.

In quinta; vxor Nati erit iuuencula, bonorum morum, amabilis; minatur tamen diſſenſiones cauſa filiorum, vel cum Præfectis, aut Legatis.

In ſexta Natus ducit vxorem vilem, ancillam, vel ægram, vel cum macula; & cauſa ſeruorum, vel animalium aderunt diſcordiæ: Natus verò multoties decernitur mendax, aut traditor.

In ſeptima vxor erit boni nominis; ſed anxia cum Nato, quam non diliget; ob amaſias verò, & meretrices tribuit contentiones; quamuis bona ex litibus, & negotijs.

In octaua cauſa hæreditatis tribuit diſſentiones; vxorem tamen Natus ducet cum hæreditate, ſicut hæreditates ex mortuis.

In nona tribuit diſcordias cum Eccleſiaſticis, vel cauſa religionis, aut in itineribus.

In decima vxorem decernit nobilem, bona ex vxore, Principibus, & actionibus: ſicut contentiones cauſa honoris, vel exercitij.

In vndecima cauſa amicorum dat contentiones: vxorem Natus ducet viduam cum qua viuet vita iucundam.

In

In duodecima diſſenſiones decernit cum inimicis, odia pericula inimicitias; vxorem vero vilem.

De Domino Domus Octauæ.

DOminus octauæ in prima Natum cholericum decernit, breuis vitæ, & paruæ fortunæ.

In ſecunda cauſa mortuorum dat diuitias: ſi vero fuerit malè affectus afferet paupertatem.

In tertia decernit fratres pauperes, infirmos, cum maculis, & breuis vitæ: Nato autem minatur mortem in paruo itinere.

In quarta Parentes tribuit extraneos, vel infirmos, vel breuis vitæ: Mortem autem Nato in propria domo.

In quinta vitam breuem tribuit filijs; ſi ſuperuixerint erunt quidem magni in honoribus, verùm nocui hominibus.

In ſexta decernit infortunia à ſeruis; & in illis,& animalibus paruis exiguam fortunam.

In ſeptima Natus ducet vxorem extra patriam cum hæreditate; decernit vxoris mortem; mortem verò Nati extra patriam.

In octaua mortem mitem oſtendit, paucaſque ægritudines; verùm mortis violentæ multa pericula ſi fuerit maleficus.

In nona tribuit mortem extra patriam; Natumq; inclinat ad mala, & delicta.

In decima Nati mortem tribuit conſtituti in dignitate; malè autem affectus aliquando iuſſu Principis.

In vndecima paucos dat amicos, odia, & rixas cum illis; mortem verò Nato in meliori vitæ ſtatu conſtituto.

In duodecima decernit, implicationes, & anguſtias, pericula mortis ab inimicis; carceres, & mortem in anguſtijs.

De Domino Domus Nonæ.

DOminus nonæ in prima plura itinera decernit, Natum bonę voluntatis, doctum ſapientem, amatum à ſapientibus.

In ſecunda longa dat itinera cauſa diuitiarum.

In tertia ob fratres, & conſanguineos, honores, aut res eccleſiaſticas demonſtrat, itinera.

In quarta decernit Parentes cum ęgritudinibus occultis, & eorum cauſa itinera; mortem autem Nati extra patriam.

In quinta filios extra patriam decernit cum honoribus, & diuitijs; quorum cauſa itinera & ſolatia Nato.

In ſexta Natus ducit vxorem ancillam ſępè; & ob animalia, vel ſeruos diuitias congeret.

In ſeptima; vxor Nati decernitur obediens, deuota, bonorum morum; cuius cauſa, aut litis, aut controuerſię Natus inibit itinera.

In octaua itinera decernit ob mortem euitandam, ob homicidium, hęreditates.

In

In nona pauca dat itinera, & ex cauſa religionis, vel ſcientiarum. Natus cęterum decernitur fidelis in datis, & acceptis.

In decima: ducent fratres vxores nobiles, & honeſtas; Natus faciet itinera ob honores, aut opificium.

In vndecima, Natum prędicit rectum, iuſtum, honeſtum, amatum ab amicis; & itinera inibit ob res ſperatas, vel amicos; & fratres ducent vxores extraneas.

In duodecima, Cauſa inimicitię decernit itinera, Natumque infidum, parum deuotum, & improbum erga fratres.

De Domino Domus Decimæ.

Dominus decimę in prima tribuit authoritatem apud Vulgum, amicitias Magnatum, honores, officia, adminiſtrationes, occupationes in rebus regni; bona ex opificio, & honores.

In ſecunda tribuit honores cauſa diuitiarum; ſic diuitias cauſa honoris, & exercitij.

In tertia decernit paucos fratres; qui autem adfuerint erunt Nato honori; ſic erunt cauſa honoris breuia itinera.

In quarta. Si Natus ſe intromittet in negotijs regni, honores aſſequetur, & bona ex ſtabilibus, ędificijs, caſtris, fluminibus, & alijs.

In quinta filios demonſtrat perſequendos à Principibus, vel infirmos; ex quibus Natus honores recipiet.

In ſexta tribuit paupertatem; licet honores ex familia, & utilia pro victu ex donis.

In ſeptima honores tribuit à Magnatibus ob res geſtas; Vxor decernitur nobilis, ex qua honores, & diuitię.

In octaua honores tribuit cauſa hęreditatis mortuorum; aliquando dat periculo Matri in partu.

In nona, tribuit itinera cum honoribus; ſic honores ex Eccleſiaſticis, ſcientijs, & ſimilibus; Natus erit honeſtę vitę, & optimę conſcientię moriturus tamen extra patriam.

In decima impartitur officia, honores, adminiſtrationes; fortunam cum Principibus.

In undecima, Natus benefaciet amicis, erit honoratus, relinquit filijs hęreditatem, & diuitias acquiret à Principibus, & rebus ſperatis.

In duodecima, Infortunam tribuit cum Principibus, damna, impedimenta, inſidias, & oppoſitiones ab inimicis; pericula carceris & tandem cauſa inimicorum honores.

De Domino Domus Vndecimæ.

Dominus vndecimæ in prima. Natus inimicos conculcabit; habebit fratres, & amicos; obtinebit ſperata, & ex amicis, & filijs gaudia, fortunamq; in actionibus; eritque optimæ conſcientiæ, dilectus à maiori parte.

In ſecunda decernuntur diuitiæ, & bona ex amicis ſodalibus, & filijs.

In

In tertia tribuit fratres nobiles, diuites, & clari nominis; & Nato fortunam in breuibus itineribus.

In quarta breuis vitæ demonſtrat parentes, licet optimæ fortunæ; Nato vereò fęlicitatem in ſtabilibus.

In quinta dat diuitias, & gaudia ex filijs, & in illis fortunam; & Nato voluptatum magnam propenſionem.

In ſexta Natum victurum decernit ex proprijs laboribus, & aliquando breuis vitæ; fortunatum verò in familia.

In ſeptima, ducet vxorem cum diuitijs, fortunatam, & à Nato dilectam, qui in pueritia erit pauper, diues in altera ætate.

In octaua in hæreditatibus dat fortunam; verùm paruam fortunam in mercibus.

In nona fortunam affert in itineribus, ſicut extra patriam.

In decima in iuuentute tribuit authoritatem ſuper alios extra Nati, & progeniei conditionem; ſicut fortunam in conſtitutis in dignitate.

In vndecima dat multos amicos, & proficuos, plures filios, proſperitatem; & conſecutionem rerum ſperatarum.

In duodecima paucos tribuit amicos, cum illis aliquando inimicitias, ſpes vanas, propenſionem ad delicta, & mala, indigentiam.

De domino domus Duodecimæ.

Dominus duodecimæ in prima, tribuit plures inimicos, eoſque Nato ſuperiores; domeſticos inſidiatores, anguſtias, oppoſitiones, labores, pauperiem in prima ætate, & in ſecunda diuitias.

In ſecunda dat propenſionem ad mala, cauſa diuitiarum inimicitias, & Nati nomen prauum ob Vitæ prauitatem.

In tertia fratres decernit Nato inimicos; inimicitias in itineribus, & labores cauſa diuitiarum.

In quarta odia decernit Parentum, & conſanguineorum, & cum illis rixas; inimicitias propter ſtabilia; deſtructionem domus, in qua Natus eſt ortus, ex qua diſcedet.

In quinta malum ſtatum prædicit filiorum, quos decernit inobedientes, & cum maculis, & eorum cauſa tribuet anguſtias. Si dominus quintę fuerit in duodecima, Natus nutribit filios alienos.

In ſexta inſidias ſtruit à ſeruis, in quibus ſicut in animalibus infortunia decernit.

In ſeptima infortunia, & inimicitias decernit cauſa mulierum vilium; cum quibus Natus congredietur; labores, inſidias, damna ab inimicis, diſplicentias cauſa vxoris, malaque in fine vitæ.

In octaua paucos dat inimicos; hæreditates tamen, quarum cauſa, & mortuorum inſidias, moleſtias, anguſtias experietur.

In nona tribuit itinera moleſta, mala in fratribus ab inimicis; tribulationes cauſa religionis, fidei, aut eccleſiaſticorum.

In decima ſemper affert damna, & difficultates in honore, dignitate, & actionibus, oppoſitiones, dedecora, carceres, exilia.

In

In vndecima inimicitias tribuit cum amicis, à quibus Natus damna recipiet; & fortuna malam decernit in filijs, & rebus ſperatis.

In duodecima demonſtrat iniurias, dedecora, vilipendia ab inimicis; qui tamen tandem Nato nocere non poterunt; licet carceres vt plurimum minetur.

DE LVNAE DEFLVXIBVS. Cap. VII.

CVm momenti maximi exiſtimarint Antiquiores Lunæ defluxus, libuit eos hic inferere, cum ſignificatione ex obſeruationibus apprimè congruente; Lunæ defluxus intelligendus eſt; cum Luna coniuncta alicui Planetæ corpore non diſtans à dicto Planeta plus gradibus duodecim ſeparatur, & applicatur alteri ſuo motu diurno.

Defluxus Lunæ à Saturno.

LVnæ defluxus à Saturno ſi feratur ad Iouem creſcens, & Iuppiter ſit fortus in angulis, in ſuis dignitatibus, vel alio modo benè affectus, liber à combuſtione Solis, & radio malefico Martis, Natos prædicit diuites, claros, Gubernatores Ciuitatum, Prouinciarumque pro qualitate perſonæ, & in dignitatibus conſtituendos; tribuit dona, hæreditates, bona cauſa ſtabilium, aliquando abſcondita: Si verò Luna fuerit minuta lumine, omnia erunt minora; effectus tamen aliquis non euaneſcet.

A Saturno ad Martem plena lumine, vel aliquod corporis vitium, vel ægritudinibus Natum obnoxium decernit, & aliquando prima iuuentute facit interire; violenti exitus affert diſcrimina, labores, implicationes; inclinat ad artes abſconditas, Alchymiam, & ſimilia. Minuta lumine mala demonſtrat in Matre, vxore, Natoque, cui etiam minatur violentiam, ſi Mars, vel Saturnus afflixerit Aſcendens, eius dominum, vel dominum octauæ; vel fuerit conſtitutus in octaua. Cæterum hic defluxus ſemper ſubſtantiæ deſtructionem molitur; præcipuè ſi Pars fortunæ, vel ſecunda domus, aut earum dominatores fuerint infeſtati à maleficis. Aliquando tortores, carnifices, delatores procreat.

A Saturno ad Solem, magnas adducit calamitates præcipuè in Vita, cum decernat Natos ſubiectum Conuulſionibus, morbo comitiali, hydropi, & alijs morbis ex humoribus melancholicis, & frigidis prouenientibus.

A Saturno ad Venerem vitia, & affectus ingerit libidinis, præcipuè minuta lumine, & ſi aliquomodo fuerit Mars applicitus, illegitimos parit conuictus, & concubitus cum conſanguineis; hic tamen defluxus ſimplex Lunæ à Saturno ad Venerem diuitias pollicetur, & authoritatem.

A Saturno ad Mercurium Luna creſcens decernit Mathematicos, Aſtrologos religioſos, artium Magiſtros, Oratores, magnos in eloquentia, Medicos, deditos artibus illicitis, ingenio acutiſſimos. Decreſcens minatur defluxus in aures, vel pectus; affert humores melancholicos; facit ſpleneticos, ictericos, phyſicos, hydropycos, veſſica laborantes.

A Saturno defluens Luna ſi nulli applicetur, & ſit vacua curſu; tribuit humores melancholicos, affectus cerebri; facit timidos, triſtes, ſolitarios, parui

ui iudicij, paupetes, alienos ab amore vxoris, & filiorum; & aliquando hemorroidibus laborantes.

De defluxu Lunæ à Ioue.

LVna defluens à Icue ad Saturnum plena lumine, aut creſcens facit alienæ ſobolis patres, tutores, procuratores, ab alijs adoptari in filios, itineribus propenſos; Saturni ſignificatis bona adducit; ſicut minuit Iouialia. Minuta lumine tribuit impedimenta, difficultates in honoribus, & diuitijs, & aliquando non omnem optimam valetudinem.

A *I*oue ad Martem plena lumine dat adminiſtrationes, felicitatem in negotijs publicis, facit fortunatos milites; Medicos, Chyrurgos, artifices ex igne; & huiuſmodi Martialibus.

A *I*oue ad Solem dat itinera moleſta; facit aliquando exules; ſi verò *I*uppiter fuerit in domo ſolis, vel ſol indignitatibus *I*ouis tribuit honores.

A *I*oue ad Venerem felicitatem pollicetur in Matrimonio, dat vxorem bonam, diuitem pulchram; verùm libidinis incendia, præcipuè ſi Venus fuerit in domibus Martis, aut Solis.

A *I*oue ad Mercurium optimum tribuit ingenium, facit Cauſidicos, *I*uris Conſultos, *I*udices, inclinat ad religionem. Minuta lumine Luna dat nimium propenſionem ad diuitias acquirendas.

A *I*oue defluens Luna, ſi ad nullum feratur, qualitates animi bonas tribuit, modeſtiam, deuotionem, affabilitatem; & fauet honoribus, & diuitijs.

De defluxu Lunæ à Marte.

A Marte defluens Luna ſi feratur ad Saturnum, Natos reddit timidè audaces, pigros, cum difficultatibus ſperata conſequentes; ægritudinibus magnis, aut vitijs corporis inſeparabilibus obnoxios; Matrem reddit viduam, vel infirmam; dat iacturam patrimonij aucta lumine. Minuta, ſi Planetæ iſti fuerint in angulis, facit claudos, gibbos, contortos, lunaticos, emptoicos, vel violentis caſibus ſubiectos; & nocet Patri in vita, & omnibus.

A Marte ad *I*ouem facit milites fortunatos, dat fortunam in militia, adminiſtrationibus, negotijs publicis, litibus, ludis, ſi Mars fuerit honorato loco conſtitutus: ſin minus omnia erunt minota.

A Marte ad Solem tribuit affectus oculorum, ſtomachi, moleſtias, difficultates, contrarietates, aliquando vitæ breuitatem; ſicut nocet vitæ Patris.

A Marte ad Venerem inclinat maximè ad voluptates, tribuit libidines, amores, ſtupra, adulteria, aliquando ex his pericula; facit pictores, & artifices, etiam qui metalla tractent.

A Marte ad Mercurium facit milites, licet prauos; Natos callidos nimis mendaces, fures, craſſatores, & malorum morum.

A Marte, ſi nulli Luna applicetur, facit iracundos, diſſenſionibus implicitos, & natura Martiales.

Lunæ

Digitized by Google

Lunæ Defluxus à Sole.

LVna à Sole ad Saturnum, corporis vitia affert, aut ęgritudines graues, & longas; affectus oculorum; Patrimonium delapidat, parentes diuidit, Patri autem præcipuè nocet; adducit pericula violentiæ; verùm ſemper diuitias pollicetur.

A Sole ad Iouem dignitates honores, gloriam, & diuitias impartitur.

A Sole ad Martem reddit Natos elatos, deditos delictis, & facinoribus, & violentis periculis obnoxios; & opifices tractantes opera ignea, & ferrea.

A Sole ad Venerem tribuit amicos Magnatum; Magiſtratum, & dignitates gerentium, ſuorum parum amantes; verùm diuites.

A Sole ad Mercurium dat ſcientias, facit philoſophos, ſcientias, & ſecreta perquirentes, ſapientes, negotia tractantes; nec laudabilium tamen morum.

A Sole ſi feratur in vacuum difficultat matrimonium, nec eſt Matri propitia.

De Defluxu Lunæ à Venere.

LVna defluens à Venere ad Saturnum creſcens, aut plena vxorem tribuit vetulam, vel turpem, vel fędatam; ſi Saturnus ſit potens, cum hæreditate libidines adducit ſpernendas, viros facit lenones, infames; fęminas meretrices; Minuta lumine facit ſteriles, genitalium vitijs implicitos, & prauorum morum; ſicut ægritudines ex nimia humiditate adducit.

A Venere ad Iouem facit Natos venuſtos, gratos, honoratos, deditos rebus Eccleſiaſticis, diuites.

A Venere ad Martem, libidinoſos, & ex cauſa fęminarum periculis implicitos.

A Venere ad Solem dat libidinem magnam, nec vt plurimùm putam.

A Venere ad Mercurium tribuit ſcientias, eloquentiam, poeſim, artes liberales verùm propenſionem ad voluptates, & libidinem.

De Defluxu Lunæ à Mercurio.

LVna à Mercurio ad Saturnum, vel aures, vel linguam moleſtat aliquo modo, niſi adſit aſpectus potens Martis; inclinat ad Mathematicas, Aſtrologiam, Aritmeticam, negotiationes; multoties facit cuſtodes carcerum, & ſi miles ob Saturnum, quærentes ſubſidia proprijs laboribus; dat carceres, & alia pericula ob delicta. Minuta lumine facit pauperes, fatuos, ferè inſanos, & affectibus cerebri laborantes in parte intellectiua. In nocturna genitura dat carceres, ſeruitutem, ægritudinem moleſtias, aut corporis vitia, ſeu ægritudines inſeparabiles; aliquando breuem vitam, vel pericula violentiæ.

Luna defluens à Mercurio ad Iouem facit Aulicos, cum Magnatibus conuerſantes; tribuit honores, & gloriam ex actionibus, & exercitio, ſicut diuitiarum incrementa.

A Mercurio ad Martem plena; facit infidos, mendaces, fures, fallaces, homicidas, ſacrilegos, latrones, periuros. Minuta lumine, lictores, tortores, carnifice,

nifices, milites prauos. Si Luna fuerit in ſignis Tropicis dat artes ſordidas manuarias. In domo Veneris facit tinctores, pictores. In domo Mercurij amatores armorum, & tractantes arma. In domo Martis facit Tribunos, dat publicos Magiſtratus. In domo Saturni negotiatores circa agricolas, vel pecudes.

A Mercurio ad Solem dat honores ex actionibus; & opificio.

A Mercurio ad Venerem facit deditum voluptatibus, & delitijs.

DE PLANETARVM CONIVNCTIONIBVS, & aſpectibus. Cap. VIII.

Planetæ dicuntur coniuncti Saturno, quoties à Saturno non diſtiterint plus gradibus duodecim, quantùm extenduntur radij orbis Saturni. Dicuntur Ioui diſtantes non plus grad. duodecim; ſic coniuncti Marte grad. ſeptem cum dimidio. In Sole grad. 17. In Venere grad. ſeptem; In Mercurio ſeptem cum dimidio: In Luna non diſtantes plus gr. 12. Quæ verò dicuntur de coniunctione quoad diſtantiam graduum intelligenda etiam ſunt de oppoſitione, & radijs trino, quadrato, & ſextili.

De Coniunctione Saturni.

Saturnus coniunctus Ioui bona decernit in Saturni ſignificatis; quæ ſuperius numerauimus; verùm minuuntur ſignificata beneficia Iouis. Demonſtrat Natum fortunatum in ſtabilibus, hæreditatibus, mortuis, honoratum apud Magnates, Principum negotia cum felicitate tractantem; ab omnibus habitum in honore, & exiſtimatione. Adducit tamen difficultates, & impedit vel retardat honores ſignificatos à Ioue.

Saturnus iunctus Marti reprimit in Nato qualitates Martiales; retardat ſperata, difficultat negotia publica, & adminiſtrationes, atque honores ſignificatos à Marte; Affert mortem fratrum ante Natum; & aliquando Nati mortem ante parentes.

Saturnus iunctus Soli moleſtias, oppoſitiones, & difficultates decernit in honoribus, ſicut in diuitijs; ſic damna in Patre, aut patrimonio; affert ſtomachi affectus, & eſt peior in Genitura nocturna.

Saturnus iunctus Veneri vxorem prohibit, vel retardat; eam tribuit viduam, ſenem, ancillam, vel malam; vel corruptam; Cum participatione luminarium inclinat ad libidinem cum Conſaguineis, & affinibus.

Saturnus iunctus Mercurio Natum decernit magni intellectus; Verùm impedit vel linguam, vel aures aliquo affectu; vt plurimùm facit pauperes niſi à beneficis adiuuetur.

Saturnus cum Luna vxorem denegat, vel difficultat; fluxiones, vel cerebri affectus adducit, atque ægritudines ex humoribus frigidis, nec bonam valetudinem ſine auxilio beneficorum: Nocet etiam Matri plurimùm.

Digitized by Google

De Ioue.

IVppiter iunctus Marti fortunatos facit milites, dat fortunam in Martialibus, adminiſtrationibus, negotijs publicis, itineribus, ludis, litibus; & in Martialibus honores, & diuitias.

Iuppiter iunctus Soli, dignitates tribuit vltra Nati conditionem, honores, & gloriam cum diuitijs; ſic Patrem dat felicem, præcipuè ſi Iuppiter fuerit orientalis, & in ſuis dignitatibus.

Iupiter cum Venere dat vxorem honeſtàm, caſtam, diuitem, bonam; plures filios, gaudia, diuitias, proſperitatem, tranquillitatem, honores.

Iuppiter cum Mercurio facit Natum optimorum morum, prudentem, circumſpectum, & bona adducit ex actionibus, & opificio.

Iuppiter cum Luna inclinat ad religionem; & ſi Natus ducet, vxor erit diues, pulchra, bona; dat itinera fortunata, diuitias, optimam valetudinem; ſicut Vitæ longitudinem Matri, & fortunam.

De Marte, & reliquis Planetis.

MArs iunctus Soli mortem citam Patris minatur; difficultates in honoribus, contrarietates, oppoſitiones, damna in Patrimonio; affectiones ſtomachi, vel oculorum, nec omnem optimam corporis valetudinem.

Mars cum Venere inclinat ad voluptates, & Venerea, dat adulteria, aliaque vitia libidinis; affert pericula, rixas, contentiones cauſa fæminarum, vxorem libidinoſam, inobedientem; ægritudines in pudendis, & ſimiles ex cauſa Venerea, & humorum corruptione. In Genitura fęminarum hæc coniunctio prædicit meretrices.

Mars cum Mercurio, celerem facit Natum in agendis, ſicut in ſermone, & inceſſu; Cæterum mendacem, callidum, & eloquentem, fallacem, contentioſum, & malorum morum.

Mars cum Luna, prædicit breuem vitam Matris, vel ob noxiam ægritudinibus; dat vitia in oculis præcipuè ſiniſtro, itinera plurima; pericula violentiæ; & aliquando vitæ breuitatem.

Sol iunctus Veneri diuitias, honores, exaltationem, & laudes impartitur.

Sol cum Mercurio optimum tribuit ingenium, & intellectum; ſicut honores à Magnatibus, & eorum familiaritatem.

Sol cum Luna vxorem denegat cum radio Saturni, affectus tribuit cerebri, & oculorum, præſertim in angulis.

Venus cum Mercurio decernit Natum voluptatibus, & Venereis propenſum, ornatui corporis, tripudijs, conuiuijs, & reliquis; affert tamen eloquentiam, & ſuauitatem ſermonis.

Venus cum Luna producit Natum pulchrum, & morum optimorum; verùm vxorem in ſtabilem prædicit libidinoſam; ſicut in matrimonio Natum in ſtabilem ob amicitias cum alijs fęminis.

Mercurius cum Luna ingenij exacti producit Natos, ſapientes, & ob ſcientias conſtituendos in honoribus, & exiſtimatione; licet vagos inſtabiles.

De

Digitized by Google

De Oppoſitione.

Saturnus oppoſitus Ioui damna decernit in negotijs, & tractatibus, difficultat honores, vel retardat; & tribuit infortunia in filijs.

Saturnus oppoſitus Marti affert pericula violentiæ; populares ſeditiones, damna in Patre, & ſtabilibus; aliquando vomitum ſanguinis.

Saturnus Soli oppoſitus anguſtias decernit Patri, & Nato, patrimonij iacturam, pericula exitus violenti, ægritudines; peiora tamen in Genitura nocturna, quàm diurna,

Saturnus oppoſitus Veneri, vel denegat vxorem, vel aliqualabe fedatam aut viduam, aut vetulam, vel morboſam; ſic affert magna vitia libidinis; & in angulis ſterilitatem.

Saturnus oppoſitus Mercurio linguam impedit, vel aures, & peiora affert, ſi ad fuerit Luna; & ſine præſentia Martis, qui frigiditatem Saturni infringat; adducit diſciplinas, licet noceat fratribus.

Saturnus Lunæ oppoſitus vitam prædicit breuem Matris, vel ægritudines Nato; In ſignis quadrupedibus affert damna à feris; In humanis ab hominibus; In aqueis pericula in aquis, vel ægritudines humidas. In tropicis caſus ab alto, ſicut in aereis, & aliquando ſuſpendium. Vxorem prohibet, ſi Luna fuerit ſub radijs Solis.

De Ioue.

Iuppiter oppoſitus Marti affert vitæ inæqualitatem, odia amicorum, pericula, quæ ex falſis, & temerarijs teſtibus inferuntur, damna in Patrimonio; lites, moleſtias ex Iudicibus, & Magiſtratibus; & Natos reddit maximè propenſos ad alearum ludos.

Iuppiter Soli oppoſitus Patrimonium infeſtat; oppoſitiones, perſequutiones, & difficultates ſuſcitat in honoribus, præcipuè à Magnatibus.

Iuppiter oppoſitus Veneri ſignificata Venerea infeſtat, quamuis cum felici exitu.

Iuppiter oppoſitus Mercurio populares ſuſcitat ſeditiones, teſtimonia falſa, detractiones in actionibus, diſplicentias à Potentibus; & mala in fratribus minoribus.

Iuppiter oppoſitus Lunæ plenæ dat dignitates, Præfecturas, honores, diuitias. Minuta lumine omnia erunt debiliora.

De Martis oppoſitione, & alijs Planetis.

Mars oppoſitus Soli de die, nocet Patri, & oculis; difficultates adducit, & contrarietates in honoribus. De nocte damna adducit in patrimonio, & corpus debilitat aliqua ægritudine. Nocte, vel die ſemper aliqua affert pericula de natura Martis.

Mars oppoſitus Veneri varijs libidinis vitijs Natos implicat, ex quibus damna, & infauſta adducit; nocetque Matri, vxori, & fœminis Nati.

Mars oppoſitus Mercurio Natos prædicit falſarios, mendaces, ſubdolos; periuros, fures, malæ conſcientiæ, cum malis conuerſantes: ſuſcitat accuſationes criminales, dat exilia, carceres ob delicta, tormenta in carceribus, & ſimilia.

Mars oppoſitus Lunæ nocet Matris vitæ, & oculis; inclinat ad rixas, homicidia, & huiuſmodi; & minatur exitum violentum.

Sol oppoſitus Lunæ dat mutationem ſtatus Nati in Vita, ſubſtantijs, & honore; reddit corpus languidum, dat affectus oculorum præcipuè in angulis.

Venus oppoſita Lunæ difficiles dat nuptias; negat filios, vt plurimùm, vel eos decernit breuis vitæ; & minatur iniurias, & damna ab vxoribus, ſi eas Natus ducet.

Mercurius oppoſitus Lunæ dat ſeditiones populares, damna, & iniurias in actionibus; affectus Cerebri ſi admiſceatur maleficus.

De Trino aſpectu.

Saturnus in trino Iouis apparatum pollicetur Natis ſtabilium, ædificia, fundos, & ſimilia; & ſi adfuerit Veneris radius, bona etiam in honoribus; dat propenſionem ad templa ædificanda; Cum Martis verò participatione ſuſcitat inuidias, & calumnias.

Saturnus in trino Martis, ſi fuerit in ſuis dignitatibus, lucra, ac quotidiana præbet diuitiarum incrementa, quemadmodum honores; facit namque Gubernatores Ciuitatum, & ſimilibus honoribus decorandos: minatur tamen fratrum mortem, vel mala.

Saturnus in trino Solis (ſi fuerint benè conſtituti) ſtabiles dignitates impartitur; verum in Genitura nocturna dat damna in patrimonio.

Saturnus in trino Veneris bene conſtitutus Natos decernit pudicos, bonæ famæ, ac conſuetudinis; dat tamen tardas nuptias; ſicut vilium infamijs ſubiectum Natum decernit.

Saturnus in trino Mercurij benè aſfectus eruditionem, ingenium excellens decernit; facit Conſiliarios, Cancellarios, ſcribas, præpoſitos computis, vel rationibus fiſcalibus, ex quibus honores, & bona decernuntur.

Saturnus in trino Lunæ bona pollicetur à Principibus, potentibus; ſi fuerint benè conſtituti; Male affecti dant affectiones frigidas, & fluxiones à capite; Mala in Mare, & vxore; vel difficultatem Coniugij.

De aſpectu trino Iouis.

Iuppiter in trino Martis dat adminiſtrationes, præcipuè in rebus eccleſiaſticis, negotia publica, bona ex litibus; ex adminiſtrationibus diuitias; Nati cum hac conſtitutione erunt audaces, prudentes, honoris cupidi, e lati; & aliquando periculis ſe exponentes.

Iuppiter in trino Solis ſemper tribuit exaltationem, honores, gloriam Patri, & Nato.

Iuppiter in trino Veneris dat Nato gratiam, venuſtatem, honores, dignitates eccleſiaſticas, laudes, diuitias multoties cauſa fœminarum, aut amicorum,

Digitized by Google

corum, amicitias cum Magnatibus, gaudia, bona in Matre, vxore, filijs pro qualitate perſonę.

Iuppiter in trino Mercurij facit Natos ingenioſos, ſapientes; tribuit honores ex actionibus, publica officia, dignitates, facit ſecretarios, Cancellarios Principum, & huiuſmodi.

Iuppiter in trino Lunæ tribuit authoritatem, dignitates, alacritatem, ſplendorem, diuitias, animi, & corporis tranquillitatem.

De trino Martis, & aliorum.

MArs in trino Solis, ſi fuerit fortis, & bené conſtitutus, dat authoritatem, potentiam, adminiſtrationes, & honorum inſignia.

Mars in trino Veneris dat quotidiana lucra, proſperum matrimonium; verùm libidinis incendia, hinc ſtupra, adulteria, & ſimilia Venerea.

Mars in trino Mercurij tribuit rerum publicarũ adminiſtrationes, facit Computiſtas, ſecretarios, & huiuſmodi cum honore, & diuitijs.

Mars in trino Lunæ proſperitatem, pollicetur in negotijs, & adminiſtrationibus, itinera, & motus animi multoties, & contentiones.

Sol in trino Lunæ dignitates, honores, & decorem, gloriamque impartitur.

Mercurius in trino Lunæ pro qualitate ſignorum, alijs facundiam orationis; alijs Muſicam; alijs picturam, alijs alias artes decernit; ſemper tamen ad negotia aptitudinem.

Venus in trino Lunæ amplos tribuit honores, felix matrimonium, bona in fratribus, ſororibus, & filijs, atque omnis generis voluptates.

Sciendum quod quæ dicta ſunt de radio trino, militant etiam de ſextili; verum debilius ob radij exilitatem.

De aſpectu Quadrato.

SAturnus in quadrato Iouis, & Saturnus in dextro, Iuppiter in ſiniſtro decernit detrimentum ſubſtantiæ, oppoſitiones, & pericula. Iuppiter in dextro omnia mitigat; exaltat Parentes ſplendore nobilitatis, ac honoribus.

Saturnus in quadrato Martis, Saturnus in dextro, patrimonium diſſipat; impedit actiones; nocet fratribus. Si Mars in dextro Parentum mortem tribuit citam, pericula adducit violentiæ, & patrimonium delapidat.

Saturnus in quadrato Solis, & in dextero, neruorum tribuit ægritudines, difficultatibus honores implicat, & dignitates; infauſtus eſt Patri, & patrimonio. Sol in dextro dat odia, & inimicitias domeſticorum, debilitat corpus ex ægritudinibus longis; negotia, & honores etiam difficultat.

Saturnus in quadrato Veneris dextro nocuus eſt Matri, matrimonio, & vxori, & demonſtrat vitia libidinis, præcipuè cum complicantia Martis, & in ſignis maſculinis. Venus in dextro honeſtas decernit vxores; & minora ſpernenda in Venereis.

Saturnus in quadrato Mercurij, & dextro minatur carceres, paupertatem, ſeruitutem, & mala inopinata; impedit linguam, vel aures. Si Mercurius in dextra omnia erunt minora.

Saturnus in quadrato Lunæ, et dextro, tribuit affectiones animi, et Corporis, & infeſtat omnia Lunæ ſignificata, etiam itinera, Matrem, vxorem, ſorores.

Luna in dextro vel mortem citam decernit Matri, vel Nato ægritudines; & pericula caſus, carcerum, ſic impedimenta tribuit, & diſplicentias in matrimonio.

De Ioue.

IVppiter in quadrato Martis, & dextro tribuit honores à Magnatibus, adminiſtrationes, negotia publica, & huiuſmodi. Mars in dextro lites, labores, calumnias, diſplicentias à Magnatibus.

Iuppiter in quadrato Solis, & dextro, Patri, & Nato tribuit honores, & dignitates. Sol in dextro Patrem decernit honoratum; ſed minatur labem patrimonij.

Iuppiter in quadrato Veneris, & dextro pollicetur bona, & diuitias à mulieribus; & Natum prædicit fidum, honeſtum bonum. Venus in dextro libidines adducit, fornicationes, ac huiuſmodi.

Iuppiter in quadrato Mercurij, & dextro inclinat ad Mathematicas, Geometriam, Arithmeticam, Aſtrologiam, & alias ſcientias cum honore, & diuitijs. Mercurius in dextro dat honores cauſa opificij, & vtilia à ſeruis, vel fratribus Nato minoribus.

Iuppiter in quadrato Lunæ, et dextro, vel ſiniſtro ſemper honores, et dignitates impartitur; amicitias cum Magnatibus; verùm felicitates fluxibiles, nec perpetuo duraturas.

De quadrato Martis, & aliorum Planetarum.

MArs in quadrato Solis & dextro dat affectus oculorum, & ſtomachi; pericula violentiæ, & damna in diuitijs. Sol in dextro difficultat honores, & mala adducit in Patre, & Nato.

Mars in Veneris quadrato in deſtro, vel ſiniſtro moleſtias diſplicentias, damna, & pericula minatur cauſa mulierum, ex luxu, meretricibus, & huiuſmodi.

Mars in quadrato Mercurij dat calumnias criminales, carceres, pericula Martialia, exilia, delicta; & mala animi, & Corporis.

Mars in Lunæ quadrato dextro dat pericula Martialia ex ferro, igne, animalibus in itineribus. Luna in dextro vxores tribuit malorum morum, & præterea itinera, labores, pericula, damna in diuitijs.

Sol in quadrato Lunæ & in angulo honores pollicetur cum auxilio beneficorum; ſi adfuerint malefici, plura minatur infortunia.

Venus in quadrato Lunæ in dextro dat diuitias; ſed detrimenta, & dedecora cauſa fęminarum. Luna in dextro fortunam prębet in omnibus, ſicut præcipuè cauſa mulierum.

Mercurius in quadrato Lunæ facit Natos inſtabiles, ſuſcitat ſeditiones populares; verùm facundiam impartitur.

Digitized by Google

DE GRADV HOROSCOPANTE, SEV DE RECTIficatione Geniturarum. Cap. IX.

PRincipale in Genithliaca facultate ſundamentum, ſeu Natiuitatum iudicio (quod artis ſubſtentaculum nominat Ptolemæus) eſt in momento Natiuitatis Zodiaci gradus in lineam orientalem incidentis indagatio; ex quo animi, corporis, fortunarum, & aliorum in vita contingentium cognitio dependet omnimoda; in quo aſſequendo dubietas innaſcitur maxima; cum ſiue Aſtrolabio, vel alio inſtrumento, ſiue ſolaribus horologijs, vel ex arenulis, aut aqua paratis perſcrutetur haud difficile ſit in errorem incidere pro horæ minutorum exacta obſeruatione; incidimus quippe in errorem ex inſtrumentis, cum præter exactionem eorum raram, in obſeruationibus ob refractiones, parallaxeſque dubitationibus inuolutas, aliaque per multa neceſſaria peritiſſimi etiam vt plurimùm in errores haud paruos delabantur; ac inſuper cum non liceat perpetuò obſeruare ob nubes interpoſitas, aliaque impedimenta. Nec ſcioterijs quidem fidendum eſt ob diuerſas declinationes, vel horizontales differentias pro locorum diuerſitate, ac etiam cum ſæpè noctu contingat Natiuitas. Sic nec aqua conſtructis, vel arenulis horologijs; cum ſereno Cęlo citius, nubiloſo ocyus & humido aquę, arenulæque deſcendant. Tot hinc Antiquiores difficultatibus exterriti, alias vias excogitarunt quibus dictus Zodiaci gradus aſcendens tempore exitus Nati ex materno vtero eliceretur. Triplices ab ipſis ſunt proditæ; prima per conceptionem vocata Trutina Hermetis: ſecunda Animodar Ptolemæi: tertia per accidentia tranſacta; quæ vltima inſeruit adulto iam Nato, nec ſtatim exorto.

Prima Hermetis Triſmegiſti hæc eſt, ſuo fundata aphoriſmo in Centiloquio, quod falsò Ptolemæo adſcribunt; quod locus Lunæ in Natiuitate eſt Aſcendens in conceptione; & locus aſcendens Lunæ in Conceptione eſt aſcendens Natiuitatis; vel locus oppoſitus; quæ regula tali pacto aptatur in praxim, per infrapoſitam tabellam. Conſtructa figura cęleſti hora extimatitia Natiuitatis videnda eſt diſtantia Lunæ ab angulo orientis, ſeu linea orientali ſi Luna fuerit reperta ſub terram; vel à linea occidentali ſi ſupra terram ſubtrahendo ſigna, & gradus angulorum à loco Lunæ; cum hac diſtantia ingredienda eſt tabella ſequens, quæ eſt temporis manſionis Nati in vtero; & è detecto eliciemus moram in vtero in diebus; qui dies ſubtrahendi ſunt à die Natiuitatis, emergetque dies conceptionis. Luna deinceps ad Meridiem diei conceptionis conſtructa figura cęleſti conſideretur; quæ ſi ab angulo orientali figuræ Natiuitatis non diſtiterit plus gradibus tredecim, hæc erit dies vera conceptionis; ſi plus grad. 13. pro conceptione ſumenda dies antecedens, aut ſubſequens prout Luna fuerit propinquior Aſcendenti dictę Natiuitatis; quod ſedulo attendendum eſt ab alijs ommiſſum obſeruationibus congruum; cum plurima adſint intrinſeca, ac extrinſeca, quæ partum accelerant, & retardant.

Pro hora præciſe conceptionis indaganda; conſtructa figura cęleſti in Meridie diei conceptionis repertę ſumenda eſt aſcenſio recta ſolis numerando à

 princi-

principio Capricorni, non Arietis; quæ ſubtrahenda eſt ab aſcenſione obliqua Lunæ ſumpta in altitudine Poli Regionis: Hæc differentia a ſcenſionum commutanda eſt in horas, & minuta more ſolito, tribuendo pro ſingulis quindecim gradibus horam vnam; pro ſingulo gradu horæ minuta quatuor; & hæ horæ, & minuta erunt poſt meridiem diei conceptionis, ſub quibus figura cœleſtis conſtruenda; inqua locus Lunæ debet eſſe Aſcendens Natiuitatis, & è contra.

Signa & gr.	*Diſtantia ☽ ab Oriente*	*Diſtantia ☽ ab Occid.*
	Dies	Dies
0	273	258
12	274	259
24	275	260
1 6	276	261
1 18	277	262
3 ●	278	263
2 12	279	264
2 24	280	265
3 6	281	266
3 18	282	267
4 0	283	268
4 12	284	269
4 24	285	270
5 6	286	271
6 18	287	272
6 0	288	273

Menſes	*Anni Comun.*	*Biſſext.*
Ianuar.	31	31
Febr.	59	60
Mar.	90	91
April.	120	121
Maius	151	152
Iunius	181	182
Iulius	212	213
Auguſt.	243	244
Septem.	273	274
Octob.	304	305
Nouem.	334	335
Decemb.	365	366

ALIQVA DE CONCEPTIONE, ET DE eius figura cœleſti. Cap. X.

Viri ſemen in mulieris vteri capacitatem iniectum, calore partium circum adiacentium tandem corrumpitur; licet vario temporis ſpatio in omnibus, hocque pro varietate qualitatis ſeminis, & pro qualitate calidioris, aut frigidioris matricis; quo corrupto (cum corruptio vnius ſit generatio alterius) embrio emergit: in qua traſmutatione elementorum qualitates tam actiuæ quam paſſiuæ in dictum embrionem ex Aſtris infunduntur; nec non animi propenſiones, quæ corporis temperamentum ſemper ſubſequuntur. Viuit in principio fœtus hic vita ſenſitiua, & vegetatiua, vt in aliquo abortu conſpici poteſt ſi conſtituatur in aqua calida; in quo ex villis quibuſdam, quaſi neruis, aut venulis ſingula cognoſcuntur humana membra, & ſe mouentia: Infunditur deinde rationalis anima ſecundum pleroſque diuerſo tempore in fœtu maſculino, & fæminino. Cæterum dictæ qualitatis elementorum, quæ eædem

ſunt

ſunt corpuſculo organizato, & infuſa anima rationali in ſingulis extant diuerſæ, pro diuerſa Planetarum, & fixarum ſtellarum conſtitutione tunc temporis in diuerſis Cæli locis, in varijs Circuli Zodiaci ſignis; atque ob varias Planetarum coniunctiones, & inter ipſos configurationes, quemadmodum etiam aliquo pacto ex Parentum diuerſitate, cum naſcantur filij in animi, & corporis qualitatibus vt plurimùm Parentibus ſimiles; & naturaliſſimum ſit omnibus naturæ conſtantibus ſibi ſimile procreare. Hæ qualitates ex Aſtris, vel Genitorum ſympathia impreſſæ, poſt exortum fætum remanent intactæ vſq; ad vitæ extremum; vnà cum propenſionibus ad accidentia tam fauſta, quàm improſpera ſubeunda ex eiſdem Aſtris infuſa: quæ exactius ex figura hac Conceptionis cęleſti conſtructa eluceſcunt, quam ex tempore natiuitatis erecta, & exitu ex aluo materna; ſummaque ratione, cum inter duo humani corporis, & Vitæ principia, conceptionem ſcilicet, & natiuitatem; conceptio ſit primarium, ex quo omnia ſumunt exordium, & apparentias; vt conſpicimus luciſſimè in Natis cum aliquo corporis vitio obortis, vt cæcitate, claudicatione, vel alio corporis impedimento, cuius origo non à Natiuitate, verùm à conceptione ſumpſit exordium: Hinc nulli dubium eſt ex figura conceptionis non tantùm conſpici, quæ in Vita poſt Nati ortum contingent propitia, aut infauſta; ſed etiam fætus ſtatum toto tempore, quo fuit incluſus in vtero; hocque ex Planetarum, & ſtellarum dominio, & præcipuè Planetarum tunc temporis; cuius dominij ordo eſt, vt primo menſe in vtero dominetur Saturnus: ſecundo Iuppiter; tertio Mars: quarto Sol; quinto Venus; ſexto Mercurius: ſeptimo Luna; & completo circulo redeat dominans Saturnus menſe octauo; & nono Iuppiter; de quorum Planetarum influxibus eo tempore moræ fętus in vtero aliqua breuiter perſtringemus ex dicta figura conceptionis.

Primo menſe conceptionis Saturnus dominatur, cuius ſtiptica qualitate humanum ſemen collectum in vteri capacitate, & concurſum poſtea in embrionem figitur, & retinetur; et ſi Saturnus fuerit fortis in aliqua ex ſuis dignitatibus decernit hoc principium tolerari facillimè à muliere, non ad futuros dolores, non nauſeam ciborum, vel appetentiam deprauatam; non vteri paſſiones, aliaſque prægnantium affectiones moleſtas. Si idem Saturnus dominans fuerit in dignitatibus Iouis, vel aliquo Iouis aſpectu benefico, ac potens in locis Mercurij, Lunæ, & Aſcendentis, pollicetur præterea optimam prægnantis mulieris valetudinem, & animi tranquillitatem; ſi in dignitatibus Martis, vel Martis quadrato, oppoſito, aut intuente illo menſe, vel dolores vterinos prouocat, ſanguinis eruptiones ex vtero, renum dolores, & paſſiones geſtationis, fętus difficultatem; vel aliqua pericula abortionis ex debili cauſa. Si adfuerit in aliquibus viribus, vel radijs Veneris, benefici parit lętitiam, & prægnanti hilaritatem tam in facie, quàm actionibus cum optima valetudine, & geſtationis facilitatem; ſi Saturnus fuerit benè conueniens cum Mercurio mulierem diſponit facilem ad motum, quod confert ad fętum conſeruandum.

Dominatur Iuppiter ſecundo menſe conceptionis, qui ſua beneficentia, & temperatis qualitatibus affert incrementum embrioni, & principia ſenſationum; Iuppiter fortunatus in ſuis dignitatibus potens ſuas miſcet qualitates, quas fętus in lucem productus, & infuſa anima conſeruat, & retinet; Si Iuppiter fuerit in viribus, aut radijs Saturni aliquando potens in locis Mercurij,

Lunæ, vel Aſcendentis, præparat ſuo tempore inclinationem ad res occultas, & ſecretorum ſcientiam. Si hoc pacto fuerit in Martis dignitatibus, vel aſpectu, propenſionem orditur ad Martialia exercenda, & eorum deſiderium, adminiſtrationes, & ſimilia, proſpera, vel aduerſa, prout fuerint radij Martis conſtituti, quorum affectus ſortientur Nati in ætate competenti conſtituti. Si fuerit Iuppiter in Veneris dignitatibus, vel radijs eius beneficis, propenſiones decernit exercendas ſuo tempore ad voluptates, & delitias, opificiaque voluptatis, Muſicam, poeſim, rhetoricam, & Venerea cum fortuna; e contra ſi Venus, vel eius radij fuerint infauſti. In dignitatibus Mercurij propellit ad ſcientias præcipuè Mathematicas, merces, & Mercurialia cum fortuna, vel moleſtijs prout fuerit Mercurius conſtitutus.

Mars dominatur menſe tertio in vtero, qui ſuo calore auget fætum; & fortis in figura ſuſcitat eum ad motum; qui ſicut (in alijs contingit) ſi fuerit potens aliquo pacto in locis Mercurij, Lunæ, vel Aſcendentis, in dignitatibus, vel radijs Saturni grauitatem, & prudentiam infundit in exercendis Martialibus, negotijs publicis, & adminiſtrationibus; & inſuper tenacitatem iræ, ac vt plurimum malos mores. Complicatus Mars Ioui fortunam affert in Martialibus, & honores, aptitudinem ad negotia, & adminiſtrationes graues Reipublicæ, & Principum. In ſuis dignitatibus imprimit iracundiam, calliditatem, dominandi cupidinem, & ſimiles qualitates Martiales. Cum participatione Veneris ad amores luxus, & voluptates inclinabit pro tempore, ex quibus mala, & infortunia emergent. In dignitatibus, aut radijs Mercurij nimiā afferet calliditatem, Natoſq; vt plurimum prædicit rixoſos, malignos, fures, mendaces, & huius generis.

Quarto menſe Sol dominium obtinet; qui dominus vitalis potentiæ membrorum ſingulorum adducit perfectionem; & fortis in figura Cæleſti qualitates imprimit dominio idoneas; quarum cauſa alijs pro tempore imperabit, magnanimitatem, fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam. Si fuerit Sol vt diximus in alijs, Saturno complicatus afferet pro tempore timores, patientiam iniuriarum, & qualitates abiectas, & potius ſpernendas. Conciliatus Ioui optimum influit iudicium, propenſiones ad dignitates, & honores adipiſcendos, authoritatem ſuper alios, & potentiam. Complicatus, vel in dignitatibus Martis Natum exponet magnanimum, fortem, audacem, alijs vim inferentem, diuitijs deditum, honorum affectatorem, & cupidum, & periculis aliquando implicitum. Conueniens Sol in figura cæleſti cum Venere conferet pulchram corporis conſtitutionem, & membrorum; duram capacitatem in ſcientijs; Applicitus Mercurio vel in Mercurij dignitatibus optimum prædicit ingenium, ſapientiam, & gaudia ab honoribus, & actionibus.

Quinto menſe dominatur Venus, quæ benè conſtituta corpus benè proportionatum producit, aſpectum pulchrum, lætum; ſed libidinis Natum affectibus implicitum. Quod præcipuè ſi fuerit applicata Mercurio, Lunæ, aut Aſcendenti. Venus in dicta figura conceptionis in dignitatibus, vel radio, aut coniunctione Saturni, Natos producit ſicco corporis temperamento, parū deuotos, deditos itineribus, & multis ægritudinibus obnoxios. Si eodē modo fuerit cum Ioue familiaris, Nati erunt caſti, pulchri, venuſti, boni. Si cum Marte Nati erunt libidinoſi, dediti voluptatibus, vt plurimum iracundi, capillis flauis.

Si

Si cum Mercurio Natos producit longis maxillis, mendaces, multorum verborum, ſicut coitus.

Sexto menſe regit Mercurius; cuius vi totum corpus cum membris ſingulis acquirit motum; & potens in figura influit ſcientias, eloquentiam, doctrinam, & qui alios facili commoueant ſuaſionibus. In dignitatibus, vel radio Saturni ingenium Natis affert acutum; verùm vel linguæ, vel aurium impedimenta multoties, & multoties mendacia. Complicatus Ioui hoc modo procreat ſapientem Natum, de omnibus ſciſcitantem, bonum, honeſtis moribus. Complicatus Marti maledicum, furem, mendacem, malorum morum; artificijs tamen idoneum, & Mathematicis. *Mercurius* ſociatus Veneri prædicit eloquentem, plurima inuenientem ſuo ingenio; verùm cum nota libidinis.

Septimo menſe Luna obtinet dominium; quo menſe omnibus in corpore completis, ſi fętus ædatur in lucem, viuere poterit, niſi in dicta conceptionis figura Luna fuerit à maleficis afflicta aliquo modo ex his, quæ numerauimus Cap. de his, qui non nutriuntur.

Completo circulo dominij ſeptem Planetarum in ſeptem menſibus; rea ſumit dominium Saturnus octauo menſe: quo ob huius Planetæ malefici vires Nati non viuunt ſi naſcantur; niſi quando Luna tunc temporis fuerit in greſſa nonam Lunationem, quod multoties contingit, & quod experientia comprobatur.

Iuppiter beneficus redit ad dominum mente nono, & ſua permanente beneficentia Nati viuunt dum oriuntur. In quibus ex figura hora Natiuitatis erecta, quæ concordat cum figura conceptionis de omnibus prædicendum expoſitis in hoc libro ex Ptolemæi mente, & aliorum. Cæterum conſpicere licet quantum horam conceptionis interſit, & optimè callere.

Secunda via indagandi gradum Aſcendentis in Natiuitatibus eſt Ptolemæi Amnimodar. Conſpiciendum an Natiuitatem præceſſerit coniunctio luminarium, an oppoſitio: Si præceſſerit coniunctio videndum quis Planetarum in loco coniunctionis plures obtineat dignitates ex quinque eſſentialibus, domicilio nempe, exaltatione, trigono, facie, & terminis; numeruſque graduum, in quibus fuerit dictus Planeta repertus collocandus eſt in *Medio* Cęli, vel Aſcendente figuræ Natiuitatis conſtructæ, prout gradus Aſcendentis, vel *Medij* Cęli fuerint numero propinquiores gradibus Planetæ, exempli gratia. Sit Natiuitatis figura in qua aſcendat grad. 10. Arietis; & in *Medio* Cæli ſint grad. 5. Capricorni: ſit tranſacta luminarium coniunctio celebrata in Sagittario, cuius loci dominator eſt Iuppiter qui ſit in figura in gradu 8. Virginis, vel alterius ſigni: tunc conſtituemus in Aſcendente grad. 8. Arietis cum 8. ſint viciniores 10. poſitis in Aſcendente, quam 5. conſtitutis in *Medio* Cæli; Conſtitutis igitur grad. 8. in Aſcendente via rationali figura cęleſtis conſtruenda, & emerget rectificata per Amnimodar. Si Natiuitatē præceſſerit oppoſitio luminarium, conſpiciendum tempore dictæ oppoſitionis, quod ex luminaribus fuerit ſupra terram; & tunc illius gradus quos obtinuerit in figura cæleſti collocandi erunt in Aſcendente, vel *Medio* Cęli pro vicinitate graduum, vt ſupra, & conſtruenda poſt modum figura rationalis, & cęleſte Thema.

Hęc via multoties exacta reperitur licet non perpetuò: ſemper autem quando

do

do Planeta, qui rectificat obtinet dignitatem in loco, quem rectificat.

Obſeruationibus etiam didicimus, quod quando Planeta rectificans eſt plurimùm diſtans ſuis gradibus à gradibus *M*edij Cęli, vel Aſcendentis, rectificatio facta per gradus Antiſcij ſui, Imperantis, aut obedientis prodit etiam exacta; vt ſi Planeta verbi gratia fuerit in gradibus 25. alicuius ſigni, & Aſcendens in grad. 6. & *M*edium Cęli in grad. 2. tunc conſtituentur in Aſcendente grad. 5. correſpondentes gradui Antiſcij, vel contra antiſcij Planetæ rectificantis.

Tertia via rectificandi Aſcendens eſt per accidentia tranſacta proſpera vel infauſta, quod contingit in eorum Geinturis, qui huiuſmodi accidentia experti ſunt; indagaturq; ex Directionibus, profectionibus, vel tranſitibus.

Ex directionibus hoc modo obſeruatur. Sunt proportionatæ ad hoc munus directiones Aſcendentis, & *M*edij Cęli; cum vnus gradus directionis ſolum ſubeat variationem quatuor horæ minutorum; quod non contingit in directionibus aliorum aſpectuum Solis, & Lunæ. Dirigitur Aſcendens pro corporis affectionibus, & Vita, atque itineribus; *M*edium Cęli pro opificio, honoribus, *M*atre, & etiam aliquando pro itineribus.

Conſtructa figura Cęleſti hora quo verius fieri poterit extimatiua, ſupputandæ ſunt Aſcenſiones rectæ Medij Cæli, & promiſſorum longa ſerie, & quouſque comprehendant ſpatium temporis, quo accidentia quæ fuerint aſſignata contigerint; Eodem pacto ſupputandæ Aſcenſiones obliquæ Aſcendentis, & promiſſorum ad eleuationem Poli Ciuitatis.

Notanda ſunt accidentia tranſacta; quæ ſi fuerint Vitę, & ægritudines, vel itinera pertinent ad Aſcendens; ſi honorum, Parentum, vel aliorum pertinent ad *M*edium Cęli.

Sciendum Genituras plurimas hoc modo rectificari per mortem Parentum; *M*ors quidem *M*atris ex directione *M*edij Cęli ad corpora, radios maleficos, intuentia Saturni *M*artis, & Solis, & etiam ad radios maleficos Lunæ, & Veneris; *M*ors Patris ex eiſdem directionibus, quæ ſunt æquales factis ex domo quarta, quæ ſignificat Patrem ad loca dicta Saturni *M*artis, & Solis.

Sumpto ergo accidenti verbi gratia fauſto alicuius honoris trãlacti, vel dignitatis in anno, menſe, & ſi fieri poterit præciſè quo contigerit; *M*edium Cęli adaptandum eſt, vt hoc tempore peruenerit ad aliquem beneficum Iouem, aut Venerem, vel eorum radios ſextiles, aut trinum, vel ſextiles, aut trinum Lunæ, aut Solis; vel etiam ad Antiſcia Iouis; aut Veneris; quo peracto videndum ſi aliæ derectiones beneficæ, aut maleficæ *M*edij Cæli, & Aſcendentis congruant circa tempus cum alijs accidentibus, quæ contigerunt; quod ſi congruant figura Genituræ eſt rectificata; ſi ſecus tunc toties permutandus eſt gradus *M*edij Cæli quouſque directio ad aliquam alium beneficum pro dicto honore, & alia accidentia ſignificata ab Aſcendente cum directionibus Aſcendentis etiam congruant.

Sic noto accidenti aliquo ægritudinis, vel alterius affectionis in Corpore, & vita; adaptandum eſt Aſcendens, vt illo tempore directione pertingat aliquem maleficum, vel radios, vel intuentia malefici; ſi poſtea alia accidentia conſenſerit cum directionibus eiuſdem Aſcendentis, & *M*edij Cæli, conſtituto gradu Aſcendentis, quo peruenerit ad maleficum, tunc exarata erit rectificatio:

ficatio: ſi diſſenſerint, vt diximus de *Medio* Cęli permutandus eſt gradus Aſcendentis, quouſque omnia accidentia congruant cum derectionibus; opus facillimũ exercitatis in calculis Directionũ, quamuis videatur cum difficultate.

Rectificatio per profectiones eodem modo tractatur ſicut ſuperius: erecta enim figura cęleſti, & notatis accidentibus tranſactis, videndum an tempore alicuius accidentis inſignis Aſcendens, vel Medium Cęli profectione ad Planetam, vel radium alicuius hoc decernat, & aptetur vt adamuſſim profectio incidat in illum locum retificando Aſcendens dictum per tabulam profectionum; quo peracto manente exacta profectione videndum, ſi Aſcendens hoc modo, vel Medium Cæli rectificatum directione ad promiſſores demonſtret tunc temporis aſſignata alia accidentia; quia rectificatio erit exacta. Infitima eſt hæc rectificatio, & rarò congrua, cum preſertim ex profectionibus plurimæ eueneſcant, quicquid alij commententur.

Rectificatio per tranſitus quando fieri poterit eſt exactiſſima, & facilis. Notato aliquo inſigni accidenti ſiue honoris, ſiue ægritudinis, aut alterius infauſti in Vita ad diem anni præcisè. Si fuerit honoris videndum ſi illa die beneficus Planeta Iuppiter, aut Sol tranſeat Medium Cæli; vel ſi fuerit in Vita accidens, ſi maleficus Saturnus, vel Mars tranſierit Aſcendens Natiuitatis; & gradus illius Planetæ, ſi aliquid erit diſtans à poſito in figura, collocandus eſt in Aſcendente ſi Accidens fuerit in Vita; vel in Medio Cæli ſi fuerit in honoribus, & rectificata erit exactiſſimè Geneſis experientia. Cum verò loca Planetarum aliquando non ſint exacte obſeruata; ex directionibus melius fit rectificatio, etiam ad minuta.

De Vitæ Spatio.

QVam difficilis ſit vitalis termini præcognitio, hoc vno patet, quod eſt liber Dei Optimi Maximi annunciare, quæ ventura ſunt, poſſe tamen hominis intellectum ex ſecundis cauſis coniectare de humano vitæ termino in conueniens non eſt; ſingula namque, quæ ſub Luna contingunt ſuas cauſas habent, quæ & ſi oculis non conſpiciantur, nec palpentur manibus in caſum, & fortunam referenda non ſunt, nec accidunt præter intentionem agentis; Vita ergo humana, cum rerum omnium ordo à ſummo opifice Deo ſtabilitus exiſtat, in ſingulis periodo quadam terminatur; idque ex Cæli influentijs, atque circuitione Planetarum ſuper circulum Zodiacalem; qui tamen non neceſſariò in nobis operantur, vt falſo aliqui arbitrati ſunt; verum vt ſecundæ cauſæ, miniſtrique moti à Dei potenti voluntate, & vt dicebat D. Thom. 2. de generat; cùm fuerint fortiores plures Natis annos, cùm debiliores pauciores impartiuntur.

Ptolemæus igitur Alixandrinus Aſtiologorum facile Princeps in ſuo Quadripartito de Vitæ ſpatio contemplationem tractans, eam ex tribus dependere oſtendit, Aphetis nempe, locis Apheticis, & Aneretis. Apheta Græce, Hylech Arabice, Latine dimiſſor dicitur, quem vitæ datorem, & ſignificatorem nominamus; quique vitam in Cæleſti figura decernit; Anereta dicitur abſciſſor, ſeu interfector, qui vitam Natis abſcindit. quando directione occurrit

curnt

currit Aphetæ, & vitæ ſignificatori; loca aphetica, ſeu Hylegialia ſunt domus cæleſtes, in quibus Aphetæ conſtitutı poſſunt decernere vitam, in quibus omnibus hic eſt ordo ex Ptolemæo.

Loca Aphetica quinque numerantur, Medium Cæli, vndecima, prima, ſeu Aſcendens, ſeptima, & nona; omnes ſupra terram; excluduntur què à prærogatiua Aphetica reliquę domus ſub terra; nec non octaua, & duodecima, vt prima domum, ideſt Aſcendens non intuentes, quod præeſt Vitæ primariò: cum reliquæ domus ſupra terram idem Aſcendens reſpiciant; ſeptima quippe oppoſitione; nona trigono, Medium Cæli quadrato; vndecima ſextili.

Aphetæ quinque ponuntur ex eodem Ptolemæo; Sol, Luna, Aſcendens, ſeu linea orientalis, Pars fortunæ, ſeu Horoſcopus Lunaris; & Planeta, qui plures prærogatiuas, & dignitates, obtinuerit in loco Solis, Lunæ, Partis fortunæ, Aſcendentis & loco coniunctionis, vel oppoſitionis præcedentis Natiuitatem; in quibus ſeruandus eſt hic ordo tam in Genitura diurna, quàm nocturna.

In Natiuitate diurna conſpiciendum, an Sol reperiatur in loco aliquo Aphetico ex quinque numeratis, Aſcendente videlicet, Medio Cæli, domo vndecima, nona, vel ſeptima; nam ipſe ſtabiliendus eſt Apheta, & vitæ ſignificator: Verùm, ſi Sol fuerit in octaua; aut duodecima; videndum, an Luna in loco aliquo Aphetico conſtituta ſit, quo caſu ipſa Apheta ſtabilienda eſt. Si luminaria fuerint hac prærogatiua deſtituta, accipiendus eſt pro Apheta Planeta ille, qui dignitates obtinuerit plures in illis locis ſupradictis, Solis, Lunæ, Aſcendentis, Partis fortunæ, & coniunctionis, vel oppoſitionis præcedentis Natiuitatem, facto ſcrutinio ex quinque dignitatibus, domicilio, exaltatione, trigono, finibus, & perſonæ, dummodo hic Planeta fuerit repertus in loco Aphetico; Quod ſi nec iſte fuerit ad vitam moderandam idoneus aſſumetur tandem pro Vitæ ſignificatore Aſcendens, ſeu orientalis linea; ex cuius conſtitutione ſingula, quæ in Vita contingent demonſtrantur.

In nocturna Genitura locum primum Luna occupat, quę reperta in locis Aphericis ſignificatrix vitæ ſtatuitur: ſi verò fuerit in octaua duodecima, vel ſub terra; ſolque fuerit in crepuſculo matutino, & in illis viginti quinque gradibus poſt lineam orientalem, ipſe erit Vitæ prorogator. Quo excluſo iterum indagandus eſt Planeta dominator in locis dictis, an fuerit in loco Aphetico: quo idoneo non reperto, accipienda eſt pro Apheta Pars fortunæ, ſeu Horoſcopus lunaris dummodo fuerit in locis Apheticis; omnibus tamen excluſis Horoſcopus Regionis, Aſcendens, & linea orientalis erit Apheta, & vitæ moderatrix.

Notandum, quod, vt ſæpè contingit, ſi fuerint duo, aut tres ſignificatores in locis Apheticis, Sol quippe, Luna, & Planeta illorum locorum dominus, tunc eligendus eſt validior tum ratione dignitatum eſſentialium, tum ratione loci, & ſitus; ex Sole, & Luna eligendum eſt luminare potentius: nam poſita exempli gratia Luna in Medio Cæli, & ſuis dignitatibus; Sole verò peregrino in ſeptima, aut nona, quamuis Natiuitas ſit diurna, Luna erit præferenda; Dominus etiam illorum locorum poterit præferri ex Ptolemęo luminaribus, cum fuerit ſcilicet in loco eminentiori, & ſuis dignitatibus; & luminaria debilia, tum ratione loci, tum ratione dignitatum eſſentialium; quamuis

hæc

hęc Prolemęi poſitio Retentioribus vt non congruens non conceditur.

Nos ſumma, aſſiduaque ducti experientia plurimum poſſe in vita Aſcendens, & lineam orientalem exiſtimamus, etiam ſi Sol, vel Luna fuerit Apheta ex Ptolemæi dogmate; Sic luminaria, vt dominantia potentijs vitali, & naturali, ex quibus conſiſtit vita vbique locorum conſtituta eſſe pro corporis affectionibus conſideranda; etiam ſi Aſcendens fuerit Apheta. Multi excluſis omnibus ſolùm Aſcendens pro Vita conſiderant, quæ opinio obſeruationibus non correſpondet.

Cæterum Arabum ſchola pro vitæ ſpatio præter Aphetam, ponit Alchocoden, ex quo annorum quantitatem venari profitentur, dicentes Alchocoden, ſeu ſtellam virtutis eſſe Planetam plures dignitates obtinentem in loco Aphetę, ſiue Apheta ſit Aſcendens, ſiue luminaria; & inſuper tam luminaria, quam alios Planetas poſſe hac Alchocodea virtute gaudere, & tribuere Natis ſuos annos maiores, minores, aut medios pro eorum conſtitutione valida, aut debili; dummodo Apheta non impediatur ab aliqua directione: ſi enim Alchocoden fuerit fortis in angulo, in ſuis dignitatibus conſtitutus, non retrogradus, combuſtus, aut alio modo infortunatus dabit ſuos annos maiores; ſi mediocriter fortis medios: ſi debilis minores; & tandem maximè afflitus pro annis menſes, aut dies; quæ alijs obſeruanda, vt futilia relinquimus.

Maiores.		Medij.	Minores.
♄	57	43	30
♃	79	45	12
♂	66	40	15
☉	120	69	19
♀	52	45	8
☿	76	48	20
☽	108	66	25

De Aneretis.

ANeretæ, ſeu abſciſſores ſunt corpora Saturni, & Martis, eorum radij quadrati, & oppoſiti, eorum Antiſcia, Imperantia, & obedientia, illorumque radius ſextilis in ſignis longarum Aſcenſionum, trinus in ſignis breuium, qui habentur pro quadratis. Poſita Luna Apheta Solis corpus interimit, & eſt Anereta; idem militat de oppoſitione, cum oppoſitorum eadem ſit ratio; contenduntque plurimi, etiam radios Solis quadratos etiam interimere, quod nos multoties obſeruauimus; verùm hoc credimus cùm Sol fuerit imbutus natura malefica, radijs, aut corpore Saturni, vel Martis; quemadmodum Mercurius poterit eſſe Anereta, cùm aſſumpſerit Martis, aut Saturni qualitates, vt quotidie experimur. Statuunt plurimi Lunam Aneretam quando tetigerit directione Aſcendens, & lineam orientalem; ſeu idem Aſcendens Lunam; idemque contendunt de Lunæ radijs quadratis, ac oppoſitis, nec non

de

de Intuentibus. Sic Aneretam faciunt cuſpidem domus quartæ vocatæ foueę, nec abſque experientia.

Ptolemæus in Aphetæ directione poſiti inter domum ſeptimam, & Medium Cæli vnum tantummodo ſtatuit Aneretam, Occidentis videlicet angulum; reliqua verò corpora, vel radios maleficorum incidentes inter dicta loca non interimere: verùm (facta etiam diſcuſſione beneficorum) ſimul addere vel minuere annos demonſtratos à directione Aphetæ ad gradum Occidentis, hinc aliqui ea ratione hanc lineam eſſe Aneretam contendunt; quod ſicut orientalis linea Natis vitam tribuit: ita par ſit occidentalem eam abſcindere. Hæc directio eſt eadem, quę Aſcendentis ad Aphetę oppoſitum. Radius quadratus Aphetæ eſt Anereta; quando ſcilicet Apheta ad quadratũ peruenerit directionẽ, quę ſuperet gradus ſeptuaginta quinque; hicque eſt vltimus naturalis vitę terminus, quod Nicepſo, & Pythoſiris miſticè edocuerunt, aſſerentes neminem in Vita tranſgredi poſſe trimotion ideſt congeriem trium ſignorum, & radiationem tetragonicam, quę ſuperet gradus 75. nam aliter eſſet radiatio ſextilis: quo circa in Italię tractu poſſet quis viuere annis 120. ſicut in Germania, & regionibus, in quibus Polus Borealis magis eleuatur annis admodum pluribus, & pro numero graduum aſcenſionum inter principium ſigni Leonis, & principium Scorpij, poſito Aſcendente Apheta, & vitę ſignificatore. Plinius lib. 7. cap. 4. meminit inter Appenninum montem, & Padum plurimos vixiſſe annis diuerſis, & tempore longiore. Epigenes negauit quemquam viuere poſſe annos 122. Beroſus verò ex Plinio annos 117. Narrant Ioannem de Temporibus vixiſſe annis 125. Guido Bonatus cap. de Vitę ſpatio refert Ioannem Buttadeum, qui Saluatori noſtro iniecit alapam in penam facinoris adhuc Hieroſolomis viuere; memini dum puer eſſem ab Illuſtriſſimo D. Iacobo de Columnis qui fuerat ad inuiſendum Sacrum Sepulchrum in ſpelunca quadam Hieroſolimis aſſiduò murmurantem vocem audiri; nec ſeligi poſſe quid proferatur; habitatores tamen explicare, quod aſſerat, non eſt verum; haberurque eſſe eundem Buttadeum. Refert idem Bonatus oculis proprijs vidiſſe tranſeuntem per Forum Iulij Riccardum quemdam, qui fuerat ſeruus Caroli Magni, cuius obitus diſtabat tunc temporis plus annis quadringentis; dicitque poſſe hæc fieri, cùm quædam ad fuerint conſtellationes, quas refert, quas vt ferè impoſſibiles, rariſſime contingentes, nos fabulas credimus.

Sunt Aneretæ Cometes, & Eclypſes, cùm in loca Aphetarum inciderint abſque alia directione.

Cæterum aliqui ſpretis reliquis Aphetis pro vita dirigunt ſolùm Aſcendens atque ad hæc loca interficientia. Ad corpora, oppoſitiones, quadrata Antiſcia, Imperantia, & obedientia Martis, & Saturni; ad Lunam; & eius radios quadratos, & oppoſitos, ad nodos Lunares, Caput, & Caudam Draconis. Ad Solem, & eius radios maleficos præſertim imbutum natura malefica, ad Cor Leonis, Pallilitium, Antares, Herculem, ſtellaſque reliquas maleficas; ad dominos octauæ domus; ad terminos maleficorum; ad terminos eorum, qui in octaua domo verſantur, vel domui octauæ imperant; Aliqui ſtatuunt hos Aneretas etiam poſitis alijs Aphetis præter Aſcendens. Nos multa ex his admittimus, cum multoties obſeruationibus congruerint aliquos ho-

rum

ſum incurſus vires habere; præcipuè in Genituris debilibus; obſeruauimus enim de luminarium coniunctionibus, & eorum radijs maleficis, de Nodis Lunaribus, præcipuè de Cauda, & domino octauæ.

Sciendum dupliciter Aſtrologum conſiderare vitæ terminum, & periodum; primò generaliter coniecturando ſimplici indagine an Vita ſit breuis, vel longa, tempus determinatum non prædicens: quod colligitur ex robore Aphetarum, & conſtitutione; an videlicet Apheta fuerit fortis in ſuis dignitatibus, in angulis, auctus motu, & lumine; in Apogeo, orientalis, cum aſpectu beneficorum, abſque noxa Saturni, aut Martis, vel Solis; an è contra peregrinus, occidentalis, ac malè conſtitutus: ſi loca Aphetica fuerint fortunata, aut malè affecta; ſi Planetæ dominantes fuerint benefici, vel malefici; fortes, an debiles; ex quibus facili coniectura conſpici poterit, an vita futura ſit robuſta, longa; vel breuis, debilis, & ægritudinibus obnoxia.

Secundò, ac ſpecialiter ab Aſtrologo conſideratur vitæ terminus, & determinata in annis quantitas; quod non tantùm ex ſupradictis dependet conditionibus; verùm etiam ex Directionibus particulariter Aphetæ ad ſuos Aneretas; directiones namque menſurant tempora accidentium contingentium in Vita tribuendo pro quolibet gradu directionis annum ſolarem, & pro quinque minutis menſem: Cum ergo Apheta ad aliquem Aneretam directione peruenerit mortem, ægritudinem, aut aliud accidens infauſtum in vita portendit; & quæ de Vita dicta ſunt, militant etiam in alijs, vt honoribus, fortunis, vxore, filijs, itineribus, alijsque; prout eorum ſignificatores fuerint directione ad beneficos, aut beneficos deuoluti, vt alibi diſſeritur.

Quando Anereta non interficiant.

CVm Anereta occurrit Aphetæ abſque auxilio homo moritur. Tres caſus ponuntur ex Ptolemæo, quibus Anereta non perdat in occurſu Aphetæ. Primus quando directio Aphetæ incidit in finibus Iouis, vel Veneris. Secundus quando directionis prope locum fuerit corpus Iouis, aut Veneris, vel eorum radij, quadrati, trini, vel oppoſiti; ita vt radij, vel corpora eadem non diſtent à loco directionis plus gradibus duodecim in Ioue, & in Venere octo. Tertius quando Anereta obtinuerit Latitudinem contrariam Aphetæ, quod poteſt contingere in Luna Apheta, vel Dominis illorum locorum; tunc enim ſi Luna, vel dominus illorũ locorum fuerit Apheta, & obtinuerit Latitudinem Borealem, & peruenerit ad Saturnum, vel Martem præditum Latitudine Auſtrali Natus non moritur; etiam ſi mala decernantur in Vita, vt ægritudo, vel aliud infauſtum; dummodo tunc temporis Aſcendens, & Sol non fuerint etiam afflicti directione, progreſſibus, vel ingreſſibus; quo caſu omnibus Aphetis afflictis mala pertimenda.

Cæterum in his conditionibus quas ſimpliciter ponit Ptolemæus, abſq; alijs conditionibus, quòd Anereta in occurſu Aphetę non interimat, quilibet contraria experitur in praxi. Moriuntur Luna poſita Apheta cum latitudine Boreali, aut Auſtrali directione ad Saturnum, vel Martem præditum latitudine contraria. Moriuntur celebrata directione in terminis beneficorum; Moriuntur aſpicientibus Venere, & Ioue locum directionis; ea propter præ-

ter

ter conditiones dictas alia erunt neceſſaria, vt diximus, in noſtro Commentario ſuper Quadripartitum; præcipuè progreſſus fauorabiles, & anni reuolutionem,

In hac praxi ſciendum Planetas Aneretas ſub Solis radijs conſtitutos non perimere; ſub radijs namque Planetæ ex Ptolemæo, neque ad iuuandum, neq; ad nocendum ſunt idonei; quo caſu Sol loco malefici (cuius naturam aſſumit) erit Anereta; & Sol tam corpore, quam radijs maleficis interimet, cum Apheta directione ad ipſum peruenerit.

Sciendum ſecundo, quod quando Aphetæ directione occurunt duo malefici Mars, & Saturnus corpore, aut radijs; plures contendunt ob naturam eorum contrariam in qualitatibus adiuis calore, & frigore non perdere; verùm ęgritudines, vel aliud infauſtum accidens adducere. Nos ſeuiora mala, vel violentum accidens decernere experientia didicimus.

Sciendum tertio, quod cum, vt diximus, plures poſſint eſſe Aphetę; ſi eodem tempore contigerit dirigi; ſi ambo ad maleficos, & reuolutio fuerit infauſta mortem certam expectare oportet; ſi vnus ad maleficos, alter ad beneficum, & in anni reuolutione loca principalia, Sol, Luna, Aſcendens fuerint benè diſpoſita, timores, inſultus, lęſiones, pericula accident: ſed non mors. Si reuolutio anni fuerit mediocris: & fuerint plures Aphetę; & principalis fuerit afflictus directione ad Aneretam timendum de morte, etiam ſi alius Apheta fuerit benè diſpoſitus cum beneficis.

Incidit dubitatio, quod ſi eodem tempore plures Aneretę occurrerint Aphetę, à quo mors ſit prędicenda. Omnes mortis inditium eſſe ſumendum ab Anereta potentiori fatentur; qui erit enim validior, ille erit mortis ſignificator etiam ſi alij ad iuuent ad interitum, virtutem Nati proſternendo in ęgritudine, vel in caſibus violentis alia ſuggerendo adminicula; Hinc ſciendum plurimum poſſe radios Aneretę oppoſitos, & eſse validiores; deinde corpora, poſt radios quadratos, quorum dexteri ſunt ſiniſtris validiores; deinde Antiſcia, Imperantia. Planetę etiam potentiores ſunt in angulis ſuis dignitatibus, orientes, in Apogeis, prope eclipticam in ſignis fixis, cum ſtellis fixis eiuſdem naturę, alijſque conditionibus quas ſępè explicamus. Saturnus deinde in morbis eſt validior Marte; ſicut Mars potentior in violentia; ex quibus omnibus ritè perſpectis Aſtrologus non omnino rudis veram aſſequetur coniecturam dominij Aneretæ potentioris, ac proinde datoris mortis, cuius qualitas aliunde dependet.

Habita precisè directione Aphetę ad Aneretam, effectus multoties contingit in ipſo puncto centrali directionis dum fuerit Anereta potens, qui nō expectet concurſum aliarum cauſarum; patratur etiam effectus ante, & poſt contactum directionis; hocque ex cauſis plurimis, vel ex progreſſibus, & ingreſſibus prius, ſiue poſt contingentibus; Vel ex robore, aut debilitate Aphetę, & Aneretę, cum debiles tardius, citius validi effectus producant: Vel ex alijs directionibus aliquando incidentibus, quę adiuuent, vel impediant directionem Aphetę principalis; vel ex radijs beneficorum, aut Maleficorum impedientibus aut adiuuantibus: Variatio tamen affectus numquam poteſt eſse anni integri, & neſcimus quomodo Cardanus ex Ptolemęo colligat variationem multorum annorum.

Obſer-

Digitized by Google

Obſeruationibus etiam experitur; quod cum directio, & occurſus aliquando non ſit ita potens, vt poſſit Natum perdere; & nihilominus ſuccumbit; quod contingit, cùm Apheta profectione, vel tranſitu à maleficis infeſtatur, & loca principalia in anni reuolutione. Eapropter in re tanti momenti, & morte non fidendum tantummodo directioni; ſed alia teſtimonia inquirenda ingreſſus nimirum, & progreſsus.

Remanet indiſcuſsum apud Aſtrologos an radij, ſiue corpora Planetarum beneficorum prope locum directionis impedientia, an Anereta interimens ſint ſumenda ex Natiuitatis figura, an reuolutionis anni, inqua cadit directio infauſta; Nos, quicquid alij commententur, alibi diximus experientia ducti, & rationibus ſumendos eſse hos radios, & corpora ex reuolutione, non ex Natiuitate; quod innoteſcet experientibus.

Docet in ſuper Ptolemæus maximè conſiderandum eſse an tempus concurſus Aphetæ cum Anereta contingat in annis ſcalaribus, ſeu Climatericis; qui inæqualiter, & quaſi de repente afficiunt;nam ſignificatores mortis ex hac cauſa ſuſcipiunt incrementum; cum antiquiſſima experientia obſeruatum ſit his annis fieri commotiones tum vitæ, tum corporis conſtitutionis; humorumque contingere, & in vita alterationes; & alia non ſecus ac in ægrotis ex diebus criticis. De his annis ſcripſerunt Plato, Cicero, Macrobius, Gellius, Boetius, D. Auguſtinus; D. Ambroſius, Beda, Valla, alijque, obſeruatoque hoc fatalia ſuperſtitioſa non extare, & experimentis comprobata monumentis reliquere. Circa quæ plures ſententiæ in ſurrexere ;communior verò hæc eſt Planetas ſeptem dominari in corporibus humanis, atque ſecundum eorum ordinem quemlibet anno ſingulo, ita vt anno primo dominetur Luna; ſecundo Mercurius; tertio Venus, quarto Sol; quinto Mars; ſexto Iuppiter, ſeptimo Saturnus; cumque annis quibuſcumque ſeptenis dominetur Saturnus, ea propter illos nominant climatericos, & mala portendentes, vt dominatos à Saturno. Aliæ ſententiæ non carent difficultatibus.Sunt qui afferant, quod quemmadmodum Luna,quæ terræ vicinior celerrimo mouetur motu, cum ad ſuas radiationes quadratas, & oppoſitum peruenerit inſignes parit mutationes; dieſque criticos ordinat ſeptimum, quartum decimum, vigeſimum primum, & reliquos; ſic Saturnus, qui generalia ſignificat vitæ inimicus, cum ad proprios aſpectus quadratos, & oppoſitos peruenerit, ſignaque contrariæ naturæ à loco in quo fuerat in principio Natiuitatis has humorum graues commotiones generat, & in vita alterationes; quæ opinio non congruit; Saturnus enim ad ſuum quadratum ingreditur anno ſeptimo cum dimidio, & ad ſuum oppoſitum anno decimoquinto, non decimoquarto, & poſtmodum in alijs aſpectibus non ſeruatur ordo exactus. Contendunt alij hoc contingere quod anno ſeptimo Planetæ, & Horoſcopus profectione tranſeunt ad loca oppoſita, & Aſcendens ad domum ſeptimam; qui locus eſt vitæ contrarius; quantum verò hæc ſententia ſit abſurda, cuilibet innoteſcet, qui climatericorum annorum varium ordinem accuratè conſiderauerit.

Præter hos annos climatericos, enumerant aliqui pernitioſos etiam enneaticos conflatos ex nouenarijs, ſicut climatericos ex Septenarijs; in quibus enneaticis Horoſcopus, & Planetæ profectione pertingunt domus ce[illegible], earumque radij infauſti, vt in Tabella: Hi enneatici quam [illegible]

quilibet poterit experi ; Nos enim parum confidimus illorum prædictionibus .

Climaterici.	*Anni*	*Aſpectus Profection.*	*Domus.*
1	7	☍	7
2	14		2
3	21	△	9
4	28	□	4
5	35	✶	11
6	42		6
7	49	☌	1
8	56		8
9	63	✶	3
10	70	□	10
11	77	△	5
12	84		12
13	91	☍	7

Enneatici.	*Dies.*	*Aſpectus Profect.*	*Domus.*
1	9	△	9
2	18		6
3	27	✶	3
4	36		12
5	45	△	9
6	54		6
7	63	✶	3
8	72		12
9	81	△	9
10	90		6

Sciendum obſeruationibus perpetuis expertum; & Ptolemæi opinioni congruum annos climatericos ex ſe nullo modo afficere ; verùm ſolummodo, quando adfuerit alia cauſa ſuperior , vt directio infauſta, progreſſus , vel ingreſsus maleficus ; tunc enim ex leui cauſa commotiones oriuntur, & affectus ſignificati ex alia cauſa maiores producuntur .

Periculoſi ſunt climaterici 21. 42. 63. Magis 49. 56. 63. quia conſtat ex ſeptem ſeptenarijs 56. quia eſt vltimus coſtodiæ Martis , qui agit non ſecus ac milites hoſtes , qui caſtra relinquentes omnia deuaſtant. 63. quia conſtat ex nouem ſeptenarijs. Auguſtus dixit lętare fili mecum , trangreſsus ſum enim annum 63. quo anno plus quam alijs mori conſpicimus

Poſita eſt ſuperius Pars fortunæ pro Apheta , & vitæ ſignificatrice, cuius locus colligitur in figura Cęleſti ex diſtantia Solis à Luna numerando à Sole , & hanc diſtantiam proijciendo ab Aſcendente , ſeu linea orientali in Natiuitate diurna , quam nocturna contra Arabas,exemplum .

Sit Sol in grad. 10. 20ʹ. ſigni Arietis;Luna in grad,17. 32ʹ. ſigni Capricorni Diſtantia Solis à Luna eſt ſignorum 9, grad, 7. 12ʹ, Aſcendens ſit grad. 8. 34ʹ. ſigni Tauri ; numerata diſtantia dicta Solis a grad. 8. 34ʹ. Tauri , extremum incidit in gr. 16. 46ʹ. ſigni Aquarij , & hic erit locus Partis fortunæ ⊗ .

Cæterum circa vitæ longitudinem , aut breuitatem generaliter ex Arabum Schola plurimi afferuntur Aphoriſmi , quorum aliquos placuit hic inſerere vt experientiæ , & rationi magis congruos .

Luminaria in domibus cadentibus , & Mars , & Saturnus in Aſcendente vitam breuem portendunt , ſicut.

Malefici in Aſcendente , & Luminaria coniuncta , vel oppoſita, vel afflicta ; vel

Digitized by Google

vel ſaltem luminare conditionarium, vt Sol in natiuitate diurna, vel Luna in nocturna.

Luna infortunata in octaua.

Ambo luminaria, vel conditionarium coniunctum, vel in quadrato, aut oppoſito maleficorum. In coniunctione Luna affligitur à Saturno, & Sol à Marte; in oppoſitione magis Sol à Saturno, & Luna à Marte.

Quatuor, aut quinque Planetæ in Aſcendente multoties dant vitam breuem Mercurius, & Venus in Aſcendente in eodem gradu; neſcimus qua ratione.

Luna in octaua in Ariete.

Dominus Aſcendentis in octaua afflictus à maleficis, vel dominus octauæ in Aſcendente eodem modo afflictus.

Almuten Luminarium cum maleficis.

Plures Planetæ in 6. 8. 12. & dominus Aſcendentis, vel Luminaria eos non reſpexerint.

Luna minuta lumine obſeſſa à maleficis abſque auxilio beneficorum, decernit vitam breuem, vel vitia corporis, vt cæcitatem, & alia.

Nodi Lunares in quarta cum Saturno, vel Marte.

Dominus Aſcendentis, afflictus cum domino octauæ.

E contra generaliter vitam longam hæc decernunt.

Luminaria in angulis libera à maleficis, præcipuè in ſuis dignitatibus.

Luna in Aſcendente in ♉ ♋ ♓

Luna in benefico aſpectu Solis libera à maleficis infra ſcripta.

Sol cum Ioue, vel Iouis radio benefico abſque noxa.

Apheta potens à maleficis non afflictus.

Luna fortunata in domo Iouis, libero Aſcendente à maleficis.

Venus, vel Iuppiter fortunati in Aſcendente.

Dominus Aſcendentis in Aſcendente.

Reſpiciendum pro generali ſignificatione breuitatis, aut longitudinis Vitæ ad Aſcendens, eius dominium, & luminaria; quę loca ſi à beneficis fortunantur ſemper longam vitam oſtendunt; breuem è contra, ſi à maleficis infeſtentur.

Plura afferentur capite de his qui nutriuntur.

Digitized by Google

Digitized by Google

ISAGOGE.

QVemadmodum humanarum rerum, quæ ſingulis momentis variant, viciſſitudines nullo regi moderatoris arbitrio, nulloque attineri clauo, qui ſingula dirigat, temperetque error eſt credere; & veluti etiam huius alternantis in natura ordinis aliunde, quam ex ſyderibus (quibus Deus miniſtris, ac vicarijs vtitur) rationem ſumere, abſurdum à Philoſophia, deuiumq; habetur. Ita ex eorum radijs vim in nos demanare, violentiamq; ab eorum motibus proficiſci in noſtros animos, vnde tàm ad mala, quàm ad congrua propellamur, impium, fatuumque dicere eſt. Vt enim è lucidiſſimo illo ſyderum impluuio manant influxus; qui cum commixti elementis ſint, quæ noſtras fibras, & corpora conſtituunt, par eſt membrorum molem illorum regulari poſitura; ita voluntas, quæ propria intellectualis animæ, & incorporea pars eſt, Cælorum, hoc eſt inferioris, ac craſſioris naturæ non ſubijcitur poteſtati. Corpus igitur, non anima ſtellis ſupponitur: quod Caſſiodorus in tractatu de anima affirmauit, atque ille explicuit cùm dixit.

non ſidera poſſunt
In mentes, animoſque pios: ſed ſola tenentur
Pectora anhela malis.

Et vt alius dixit, tanti momenti res credita fuit anima rationali vt ei omnes Planetas famulari diuina ſapientia iuſſerit; iuſſum Saturno, vt ad intelligendum, ratiocinandumque illam diſponeret; Ioui vt vim agendi fortiter illi conferret; Marti vt animoſitatis ardorem acueret: Soli ſentiendi, opinandique naturam; Veneri deſiderij motus; Mercurio pronunciandi, & quæ ſentiat interpetrandi vim; Lunæ nutriendi, generandique facultatem. At quia animi in hoc ergaſtulo mortalitatis verſantur, ſordeque terrenæ prauitatis inficiuntur; contagio malorum mens irretitur, ac ab affectibus corporis ad impura facilè deducitur; Sic in prauo corpore, quemadmodum non illuſtrem animum habitare faſſi ſunt Platonici: ita in nebula humorum male inter ſe cedentium, non niſi, inquiunt maculoſa animi poteſt efformari facultas: quapropter non-

Digitized by Google

nulli etiam Sacrorum Patrum Theologi , Aſtra tantum inclinare aſſeruere ; verùm quia nos debiles ad virtutem ſumus; facile ad ea, ad quæ Aſtra inclinant, prolabi ; inter quos D. Thom. 3. cont. gent. & acutiſſimum acumen illud ingeniorum Scot. 2. Sent. diſt. 14. nec minus Damaſcen. ipſe lib. 2. cap. 7. Hinc illud prolatum ab Aquinate Iuuenale.

diſtat enim quæ
Sydera te excipiant nunc primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Nec videtur ad alium ſenſum protuliſſe Origenem Cælum eſſe inſtar expanſi libelli omnia futura in ſe ſcripta continentis ; & Aquinas iterum Doctor ibidem: Verum eſt, inquit, quod Ptolemæus propoſit. 38. Centiloquij dixit quod Mercurius fortis ſi in domo Saturni fuerit bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus ſignificabit.

Ipſe igitur in hoc opere faſſus animos inclinari ſyderum poteſtate id ita philoſophice prædico, vt intelligam in humores agere ſydera, qui poſtea mentem commoueant ; cum videamus apertiſſimè fieri homines ex concilio humorum congruo prudentes ; fatuos ex eorumdem diſcordia generari. Cumque verè illud apertiſſimum ſit, accidens aliquod, quod ex humorum intemperie proficiſci non videtur, ex extranea cauſa fieri debere, vti vulnus, & repentina mors eſt ; ac perinde cum hi caſus obſeruatione artis, & experientia ad ſydera poſſe referri conſtet ; plurieſque id Aſtrologiæ periti obſeruauerint ; ego id loquens, quod Aſtrologorum ſchola ponit, artem vt inter eruditos exactè, ita inter Chriſti fideles exactiſſimam fidem profiteor ; dum conſcientiam mihi, alijs doctrinam, vt in Rhetorica dicebat Tullius, reſeruo ; & dum prædictiones huiuſmodi à Summiſtis, alijſque Catholicis vnanimiter conceduntur ; Inter quos de recenti ab Azor Societatis Ieſu ; cuius hæc ſunt verba lib. 9. Inſtitut. Moral. Cap. 13.

At verò ſi quis obſeruato die Natali cuiuſque, & notatis ſyderum, & Aſtrorum ſignis, probabiliter coniectat eum certa temperatura præditum, certis animi propenſionibus affectum iri ; ac proinde ingenio, aut corporis viribus valiturum ; aut certis morborum generibus obnoxium fore ; Eccleſiaſticos, iura Pontificia, aut leges non violat.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE PARENTIBVS.
Cap. I.

CONſtitit omni ſæculo ex filiorum Geneſi probabili coniectura poſſe conſpici fata Parentum; quod vt propoſitio maxima, & vera apud omnium nationum Aſtrologos receptum eſt; qui continuatis obſeruationibus, à poſteriori demonſtrarunt; quamuis non defuerint, qui audacter pluribus rationibus nixi ſunt comprobare etiam à priori; aſſerentes Patrem non tantùm imprimere in filium ſibi ſimile, cum naturaliſſimum ſit ex Ariſtot. omnibus natura conſtantibus ſibi ſimile procreare: verùm ex Patris ſemine communicari in filium cæleſtis virtutis multa ab ipſo Patre in ortu acquiſita, deinceps in filij genitura conſpicienda; atque arguunt ex eo, quod vniuerſalis natura prouida non ſinit Patrem in decente ætate alioqui conſtitutum, ac generationi idoneum ſemper generare, & quocumque tempore: ſed eo tantum, quo cęlum ſit ea ratione diſpoſitum, vt influat in filium, talique impreſſione producat filium, vt in ortu ſecum afferat veluti in fronte delineatas inclinationes, fata; fortunas, accidentiaque ſingula ſui genitoris, tam proſpera, quàm aduerſa. Cęterum quamuis de occultioribus multis iudicium exactè proferri non poſſit niſi per continuatas obſeruationes, atque experientiam, in ſenſui patentibus, atque euidentioribus oculatim hęc conſpicimus aſſiduò; vt patet de ſimilitudine vultus, corporis temperatura, ac forma corporis Patris, & filij, de animi qualitatibus, ſeu moribus, multoties fortuna, dignitate, opificio, alijſque permultis, cum ſequantur filij vt plurimùm ſtatum, fortunamque Parentum; hinc filiorum Geneſes, pręſertim Primogeniti exiſtimandę ſunt tamquam ſigna nos conducentia ad cognitionem cauſarum, nempe Parentum; nec abſque ratione ex Herenis genitura prędixit Caldæus Neronem Agrippinam matrem interfecturum; quemadmodum extant exempla aſſiduò, quibus Aſtrologi ex Parentum morte, vel alijs accidentibus rectificant filiorum Genituras, in quibus relucent fata Parentum. Tractus Ptolemęus ex hoc hanc partem oſtendentem naturas, qualitates, ſtatus, vitam, mortem, mortiſq; qualitatem Parentum auſpicatur ex filiorum Natiuitatibus; cuius ordo hic eſt.

In conſtructa Cæleſti figura hora natiuitatis filij; duo ſignificatores pro vno quoque Parente conſtituendi ſunt, Saturnus quippe, & Sol pro patre; Luna & Venus pro matre; hac tamen diſtinctione, quod in Natiuitate filij diurna Solem pro patre, Venerem pro matre obſeruare oportet; in nocturna pro patre Saturnum, & Lunam pro matre. Ex eadem figura Natiuitatis filij conſtruendę ſunt figuræ Patris, & Matris hoc modo.

Si natiuitas filij fuerit de die in figura duodecim domiciliorum conſtituendus eſt Sol in Aſcendente, & linea orientali cum gradibus, & minutis ſigni cæleſtis in quibus erat in genitura filij; & erigenda eſt figura rationalis more

ſolito cum diſtributione domorum iuxta eleuationem Poli, & circuli poſitionis ſub quo fuerit Sol conſtitutus in dicta figura filij. Si vero Genitura fuerit nocturna eodem in Aſcendente conſtituendus eſt Saturnus cum ſigno, gradibus, & minutis, & rationalis figura conſtruenda ſub eleuatione Poli Saturni. Pro Matre in Natiuitate filij diurna collocanda eſt Venus in Aſcendente; ſicut in nocturna Luna; ſub eleuatione, & Circulo poſitionis earumdẽ Lunæ, aut Veneris ſignificatricis; erigendaque figura, vt diximus: conſtituendo poſtmodum in figuris Patris, & Matris Planetas in eiſdem ſignis gradibus, & minutis; in quibus fuerint in Genitura filij. Constructis ſic Parentum figuris accidentia, quæ illis poſt ortum filij contingent proſpera, aut aduerſa conſpiciuntur, ac ſi forent Parentum propriæ Natiuitates; ſicutque Parentum Natiuitates iudicandæ in omnibus, atque ex Ptolemæo hoc modo.

Circa ſtatum exiſtimationis, honoreſque Parentum ex luminarium conſtitutione coniectandum in figuris, atque ex Planetis ſatellitibus, ſeu propinquis ad triginta gradus ipſis luminaribus; Si namque Solem, & Lunam Planetæ circumdederint orientales à Sole, occidentales à Luna, ſtatum magnificum, illuſtrem, & nobilem parentum oſtendent: Si ſatellitij fuerint Iuppiter, & Venus, ac benè affecti, vt in ſuis dignitatibus, & in angulis, parentes cum dignitatibus decernent, eorumque ſtatum honorificum, atque ſupra familiæ conditionem. Si Sol, & Luna non habuerint ſatellites nec corpore, nec radijs, & per aſpectum, fuerintque dicta luminaria extra ſuas dignitates debilia, vel in locis abiectis infimam conditionem, ſtatumque in honoribus parentum demonſtrabunt; hinc circa honores ſex ſtatus Parentum conſurgent.

Primus ſtatus eſt quando luminaria habuerint Planetas ſatellitios, eoſque in eiſdem ſignis, vel proximis luminaribus, ita tamen, vt non diſtent plus gradibus triginta, & oſtenditur ſtatus honorificus.

Secundus cum ſatellitij fuerint benefici, orientales à Sole, & occidentales à Luna; qui ſtatus eſt melior priori.

Tertius quando præter dicta in ſecundo ſtatu, Venus, & Saturnus reliqui Parentum ſignificatores conſtituti in angulis fuerint in propria perſona, & Almugea, qui ſtatus eſt illuſtriſſimus.

Quartus ſtatus: quando luminaria non habuerint ſatellitios, neque per coniunctionem, neque per aſpectum; tunc ſi Venus, & Saturnus fuerint debiles, afflicti, retrogradi, peregrini, cadentes, ſtatus decernitur Parentum humillimus.

Quintus cùm abſolutè nec Solem antecedent Planetæ, nec Lunam ſequantur, tunc ſtatus erit humilis; verùm quarto melior.

Sextus quando luminaria habebunt quidem ſatellites: verùm vel male affectos, vt peregrinos, occidentales à Sole; orientales à Luna extra, ſuas dignitates, vel aliomodo debiles; hic ſtatus erit mediocris, & iudicio Aſtrologi perpendendus, conſiderando figuram cæleſtem & loca Planetarum, præcipuè Veneris, & Saturni; & ſimilis ſtatus contingit ſi malefici fuerint ſatellitij, & benè affecti, vel benefici male diſpoſiti. Pro concordia, & ſimpathia inter Parentes conſiderandus eſt ſtatus ſignificatorum: ſi namque aſpectu amicitiæ ſe reſpexerint, Parentes erunt animo concordes, & amici; ſin minus odioſi, & diſcordes, ſi Sol, & Luna ſe reſpexerint de quadrato; aut oppoſito antipathiam

decer-

decernent; ſic ſi eiſdem radijs Saturnus, & Venus ſe intueantur. Si verò de trino aut ſextili ſimpathiam oſtendunt; quod experientia congruit exactiſſime.

Circa fortunam filiorum cum Parentibus. Si in figuris Geniturarum Pars fortunæ beneficis radijs fuerit à ſatellitijs irradiata, filij paterna hæreditatem potientur; Parentes filijs hæreditatem relinquent, relictaque à Parentibus bona, libera filijs, & intacta remanebunt; Si verò ſatellites quadratis, aut oppoſitis radijs Partem fortunæ reſpexerint; vel ſatellitij fuerint malefici, vel non adfuerint, Parſque eadem malè affecta ſignificabunt Natos paternis bonis non gauiſuros; verùm rerum ammiſſionem, atque delapidationem.

Circa vitam Parentum. Si Iuppiter, vel Venus fortes in ſuis dignitatibus, in angulis, vel ſuccedentibus fuerint coniuncti ſignificatori Patris; vel ſignificatorem reſpexerint aſpectu trino, aut ſextili, vitam Patris validam, & longam pollicentur; ſi fuerint imbecilles peregrini, retrogradi, combuſti cadentes, vita nec erit longa, nec breuis; etſi longa, debilis, ac poſita in quadam mediocritate. Si verò Venus, & Iuppiter Patris ſignificatorem non reſpexerint, nec fuerint coniuncti, vita nec neceſſariò erit breuis; cum beneficorum non ſit nocere, niſi adſtiterint malefici; ſi verò Patris ſignificatorem (ſiuè fuerit Sol, ſiuè Saturnus) Mars radio oppoſito, aut quadrato intueatur; vel fuerit eleuatus ſupra ſignificatorem, vitam breuem Patris prædicet; ſi Mars fuerit conſtitutus in Medio Cæli, vel Aſcendente, aut domibus vndecima, vel ſecunda, vitam breuem decernet; ſi in ſeptima, quarta, nona, aut ſexta Patrem ſignificabit valetudinarium, & aſſiduis ægritudinibus obnoxium; nec tamen vitæ breuis.

Qualitas mortis Patris poſito Sole ſignificatore à Marte, & à Saturno deſumetur, Si Mars potens affligat Solem quadrato, vel oppoſito, aut alio modo, Patrem ſubito interimit, vel violenter; vel vitia in oculis inijcit, quorum luminaria ſunt ſignificatores. Si Mars affligat Saturnum ſignificatorem Patris mortem affert per ægritudines, vel corporis vitia adducet, vt claudicationem, aliaſque luxationes ex contuſionibus, vulneribus, igne, animalibus, vel alijs periculis Martialibus. Si Saturnus male affectus erga Solem inficiatur; Solemque aſpexerit de oppoſito, aut quadrato Patri mortem affert ex putredine, & humorum corruptione, defluxu humorum, ægritudinibus longis, morbiſque alijs ex frigiditate exortis.

Coniectandum eodem modo de Matre. Si Iuppiter quocumque radio ſignificatorem Matris Lunam, aut Venerem reſpexerit; vel Luna radio trino, vel ſextili cum Venere conuenerit; vel fuerint inuicem coniunctæ, longam Matris vitam demonſtrabunt. E contra ſi Mars eleuetur ſupra Venerem, aut Lunam; vel eaſdem de quadrato, vel oppoſito reſpexerit; vel Saturnus iiſdem radijs Lunam ſolam intueatur vitam breuem oſtendent. Si Saturnus, & Mars fuerint debiles matrem varijs morborum generibus, ac aduerſis caſibus implicant. Si fuerint in angulis, aut ſuccedentibus fortes, vitæ breuitatem denunciant.

Mars affligens Lunam orientalem Matrem repentino caſu interimit; vel vitia adducit in oculis: occidentalem mortem tribuit per abortiones ſectiones, vulnera, vſtiones, atque huiuſmodi de natura Martis.

Saturnus affligens Lunam orientalem dat mortem Matri per febres, morbos

bos chronicos, frigidos, & de natura Saturni; occidentalem per vteri affectiones, & morbos.

Notandum quod ſi in figura filij Sol fuerit in linea Aſcendentis: ſicut ſi in Genitura nocturna Saturnus in eadem linea orientis, eadem prorſus erit figura Cæleſtis Patris, & filij; ac proinde eadem corporis conſtitutione, ſimilibus animi qualitatibus prædití Pater, & filius. Quod dicendum eſt de Matre ſi noctu Lunæ; vel in natiuitate diurna filij Venus fuerit in linea orientali.

Notandum ſecundò quod quando Sol, vel Saturnus fuerit ſimul ſignificator Patris, & filij, tunc Auus erit ſimilis nepoti. Si Venus, & Luna ſignificatores filij, & Matris, auia erit ſimilis neptæ.

Notandum tertio, quod quamuis in filijs ſingulis reluceant aliquomodo fata Parentum; hoc præcipuè vim habet, & obſeruatur ſumma experientia in Primogenito, & vltimogenito.

Notandum quarto. Pro eliciendo ſtatu Parentum, vter melior exiſtat Patris, aut Matris, conſpiciendum eſſe, quis ſignificatorum in figura fuerit validior, & pro eorum natura coniectandum; ſi enim Sol, vel Saturnus fuerit validior, ſtatus Patris erit melior; ſi Luna, vel Venus Matris melior exiſtet.

Hæc ex Ptolemæi venamur principijs, ex quibus certiora eliciuntur; licet particulariora ex Arabibus, nec omnino ſpernenda.

Aliter de Parentibus iudicat Arabum Schola; conſiderat enim in figura Natiuitatis filij pro Patre domum quartam Cæli, eiuſque dominum, & Planetas ibi exiſtentes, & aſpicientes, nec non Patris partem, quam extrahunt in Genitura diurna à Sole in Saturnum, & in nocturna à Saturno ad Solem proijciendo ab Aſcendente, quemadmodum obſeruatur in Parte fortunæ. Pro Matre conſiderat domum decimam, eiuſque diſpoſitores, & Matris partem, extractam in natiuitate diurna à Venere in Lunam, & in nocturna à Luna in Verem proijciendo à linea orientali; & pro diſpoſitione harum domorum, & dominantium iudicium proferunt de ſtatu Parentum in honoribus, diuitijs, vita, & reliquis contingentibus poſt filij Natiuitatem: ſi namque hæ domus fuerint à beneficis dominatæ, in illis conſtituti benefici, vel illorum radij, abſque noxa maleficorum, dominatoreſq; in ſuis dignitatibus, in angulis, vel ſuccedentibus fortes, Parentum ſplendidam fortunam, eorumque vitam longam prædicunt, & cum diuitiarum affluentia. Verùm ſi dictæ domus fuerint in viribus maleficorum, ibique malefici corpore, aut radijs maleficis abſque auxilio beneficorum, humiles ſtatus Parentum, eorumque vitam vel breuem, vel moleſtijs, aut ægritudinibus implicitam poſt filiorum natiuitatem.

Nos relictis partibus, quas alij obſeruent, eorum dogmata cum obſeruationibus congruere fatemur; hinc non mirum ſi Medium Cæli pro matre, & domum quartam pro patre fœlici ſæpè experientia dirigimus: cum Genituræ plures rectificentur per mortem Matris ex dicta directione Cæli medij ad maleficos; ſic etiam per mortem Patris, cum æquales ſint directiones Medij Cæli, & domus quartæ; Eapropter præter Ptolemæi dogmata aliquos ex Arabibus Aphoriſmos collegimus deſumptos in hac materia.

Pro ſtatu patris. Dominus quartæ domus Planeta beneficus in angulis vel ſuccedentibus, orientalis, in ſuis dignitatibus abſque maleficis, honores exaltationem, atque ſtatum optimum patris decernit poſt Natiuitatem filij: quod

ſemper

ſemper intelligitur.

Sol, & Iuppiter in quarta, vel ſi eam aſpiciant de trino, aut ſextili Patri claritatem, & potentiam demonſtrant.

Si in Genitura nocturna Saturnus, vel in diurna Sol fuerit in angulis, & dominus quartæ beneficus in ſuis dignitatibus, Patrem clarum, illuſtrem, & magnum in honoribus decernunt.

Sol reſpiciens ſextili, vel trino quartam domum, Iouem, & Saturnum, honores, & dominij potentiam Patri impartitur.

Solus Iuppiter in quarta à maleficis non afflictus bonum ſtatum Patri oſtendit, nec non bona filijs ex paternis diuitijs, & hæreditatibus.

Saturnus in Medio Cæli in ſuis dignitatibus cum Ioue, vel Iouis radio benefico Patrem fortunatum demonſtrat. Sic ſi Saturnus fuerit receptus à domino ſecundæ domus, aut Partis fortunæ in trino, aut ſextili Solis, ſeu domini domus quartæ; quæ conſtitutiones etiam Natis fortunam tribuunt ex paternis diuitijs.

Sol peregrinus in Medio Cæli cum aſpectu Iouis benefico decernit quod Pater vilis ſuis viribus acquiret authoritatem.

Coniunctio Solis, Iouis, & Capitis Draconis in eodem gradu præſertim in angulis tribuit Patri felicitatem ſummam.

Iuppiter, & Venus in trino Saturni vel Solis, longæuum faciunt Patrem.

In domo vndecima ſolus Sol non afflictus dat celebre nomen Patri in terris longinquis, & felicitatem in operibus, & opificio, ac Principum gratiam.

Coniunctio Solis, & Lunæ tribuit Patri honores, verùm Matrem morituram prius quam Pater.

Sol cum Luna, & Capite Draconis in quarta ſignificat Patrem nobilem, verum breuem vitam Nato.

Sol in duodecima peregrinus, & dominus quartæ domus infortunatus humilem ſtatum Patris decernit, eiuſque depreſſionem; quod idem ſignificat dominus quartæ in duodecima peregrinus, & afflictus.

Sol cum Cauda Draconis abſque radijs Planetarum, & feralis decernit aliquando Patrem ſeruum, vel huiuſmodi vilem.

Gradus coniunctionis, vel oppoſitionis præcedentis Natiuitatem infortunatus; & infortunæ ex angulis reſpexerint Medium Cæli, viles, & abiectos parentes omnino demonſtrant.

Infortunæ radijs, aut corpore infeſtantes dictum gradum tribuunt Parentibus in fortunia.

Saturnus, Sol, Mars, & Mercurius coniuncti in quarta citò patrem moriturum pronunciant; ſic in ſexta, aut duodecima.

Saturnus in Genitura nocturna, Sol in diurna, & dominus quartæ in ſuis dignitatibus, non in angulis abſque aſpectu benefici, oſtendunt patrem amiſſurum dignitatem, quam obtinuerat.

Sol in ſexta, ibi Saturnus, vel Iuppiter; vel in duodecima, & Sol ſit in dignitatibus Saturni, Patrem ſignificat ſeruum, vel vilem.

Sol cum Cauda Draconis ſemper annuit aliquam Patris depreſſionem.

Quando dominus quartæ impeditur à domino Aſcendentis timendum de in fortunijs in Patre.

Satur-

Digitized by Google

Saturnus, & Sol in domibus cadentibus aduerſam ſignificant Patris valetudinem; etſi ſint afflicti à Marte vitam breuem.

Sol in ſecunda in quadrato Saturni decernit Patrem moriturum ex pthiſi, vel diſſenteria.

Saturnus Soli oppoſitus vel in quadrato Patri febres adducit cum tremore, apoſtemata, & mala difficile curabilia.

Sol in quadrato, aut oppoſito Martis, vel citam mortem patris, vel pericula adducit etiam violentiæ.

Sol in ſecunda in quadrato Martis minatur pericula Patri ex ſanguine erumpente.

Saturnus, & Mars in quarta abſque auxilio beneficorum tabe moriturum.

Sol cum Saturno in Natiuitate diurna cum radio malefico Martis Patri violentum exitum portendit.

Maleficus in ſeptima cum prauo luminarium aſpectu, & fortunæ in cadentibus prauum ſtatum Parentum portendunt.

Sol in ſeptima peregrinus cum aſpectu maleficorum, & dominus quartæ combuſtus, vel aliomodo afflictus, decernunt Patri infortunia, & aliquando violentiam, niſi adfuerit magnum beneficorum auxilium.

Dominus duodecimæ in octaua cum Saturno, aut Marte vel eorum radijs maleficis Patrem parum victurum portendit.

Minatur Patri exitum violentum Mars eleuatus ſupra ſolem, Sol & eius dominus afflicti; Saturnus in oppoſito Solis Aphetæ, & potentis in figura cæleſti; & infortunæ infeſtantes gradum coniunctionis præcedentis Natiuitatem.

Dominus quartæ in octaua fortunatus bona pollicetur filio ex hęreditate patris.

Sol peregrinus in duodecima cum domino quartæ, vel eius radio malefico dat paternæ hæreditatis diſſipationem.

Dominus Partis fortunæ afflictus; & Sol iunctus ſit Marti; Saturnuſque Lunæ, ſeu in Lunæ radio malefico, damna afferunt in patrimonio.

Iuppiter, vel Venus, vel dominus Aſcendentis in ſecunda cum benefico radio domini quartæ Nato tribuit fortunam ex paterna hęreditate, & Antenatorum.

Si Sol fuerit melius conſtitutus quam Luna Pater erit Matre nobilior, & è contra ſi Sol fuerit male affectus, & Luna melius.

Sol male affectus decernit Patris prius mortem, quam Matris, & e contra ſi Luna fuerit infortunata prius mortem Matris.

Aphoriſmi pro ſtatu Matris.

Luna iuncta Saturno, aut Marti, vel in eorum radio oppoſito, vel quadrato ſemper Matri incommoda decernit; ſicut Venus ab eiſdem maleficis afflicta.

E contra ſi Venus, & Luna liberæ à maleficis, & combuſtione à Iouis radio benefico vel corpore foueantur, decernent optimum ſtatum Matris.

Medium Cæli dominatum à maleficis, cum radio, aut Corpore beneficorum Matris optimum ſtatum decernit; e contra ſi malefici fuerint dominantes, & infeſtantes.

Luna, & Venus in Medio Cæli cum aſpectu beneficorum; Vel fortunatæ con-

Digitized by Google

coniunctæ nec in Medio Cæli bona in Matre pollicentur.

Dominus Medij Cæli fortunatus bona Matri adducet; mala è contra infortunatus.

Luna benè conſtituta in ſextili, vel trino Iouis, aut Veneris longam dat vitam Matri.

Luna, & Venus cum Saturno, Marte, & Mercurio in decima ſignificant Matrem citò morituram.

Saturnus, aut Mars in quadrato, vel oppoſito Lunæ extra angulos, Matri morbos pronunciant; in angulis vitam breuem.

Saturnus in decima retrogradus tribuit Matri pericula ex caſu, & ruina ſi Saturnus fuerit in Geminis cum Marte.

Luna occidentalis læſa à Saturno tribuit Matri morbos, & mortem ex apoſtematibus in locis occultis, matrice, & alijs.

Luna iuncta Saturno tribuit multoties mortem ex debilitate, & matrice.

Luna in decima, & eius dominus infortunatus, hora Natiuitatis dat pericula Matri, & fætus difficulter nutritur.

Luna, & Saturnus in eodem gradu minatur Matri mortem in partu; præcipuè ſi adfuerit radius Martis.

Venus in octaua in Tauro, aut Libra; Luna cum Marte in occaſu violentum exitum Matri minantur.

Venus in ſeptima in Martis diametro affert Matri febres, affectus oculorum, & dolores dentium.

Venus in quarta cum maleficis dat Matri mortem ante Patrem.

Luna cum Saturno, & Mars aſpiciat de loco à quo Lunam recipit decernit mortem Matris hora Natiuitatis.

Venus iuncta Lunæ in ſeptima cum Marte, vel eius radio quadrato, aut oppoſito, vel in domo duodecima Matri dat pericula violentiæ, & mala in oculis.

Luna, & Venus in ſexta ſæpè Matrem ancillam decernunt, ſic dominus loci Lunæ in locis abiectis duodecima ſexta, octaua.

Matres moriuntur in partu, cùm Aſcendentis dominus fuerit combuſtus, & cum infortunis, luminaria ambo in ſexta; tunc enim naſcitur Natus etiam mortuus multoties.

Luna cum Cauda Draconis Matrem adulteram plerumque ſignificat, & puerum adulterinum, & malorum ſæpe etiam infortunat.

DE FRATRIBVS, ET SORORIBVS.
Cap. II.

E Recta figura Matris ex filij Geneſi, vt diximus, poſita Luna in linea orientali in Natiuitate nocturna; vel Venere in Natiuitate diurna; decima domus conſideranda ex Ptolemæo pro fratribus, & ſororibus, in qua, ſi Venus, Iuppiter, vel Mercurius benè affectus fuerint conſtituti; vel eamdem decimam domum radio trino, aut ſextili reſpexerint Nato fratres, & ſorores plures portendent. Si verò in dicta domo fuerit Mars, vel Saturnus; vel iſti

malefici

malefici eam oppoſitis, aut quadratis radijs irradiauerint; fratrum, & ſororum paucitatem demonſtrabunt; præcipuè ſi ibi fuerit Sol commixtus, qui quadrato nocet cum Medio Cæli, maxime conſtitutus in Aſcendente, vbi, ſicut Saturnus facit Primogenitum, & vt plurimum vel ſolum, vel digniorem inter fratres; quemadmodum Mars in Aſcendente multoties ex fratrum morte eorum paucitatem adducit.

Fratrum, & ſororum largitores ſunt Venus, & Iuppiter, ſicut Mercurius benè affectus; prohibent Saturnus, Mars, Sol, & Mercurius male diſpoſitus.

Si fratrum largitores in figura Matris ex filij Geneſi extracta fuerint optimè ſiti, vt in ſuis dignitatibus, in angulis, ſuccedentibus, orientales, in Apogeis, & huiuſmodi, fratres claros, illuſtreſque oſtendent; ſi è contra fuerint debiles, & infortunati humiles, abiectos, ignobiles.

Largitores in ſuis domicilijs, in Medio Cæli, vel in eius radio benefico tribuent fratribus nobilitatem, excellentiam, & inter pares claritatem. In exaltatione reddent fratres honoratos, & in dignitatibus conſtituendos cum vitæ, necíque aliquando poteſtate. Si in ſuis trigonis, publicis honoribus decorandos, & adminiſtrationibus. In ſuis finibus oſtendet fratres diuites, opulentos, & diuitijs omnes ſuæ familiæ ſuperaturos cum felicitate.

Si largiores fuerint iuncti Soli, vel ſolem ſextili, aut trigono radio reſpexerint, oſtendent fratres Principum patrocinio protegendos; apud Magnates cum authoritate degendos, ac in his felices.

Si largitores è contra fuerint male affecti omnia ruent in malum fratres erunt humiles, obſcuri, nec in dignitatibus promouendi.

Quoad fratrum vitam. Si largitores fuerint fortes à maleficis non infeſtati, vitam validam, longamque portendent; ſi debiles, vel afflicti, vitam breuem, vel morboſam.

Largitores in oppoſito ſuarum dignitatum, & domicilij, fratres ignobiles, obſcuroſque decernent. In eorum caſu in honoribus abiectos, non conſtituendos, vel à dignitatibus deponendos. Peregrini, vel extra ſuos fines infelices, & pauperes; In quadrato, aut oppoſito Solis Principibus exoſos odioſos, & ab illis perſequendos.

Quoad ſexum. Iuppiter, & Mercurius in bono ſtatu orientales, in quadrantibus orientalibus maſculos decernent; occidentales reſpectu ſolis, & Mundi fœminas. Sic orientales erga ſolem maiores Natu; ſicut occidentales minores demonſtrat, Luna autem, & Venus fœmellas.

Planetæ maſculi, & orientales maſculos: fœmini, & occidentales fœminas.

Quoad concordiam inter fratres. Si largitores fuerint inter ſe coniuncti vel ſextili, aut trino radio configurati, fratres ſe mutuò diligent; ſi de quadrato, aut oppoſito, odio aſſiduò ſe proſequentur. Si fuerint in ſignis inconiunctis, nec odio, nec amore ſe proſequetur; verùm ſeorſum habitabunt: quod etiam continget cum largitores erunt in ſignis contrariæ naturæ, etiam ſi inuicem ſe radijs intueantur.

Aſcendens, vel dominus Aſcendentis Nati in quadrato, aut oppoſito largitoris odium demonſtrabit inter fratres; inter illum ſcilicet cuius largitor eſt ſignificator, & Natum.

Si

Digitized by Google

Si Largitores conſenſerint cum Parte fortunæ in dicta figura Matris, oſtendet fratres conſenſu vnanimi ducturos vitam communem, hæreditate paterna pacificè fruentes. Si diſſenſerint, eamque quadrato, aut oppoſitore ſpexerint, hæreditaria bona ab ipſis diuidentur, & vnuſquiſque ſuam accipiet portionem. Hæc ex Ptolemæo.

Alia via Arabum pro fratribus in Nati figura conſiderat tertiam domum, & eius dominum, & pro eorum ſtatu diiudicat. Si enim domini tertiæ domus fuerint benefici; vel ibi benefici fuerint abſque noxa maleficorum amplum, & bonum ſtatum fratrum indicabunt: ſi in tertia fuerint malefici corpore, vel ibi dominantes prauum, & malum ſignificabunt; quæ generalia iudicio Aſtrologi examinanda relinquuntur. Cæterum ex multis Aphoriſmis aliquos ſelegimus.

In tertia domo ſignum fæcundum dat plures; e contra ſignum ſterile.

Dominus tertiæ in prima facit Primogenitum; ſicut in ibi Saturnus, & Sol qui abſolute, vel aliorum morte primum inter fratres demonſtrant; Sol autem ſemper Primogenitum, vel digniorem, & nobiliorem inter fratres.

Dominus tertiæ, in Aſcendente ſignificat Natum fratribus non cariturum, dummodo Aſcendens non ſit ſignum ſterile.

Venus domina tertiæ dat mortem ſororum maiorum: Luna minorum.

Dominus tertiæ in duodecima infortunatus ab aliquo malefico, vel debilis odium decernit inter Natum, & fratres.

Saturnus in tertia in ſuis dignitatibus infeſtatus à Marte corpore vel radijs, odia, rixaſque inter fratres præſagit.

Dominus tertiæ in ſuis dignitatibus non infeſtatus à maleficis, bonum ſtatum fratrum pollicetur; ſicut bona Nato ex fratribus, vel ſororibus, quod ſemper intelligendum.

Iuppiter in tertia cum Cauda Draconis, damna, & anguſtias Nato tribuit occaſione fratrum,

Mars dominus tertiæ cum aſpectu prauo Mercurij inclinat ad fratricidium, & ſimilia cum fratribus infauſta, præcipuè Mars in ſuo domicilio.

Mars, Saturnus, Sol, Luna inimico àſpectu ſe intuentes (afflicto domino tertiæ) odium portendunt inter fratres, rixas, aliquando violentiam.

Luna in Tauro in tertia cum radio malefico Martis; ſi Venus etiam affligitur à maleficis, mala minatur in fratribus, odia, rixas, pericula interitus.

Mars potens in tertia peregrinus in Aſcendente, vel in quadrato, aut oppoſito Aſcendentis dat rixas, & prælia inter fratres.

Aſcendente Cancro, aut Capricorno decernitur ſæpè Natum inire cum fratribus lites, & diſſenſiones.

Infortuna in tertia, & dominus tertiæ in ſexta dat mala à fratribus, vel propinquis.

Pars fortunæ in tertia cum maleficis, vel in eorum quadrato, aut oppoſito decernit labores, miſeriam, & infortunia fratribus; Eadem ſignificat tertiæ dominus in fortuna; vel alius Planetę radio infortunatus, & afflictus.

Dominus tertiæ in Aſcendente, vel in ſextili, aut trino Aſcendentis demonſtrat inter fratres amores, & concordiam. In oppoſito, aut quadrato odium, & diſſidia.

Aſcen-

Aſcendens Nati tertius gradus Scorpij demonſtrat Natum ſine fratribus.
Mars conbuſtus tribuit fratrum paucitatem, & minorum mortem.
Dominus tertiæ combuſtus; vel Sol in tertia in oppoſito Iouis paucos dant fratres; vel eorum diſpetſionem, & deſtructionem.
Sol vel Saturnus in angulo in ſuis dignitatibus: dominus Aſcendentis, vel Mars, vel Iuppiter in tertia: Venus, aut Mercurius domini tertiæ in Aſcendente faciunt Natum Primogenitum, vel inter fratres nobiliorem.
Mars ſignificat fratres; Luna forores: pro eorum ſtatu iudicandum.
*M*ars fortunatus fortunatos demonſtrat fratres è contra humiles.
Caput Draconis in tertia fratres nobiles pollicetur; & ijs honores ex eccleſiaſticis, ſed Natum fratribus humiliorem; è contra Cauda fratres humiles, & Natum fratribus digniorem.
Si Luna fuerit fortior ſorores meliori fortuna gaudebunt: ſi *M*ars melior fortuna in fratribus.
Luna domina tertiæ in quadrato *M*artis fratrum tribuit mortem; è contra Luna cum ſocietate Veneris, aut Iouis vitam longam.
In Aſcendente Ariete, vel Libra, fratres erunt viles, & inimici: Aſcendente Cancro, vel Capricorno potentes; ſed Nato odioſi. Aſcendente Leone, vel Aquario vel breuis vitæ, vel diſſentientes.
Oppoſitio Mercurij, & *M*artis tribuit diſcordiam inter fratres.
Mercurius cum Corde Scorpij, cum radio *M*artis, inclinat ad fratricidium.

DE PARTV MASCVLINO, VEL Fœminino. Cap. III.

CONſideratio an maſculus ſit an fęmella, eſt eorum, quæ contingunt in partu, quæ etſi originem ducant ex conceptione, ob maximam eius cum Natiuitate ſimilitudinem, ex ipſo etiam Natiuitatis principio, & momento indagantur ex Ptolemæi decretis; obſeruatis nempè locis luminarium, Aſcendente, & horum locorum diſpoſitoribus, pluresque dignitates inibi obtinentibus: Si enim maior pars Planetarum, & locorum fuerit maſculina maſculum erit, quod Natum eſt: ſi fęminina fęmella.
Maſculini Planetæ ſunt Saturnus, Sol, Iuppiter, Mars, & *M*ercurius pro ratione: fæmini verò Venus, & Luna; maſculini ſunt, quia efficatiores; hinc ſuperiores, vt maximi reſpectu inferiorum, ideo potentiores, & maſculini ſigna maſculina ſunt calida; ſicut frigida fæminina; vt alibi notatum.
Conſiderandæ ſunt inſuper ſtellæ fixæ, quibus Planetæ, & Aſcendens iunguntur, cuius ſint ſexus; quod Planetæ indicant, quorum ſtellæ fuerint naturæ, vt Iouiales *M*aſculinæ, *M*artiales, & Saturninæ: fęmininæ Venereæ, & Lunares.
Conſpiciendum eſt ergo Aſcendens, locuſque Lunæ, cuius fuerint naturæ, an ſigna maſculina, an fæminina; ſic locus Solis: Secundò Planetæ dominatores locis præfatis. Tertio ſigna in quibus hi dominatores fuerint conſtituti; Quarto ſtellæ fixæ cum Aſcendente, alijſque locis, & Planetis poſitæ: factoque diligenti ſcrutinio an Planetæ fuerint orientales, an occidentales; in ſignis

ſignis maſculinis, vel fæmininis, ſecundum exceſſum maſculineitatis, aut fæmineitatis libere iudicium proferendum.

DE PARTV GEMINORVM.
Cap. IV.

IN partu Geminorum, trigeminorum, ſeu plurium, eadem loca obſeruanda ſunt; quę in partu maſculino, vel fęminino; Solis videlicet, Lunę, Aſcendentis, atque illorum diſpoſitorum, cùm namque ſigna in quibus fuerint erunt bicorporea, vel eorum ſaltem pars maior, Planetęque dominatores fuerint in ſignis bicorporeis; vel ſi non in bicorporeis, admixti ſaltem alijs Planetis duo erunt, qui naſcentur. Quod ſi ſignificatores omnes Sol, Luna, Aſcendens; vel ſaltem duo ex his, & dominantes ſtellę fuerint in bicorporeis ſignis, ac pręterea pluribus configuratę, plures erunt quàm duo, qui naſcentur; quorum numerus ex Ptolemęo à Planetarum ſignificantium numero, & dominantium ſumendus eſt; ſubiungit verò Ptolemęus, quod ſi Aſcendens non fuerit ſignum bicorporeum, eiuſque loco ſit Medium Cęli, partus erit etiam multiplex.

Hoc iudicium partus, & præcedentis capitis, ſicut ſubſequentis de monſtris melius ex figura Conceptionis elicitur, cum in Natiuitate vmbratili quodammodo perpendatur; ob ſimpathiam verò conceptionis cum Natiuitate dat Ptolemæus ob ſplendorem artis documenta; cum in ſua regione gemelli plures, & trigemini naſcerentur.

Sexus geminorum, vel trigeminorum cognitio pendet ex capite præcedenti, cùm ſignificatores, locaque fuerint maſculina, mares erunt Nati; ſin fæminina fęmellæ; Si partim maſculina, partim fęminina erunt pro ratione.

Si tres ſuperiores Saturnus, Iuppiter, & Mars fuerint dominatores locis Solis, Lunę, & Aſcendentis, tres naſcentur maſculi; vnuſquiſque naturam illius referens tam circa corporis, quàm animi qualitates, qui fuerit ſignificator. Dat exemplum Ptolemæus de Anatis maſculis trigeminis vno partu æditis; quorum vnus diù vixit fęliciter optimis moribus, pulchraque corporis conſtitutione referens naturam Iouis, a quo ſignificabatur; reliqui duo à Marte, & Saturno facinoroſi, raptores, homicidę, peſſimique extitere.

Trigeminæ producuntur à Venere, Luna, ac Mercurio effęminato, cuius modi fuere Parcę, ſeu Gratiæ, Atropoſ. Cloto, Lacheſis pulcherrimæ, ac moratę vnico partu ędite in lucem.

In ortu duorum maſculorum, & vnius fęmellę dominatores erunt Saturnus, Iuppiter, & Venus, vt in partu Latonę, quę Caſtorem, Pollucem, & Helenam procreauit: Caſtor à Ioue ſignificatus optimus, immatura morte pręuentus ab omnibus fuit fletus; pro quo finxerunt Poetę, ad eius vitã recuperandã Pollucem ad inferos deſcendiſſe; Pollux à Saturno decretus mala tot patrauit, & ſcelera; Helenæ verò fuit Venus ſignificatrix; hinc ob eius pulchritudinem fabulantur Poetę excidium Troię, & alia.

In partu duarum fęminarum, & vnius maſculini, Venus, Luna, & Mars obtinent dominium; Mars quidem ob viciniam, motumque celerem potius,

 quàm

quàm Iuppiter, & Saturnus. Tali conſtellatione geniti ſunt Bacchus, Ceres, & Proſerpina; Marti Bacchus ſubijcitur, bellicoſus inſignis: Ceres pulchra Veneri; Proſerpina Lunę.

Plures, quam trigeminos non concedit Ptolemęus; ſi enim plures quam tres naſcantur, quod reuocat in dubium, vel viuere nequeunt, vel naſci contingit mutilos, corporiſque maximis vitijs affectos, nec diu degentes. Credimus mulieres pluſquàm tres parere non poſſe, quicquid aniles fabulę Iuriſconſultorum commententur; cum in hiſtorijs dignis fide ſcriptum non reperiatur. Trigeminos autem naſci paſſim notum eſt; extatque memoria de Horatijs, & Curiatijs inuicem Romæ certantibus, alijſque innumeris etiam noſtri temporis.

Ex ſupradictis ſoluitur vulgaris obiectio, quæ extat contra Aſtrologiæ veritatem; cur cum plures eodem tempore naſcantur, & partu: alter eorum ſtatim moritur: viuit alter ad vltimum ſenium, vnus optimus conſtitutione corporis calida, ſanguinea; alter peximus, frigidus, & melancholicus; nam mirum hoc non eſt, cùm hi habeant diuerſos ſignificatores; alter ſignificatus, exempli gratia, à Ioue benè conſtituto abſque aſpectu maleficorum, qui decernitur calidus, & humidus, morum optimorum; alter à Saturno, vel Marte malè affecto, qui oſtenditur de natura illorum Planetarum; malorum morum primus longo temporis ſpatio vitam felicem protrahit: Secundus breui vitam finiet, morbis, vel periculis implicitam. Satius eſt ſilere, quam inſcios fundamentorum contra ſcientias turpiter debacchare.

DE MONSTRIS. Cap. V.

CVm Nati formam, figuramque naturalem, & vniuerſalem humani corporis delineationem non retinent; verùm vel aliquid deeſt ad conformitatem integram; ſuperfluum vel aliquid innititur: vel figura immutatur in toto, ſeu in parte; ſiue brutorum aliquid repręſentant, Monſtra ab Aſtrologis nominantur; quorum doctrinam ars ſyderalis coniecturali ratione complectitur, quæ idcirco inter coniecturales nobiliſſima, cum non tantum ea nobis patefaciat, quæ à naturalibus principijs ducunt originem: ſed occultiora multa adeat, quorum origo, & cauſæ altius petendæ ſunt: & inter plurima pręcipuè hæc de Monſtris tractatio, quæ vi ſyderum in conceptione producuntur; & nihilominus in Natiuitate ſignificatio apparet euidentiſſimè.

Ad hoc, vt monſtrum ſit, quod naſcitur, tres requiruntur conditiones; prima quod malefici ſint in angulis; præcipuè verò in orientali, vel Meridiano.

Secunda quod Luminaria nulla familiaritate cum Aſcendente coniungantur, vt ſi ſint in ſexta, aut duodecima domo. Tertia vt dominus præcedentis coniunctionis, vel oppoſitionis luminarium nullo pacto reſpiciat Aſcendens, Lunam, nec dominum Geniture, quem Arabes vocant Almuten, potentiorem nimirum Planetam in figura Natiuitatis. Primæ duæ conditiones ſæpiſſime in alijs caſibus conſpiciuntur; in Genituris nempe abiectis, ac infelicibus, paſſim accidunt: cum pauperrimi, ac infelices vndique naſcantur: verùm tertia addita conditione potentiſſima cauſa conſurgit, cui monſtrum, inuolutum, vel contortum ſit, quod naſcitur.

Signa

Digitized by Google

Signa, in quibus fuerint luminaria, formàm monſtri partefaciunt: In ſignis quadrupedibus, vel feralibus ſi extiterint, amboque malefici in angulis, quod procreatum eſt, humanam formam non retinebit; & tunc, ſi poſita hac conſtellatione, cum luminaribus, nec corpore, nec radijs fuerit aliquis Planeta beneficus, partus erit prorſus deformis, alienus ab humana effigie, feralis, agreſtiſque appares; ſi ad fuerit aliquo modo Venus, vel Iuppiter, monſtrum repręſentabit formam canis, felis, vel ſimilis animalis; ſi ad fuerit Mercurius in bono ſtatu afferet ſimilitudinem, bouis, aut Capellæ, ſuis, leporis, ac huiuſmodi.

Si luminaria fuerint in ſignis humanis, monſtrum humanam figuram retinebit, aliquo támen pacto immutatam; cuius immutationis quantitas, & qualitas ex ſignorum formis deſumetur, in quibus fuerint conſtituti malefici, qui angulos occupauerint; tuncq; ſi beneficorum nullus loca inuteatur, vel horum locorum alicui dominetur, monſtruoſum omnino naſcitur, & mutum; ſi aſtulſerit aliquomodo vis Iouis, aut Veneris aſpectu, vel dominio, licet fuerit monſtruoſum, habebitur in exiſtimatione apud homines, cuiuſmodi ſunt Hermaphroditi, alijque huius generis: Si cum Ioue, & Venere adfuerit etiam Mercurius auxiliator, monſtra in pretio habita ab hominibus erunt arioli, aruſpices, ſomniorum interpretres, futuraque vaticinantes. Si adfuerit ſolus Mercurius abſque alijs beneficis monſtrum erit mutum, ſine dentibus, verùm callidum, aſtutum, ingenioſum, ſubdolum: quale nos vidimus anno 1617. in oppido Collepardi ſubiecto dominis de Columna in Campania Romę.

Hermaphroditi, Harpocratici, ſeu Androgini ſunt vtroque ſexu præditi; qui in coitu nefariè vtroque ſexu olim vtebantur, vt referunt: Nos obſeruauimus in pluribus, quos vidimus, alterum ſexum præualere, & ſi ambo conſpiciantur lucidiſſime. Romæ in regione Turris ſanguineæ erat pharmacopola; qui in primis annis habitus fuit fæmella; in annis pubertatis mentum emiſit, & nupſit, neſcimus verò an filios ſuſceperit, factus erat obæſus, & deformis ob craſſitiem, & habitum corporis.

Sciendum vltra fętum generari aliquando in vtero carnis fruſtum viuens multoties vita animalis, ſecum afferens formam alicuius animalis, vt lucertæ bubonis, aquilæ, vel alterius; quod etiam Sauonarola in ſua medicinali praxi recitat, & frequenter accidere in Apulia in regno Neapolitano; regioniſque illius mulieres, vocare feram; & egredi cum fætu, & viuere aliquandiù: Habuimus in Ciuitate Alatri in Campania Romæ ab obſtetrice fide digna; mulieretem quamdam peperiſſe leporem mortuum, cum omnibus membris, viſum à multis. Cauſa huius eſt ſemen ſecundi coitus, cùm in primo fętus conceptus eſt, atque ex cęleſti conſtellatione, vt optimè Ariſtotel. lib. 8. de hiſtor. animal. Quod veriſimile, nec admirandum: ſi enim generantur vermes in vtero, & alibi: cur non poteſt ibi generari animal exiſtente prætereа idonea magis materia, nimirum ſemine?

DE HIS, QVI NON NVTRIVNTVR. Cap. VI.

DVplex ab Aſtrologis inſtituitur vitæ periodus, & terminus in contemplatione de vitæ ſpatio; primus annuam conuerſionem Solis complectens, & qui vlterius poterit protrahi, & vſque ad ſenectutem; alter quo vita abſcinditur ante completum annum; menſibus ſolummodo perdurans, diebus, aut horis. Non nutriri, nec viuere poſſe intelligendum eſt Natos annum Solarem integrum in viuis non excedere; inter quos quidam moriuntur antequàm lac ſugant, aut aliud aſſumant alimentum; alij aſſumunt quidem; verùm annum in vita non complent, protracta ſolùm menſibus, diebus, aut horis, ex Ptolemæo circa hos iſtę obſeruantur conſtellationes, ex quibus mira fiunt prognoſtica.

Prima conſtellatio. Si in cęleſti figura alterum luminarium fuerit repertum in angulorum aliquo, & Mars, vel Saturnus fuerit illi coniunctus, aut oppoſitus partiliter, & in figura ęquicruria; nulluſque beneficorum, vt Iuppiter, vel Venus aſpexerit luminare, aut maleficum; & diſpoſitor loci luminaris, qui ſcilicet ibi plures obtinuerit dignitates, reperiatur in viribus, & dignitatibus maleficorum, illud, quod naſcitur, nec viuet, nec ali poterit; figura ęquicruria eſt ad inſtar trianguli ęquilateri, & intelligitur in coniunctione, quod luminare, & maleficus non ſolum ſint in eodem gradu ſigni, & longitudinis: verum obtineant eandem latitudinem Borealem, vel Auſtralem, nec diuerſam, quod de Luna intelligendum eſt. In oppoſitione verò, quod ſint oppoſiti ex eodem gradu longitudinis: ſed cum diuerſa latitudine, & pro exemplo: ſit Luna in quarto gradu Geminorum cum latitudine Boreali; Mars, vel Saturnus in quarto gradu Sagittarij cum latitudine Meridionali.

Secunda conſtellatio Natus non ſuperuiuet, ſi non partiliter, & in figura ęquicruria fuerit hęc coniunctio, aut oppoſitio luminaris, & malefici in angulo: ſed tantùm de propinquo: ita tamen vt ambo malefici Saturnus, & Mars vtrumque luminare, vel alterum in angulis infeſtet. Si affligant vnum luminare tantummodo, tali pacto contingat, vt altera videlicet malefica ſuis radijs ſuccedat luminari afflicto ab altera malefica in coniunctione, aut oppoſitione. Si malefici affligant ambo luminaria, oportet, vt alterum luminarium affligatur à malefico licet non ex eodem gradu; reliquus maleficus ſuccedat alteri luminari corpore, oppoſitione, aut quadrato: ſic namque magnitudo prauitatis, radiuſque alterius malefici demolitur, quicquid auxilij afferre poterat diſtantia inter luminare, & maleficum, qui non ſint oppoſiti in figura æquicruria. Nocet maximè in coniunctione, ſi Mars ſuccedat Soli propter eius nimiam caliditatem; ſicut Lunæ Saturnus ob immenſam frigiditatem. In oppoſitione autem magis nocet Saturnus ſuccedens Soli, ſicut Mars Lunæ ob contrarias qualitates, ex quibus actio producitur violentior ex philoſophis.

Tertia conſtellatio. Si luminarium vtrumque conſtituitur in angulis; & ambo malefici in figura æquicruria illis opponantur, Natus mortuus, vel ſemiuiuus ex vtero extrahetur: ob nimiam enim ſiccitatem radicale humidum aſ-

ſumitur,

ſumitur, naturaliſque calor extinguitur; nec tantam influxus ſquitiem corpuſculum illud poterit in ortu ſuſferre. Contingit idem,ſi luminaribus in angulis, & ex iiſdem gradibus malefica vna illis opponatur, dummodo luminaria fuerint in eiſdem ſigni gradibus; Vel etiam ſi altera malefica illis opponatur; altera fuerit coniuncta.

Mortuus ſimiliter, vel ſemiuiuus ex vtero Natus eſt extrahendus, ſi Mars fuerit in Medio Cæli, Saturnuſque in occaſu, & affligant luminaria conſtituta in angulis, & dignitatibus maleficorum abſque auxilio Iouis, aut Veneris per coniunctionem, vel per aſpectum.

Si verò poſitis dictis conſtellationibus, luminaribus nimirum in angulis in viribus maleficorum in coniunctione, aut oppoſitione Saturni, vel Martis vt ſupra; malefici aliquot gradibus à luminaribus diſtiterint; & aliqua benefica corpore fuerit ante luminare; vel radios proiecerit ante luminare, tunc poterit viuere infans tot menſibus, diebus, aut horis; quot fuerint gradus intercepti inter luminare, & maleficos; cuius temporis menſura accipietur ex robore, diſtantia, vel propinquitate tam benefici, quam malefici cum luminaribus; nam benefica propinqua, & mediocriter robuſta dabit dies, valida menſes, debilis horas ſicut remota; Malefica ſimiliter diſtans dabit menſes, mediocriter diſtans dies; tangens, & propinqua horas.

DE IIS, QVI VIVVNT, VERVM ALIIS EXPOſiti educandi relictis proprijs Parentibus. Cap. VII.

IN enarratis conſtitutionibus ſi radij beneficorum fuerint proiecti in conſequentia luminarium; maleficorum verò in præcedentia, ac priora luminaribus, quod natum eſt conualeſcet, & viuet quamuis paſſurum admodum decernitur in partu, vitamque cum anxietatibus ob maleficorum potentiam protrahendam: Hoc influxu Nati relictis Parentibus alijs educandi exponuntur, vt aſſiduò in Italia conſpicimus Natos Hoſpitalibus, lociſque pijs nutriendos euectos.

Vt clariora hæc appareant, apponemus exemplum;ſit Sol in gradu decimo Capricorni; Saturnus in ſexto, Iuppiter in duodecimo Capricorni, vel alterius ſigni reſpicientis Capricornum; tunc Iuppiter proijcit radios in ſubſequentia luminaris: Saturnus verò in præcedentia.

Inter hos Natos, qui exponuntur alijs educandi, quidam benè tractantur; quidam malè, & infeliciter, quorum cauſa hæc colligitur ex Aſtris. Si benefici eleuentur ſuper maleficos, Nati loco filiorum ferè educantur; nihilominus ſeruilem artem exercebunt; ſi malefici eleuentur ſupra maleficos Nati, vt ſerui nutrientur infeliciſſimè, ac miſere ab omnibus vilipendentur. Si maleficus fuerit in occidente, beneficus in oriente, vel cum Luna radio benefico configuratus, vel iunctus, educabuntur tales Nati in omnibus, vt filij proprij, in moribus, ſcientijs,vitæque omnibus neceſſarijs in veram libertatem relicti; quales vtique plures conſpicimus hoc fato etiam alienis hereditatibus conſpicuos, & felices; Hinc ex Ptolemæo.

Digitized by Google

Plures malefici in occaſu cum Sole, & Luna, etiamſi non ſint iuncti in figura æquicruria; aut poſitis ambobus luminaribus in occaſu in oppoſito, aut quadrato maleficorum nutritionem difficultat, & multoties Natum decernunt ſemiuiuum, ac ſicut carnis fruſtum naſciturum.

Nati in partili coniunctione, aut oppoſitione luminarium; ſi maleficus illum aſpiciat locum de quadrato, vel oppoſito, rarò viuunt; vel ſaltem perpetuo ad verſa gaudent valetudine Ariſt. 2. de generat. animal.

Si Luna fuerit in quarta domo cum malefico; alterque maleficus in ſeptima in Lunæ quadrato, minatur Natum mortuum ex vtero egreſſurum; vel Matri periculum in partu.

Luna, & Mars ſimul in Aſcendente: Saturnus in 7. vel 8. vel aduerſo Luna in ſeptima, vel 8. cum Marte; Saturnus in Aſcendente. Nati difficilem demonſtrant nutritionem.

Luna combuſta, quæ cum Sole Aſcendens non intueatur, vel nutritionem impedit, vel vitam breuem oſtendit; niſi benefici admodum ſuffragentur, dominenturque locis principalibus.

Luna inter maleficos obſeſſa abſque radio beneficorum, & Sol in cadente, dominuſque Aſcendentis infeliciter conſtitutus nutritionem denegant.

Ambo malefici in oriente, & benefici non reſpexerint Solem, & Lunam, difficilem tribuunt nutritionem.

Luna infortunata in Aſcendente, dominuſque Aſcendentis peregrinus, & à maleficis afflictus, breuem vitam decernunt; præſertim cum radio Martis.

Malefici ambo in Aſcendente, luminaria in cadentibus; & benefici Aſcendens radijs beneficis non intuentes prohibent nutritionem.

Ambo luminaria in ſexta, vel duodecima, afflicto domino Aſcendentis oppoſitione, vel coniunctione maleficorum impediunt nutritionem.

Luna ſolitaria in occidente vitam breuem demonſtrat, præcipuè à maleficis afflicta, vel perpetuam peregrinationem extra patriam; ſæpeque exitum violentum, niſi benefici auxilientur.

Luna in Ariete, aut Capricorno in oppoſito Martis, Saturnuſque, aut Mars, in quadrato Aſcendentis difficultant nutritionem.

Mars in 8. Aſcendenſque à maleficis infeſtatum abſque auxilio beneficorum vix vno menſe Natum victurum ſignificant.

Quatuor, aut quinque Planetæ, in Aſcendente impediunt nutritionem.

Luna cum ſtellis violentis Pallilitio, Antareibus, Hercule, Capite Medulæ, & alijs, afflicto Sole in Aſcendente cum ſuo diſpoſitore impedit nutritionem.

Luminaria in 6. cum domino Aſcendentis combuſto; ſi adfuerit corpus, vel radius oppoſitus, aut quadratus alicuius malefici, citam mortem minantur, ſicut periculum mortis Matris in partu.

Omnes Planetæ in 6. 8. 12. impediunt nutritionem.

Luna in partili quadrato, aut oppoſito malefici non diſtans plus minutis, 17. poſito Sole non apheta, & Aſcendens in dignitatibus maleficorum vitam difficilem tribuunt.

Malefici diſpoſitores locorum luminarium, & ſuper luminaria eleuati, vitam longam prohibent, vel violentis caſibus implicitam portendunt.

Domi-

Digitized by Google

Dominus Aſcendentis vinctus malefico, & Luna in 6. prohibent nutritionem.

Luna in 7. iuncta malefico, vel in quadrato, aut eius oppoſito abſque aſpectu, vel coniunctione Iouis, aut Veneris, vix vna hora viuet Natus.

Luna in 6. & dominus Aſcendentis combuſtus cum malefico decernunt Natum mortuum moriturum, & matrem morituram in partu.

Luna in angulo cum Marte, & diametro Saturni; Natus cibum non guſtabit. Sol non diſtans plus gradibus tribus ab Aſcendente in ſigno aereo cum ſtella regia violenta idem ſignificat.

DE FORMA, ET TEMPERATVRA Corporis. Cap. VIII.

PRo Nati corporis conſtitutione, & temperamento tam in actiuis qualitatibus calido, & frigido, quàm paſſiuis humido, & ſicco hæc loca in figura cæleſti conſideranda ſunt. Signum Aſcendens, eius diſpoſitor; Luna, eius dominator; Planetæ, & ſtellæ fixæ poſitæ in Aſcendente, & cum Luna; Planetæ aſpicientes locum Lunæ, & Aſcendentis; & Planetæ iuncti, vel aſpicientes dominum Aſcendentis, & dominum loci Lunæ; ex quibus ſingulis facto ſcrutinio in dictis qualitatibus actiuis, & paſſiuis ſecundum earum exceſſum de Nati corporis temperatura iudicandum; ſcientes plurimum prærogatiuæ in hoc obtinere ſignum horoſcopans, Planetas, fixaſque prope lineam orientalem conſtitutas; ſicut qualitates ſic imbutas à Planetis, & fixis maximè conſpicuas eſſe in corporibus ab anno ætatis 30. ad 35. circiter; cum in alijs ætatibus non reluceant niſi inditia quædam; & à cauſis diuerſis ſuſcipiant immutationem.

Ex his ſignificatoribus, & aſpectibus colligenda ſut teſtimonia in dictis qualitatibus; ſi namque vincent caliditas, & ſiccitas temperamentum Nati erit bilioſum, cholericum; ſi calidum & humidum complexio erit ſanguinea. Si exceſſerit frigiditas, & ſiccitas melancholica, ſi frigiditas, & humiditas phlegmatica.

Planetæ, ſicut ſigna cæleſtia, quas demonſtrent corporis temperaturas hoc pacto ab Antiquis obſeruatur.

♄ Saturnus orientalis frigefacit, & exſiccat; occidentalis magis exſiccat: facit Natos corpore gracili, pallidos, magnis oculis, ſæpè in eis, vel eorum aliquem defectum, capillis nigris duris, facie, & maxillis magnis, pilo hirſuto, dentibus inordinatis, turpes, tardè incedentes, melancholicus.

Iuppiter orientalis calefacit, & humectat, magis occidentalis. Natum reddit formoſum, oculis pulchris, atque eminentibus, colore album cum commendatione, roſeum, ſubrubeum, capillitio medioćri, mento potius criſpo, naſo magno, facie hilari, ſtatura mediocri, inceſſu formoſo.

♂ Mars Orientalis excalefacit, & exſiccat; exiccat ſatis occidentalis; facit oculis rubeis, ſanguinolentis, facie rotunda, in qua ſæpè nota aut cicatrix conſpiciatur; naſo magno, digitis longis, carne pauca, pectore acuto, longis paſſibus incedentem.

☉ Sol reddit Natum colore flauo, oculis albis, & eminentibus, facie rotunda, fronte alba lucente, capite magno; in iuuentute flauis capillis, in ſenectute recaluaſtrum: qualitates iacit ſecundum anni quadrantes.

♀ Venus orientalis calefacit, & humectat, plurimum humectat occidentalis; prædicit Natum colore albo mixto rubedine, oculis gratis, venuſtis nigris, vt plurimum, capillitio pulchro, criſpo, ſupercilijs ſuperioribus paruis, aſpectu decoro, maxillis carnoſis, collo formoſo, pectore acuto, columbino, digitis breuibus, ſicut cruri bus, pauco cibo, multoque potu gaudentem.

☿ Mercurius orientalis calefacit, & exſiccat; exſiccat occidentalis: Facit Natum corpore gracili, colore pallido, tendente ad nigredinem; pulchris oculis; ſed mobilibus, paſſibus breuibus, & celeriter incedentem, facie anguſta, ſupercilijs iunctis, ore amplo, ſtatura moderata, intellectus multi, verboſum.

☽ Luna facit Natos pulchra corporis conſtitutione, corpulentos, colore albo, pulchro, facie rotunda, pauco potu, ſed cibo plurimo gaudentem.

A coniunctione cum Sole, vſque ad primam quadram calida, & humida.

A prima quadra ad oppoſitionem calida & ſicca.

Ab oppoſitione ad ſecundam quadram frigida, & ſicca.

A ſecunda quadra ad coniunctionem frigida, & humida.

♈ Arietis ſignum dat corporis colorem tendentem ad albedinem, & rubedinem capillitium criſpum, viſum obliquum, oculos magnos, aures paruas, collum oblongum, crura parua; Natos facit comptos, pulchtos; ſuprema corporis pleniora.

♉ Taurus facit colore tuſſo, licet non ſemper, fronte alba, naſo longo, oculis magnis, capillis nigris, criſpis, pectore amplo, collo groſſo, ac forti; Natum pulchro paſſu incedentem, voce rauca.

♊ Gemini colore mixto, ſtatura æquali, amplo pectore; Natum inſtituit fidelem, cuius opificium erit circa ſcripturam, aut computum.

♋ Cancer facit Natum pallidum, membrorum groſſorum, collo hirſuto, ſtatura breui, oculis paruis, voce ſummiſſa, humeris amplis, dentibus inconcinnatis, ventre magno.

♌ Leo flauis decernit Natum capillis, ſtatura pulchra, partibus corporis ſuperioribus maioribus inferioribus, pectore amplo, naſo acuto, oculis magnis, facie graui, cruribus ſubtilibus.

♍ Virgo formoſam reddit membrorum delineationem, ſtaturam pulchram, moderatam, ac proportionatam, colorem potius nigrum.

♎ Libra formoſa etiam facit ſtatura, ac moderata corporis conſtitutione; Natum album facie, in reliquo nigrum.

♏ Scorpius facit colore cineritio, oculis, & facie parua, capillis multis, longis cruribus, pedibus magnis, aliquando Natum turpem.

♐ Sagittarius album Natum, flauis capillis, ac ſubtilibus, ventre magno, barba, & facie oblonga, voce pulchra.

♑ Capricornus facit nigrum, hirſutum, ſiccum, facie longa, mento acuto.

♒ Aquarius nigri coloris, mixti viredine, ſtatura breui, vno crure multoties altero maiori; animo grandi, liberalem.

♓ Piſces faciunt colore albo, capite paruo, mento decoro, maxillis amplis pectore magno, membris inæqualiter, & male diſpoſitis; Natum multoties

ties

ties cùm aliqua lęſione inſeparabili, vt gibboſitate, claudicatione, vel huiuſmodi.

Tres ſuperiores Saturnus, Iuppiter, Mars orientales matutini apparentes ante Solem prope Apogeum reddunt corpora magna, ſtatutam proceram; quia ibi humectant, & calefaciunt; A prima ſtatione per totam retrogradationem faciunt corpora robuſta, valida, & reſiſtentia impedimentis, quæ credimus contingere cum prope Perigeum ſint terris viciniores. In ſecunda ſtatione, quando incipiunt dirigi decernunt corpora imbecilliora, debilia, & potius parua.

Venus, & Mercurius primo ortu orientales ſunt potius imbeccilles; nam incipiunt ingredi radios ſolis; cum à Sole diſtantiores ſint validiores.

Sciendum, quod delineationes, & conſtitutiones formæ corporeæ ſumuntur præcipuè ex Aſteriſmis ſtellarum fixarum in Zodiaco, & extra; hinc Veterum obſeruationes huiuſmodi attendendæ ſunt.

Robur, & validitas corporeæ formæ proueniunt ex ſpiſſitudine ſtellarum in conſtellationibus loci Lunæ, Solis, & Aſcendentis, vel eorum diſpoſitorum; quemadmodum debilitas ex raritate, & paucitate ſtellarum.

Decentia formæ, vel mala, & inconcinna compoſitio dependent ex diſpoſitione ſtellarum in conſtellatione, ſeu Aſteriſmo commenſurato, aut inordinato.

Statura procera, vel tenuis ſumitur ex diſtantia magna ſtellarum inter ſe in longitudine, vel propinquitate; Craſſities verò ex diſtantia, aut propinquitate in latitudinem, ſicuti macrities; quæ ſingula maximè conſideranda ſunt pro hac parte prognoſtici difficilima.

Leo, Virgo, Sagittarius Aſteriſmi longi, occupantes magnam Cæli partem producunt corpora magna, cùm fuerint loca Aſcendentis; Lunæ, & aliorum.

Capricornus, Cancer, Piſces ſunt conſtellationes paruæ, & corpora producunt breuia. Primæ partes Arietis, Tauri, Leonis, generant partes ſuperiores corporis magnas, & pingues, vt caput, ſpatulas, brachia, humeros, cum plurimis ſint fuſſultæ ſyderibus: contra verò ob ſtellarum paucitatem partes vltimæ horum ſignorum producunt inferiores, vt tibias, coxas, pedes tenues, & ſubtiles.

Primæ partes Geminorum, Scorpij, Sagittarij contrario modo ex eadem ratione conducunt ad imbecillitatem partium ſuperiorum, inferiorum ad robur.

Virgo, Libra, Sagittarius corporis conformitatem adducunt, moderatamq; corporis partium delineationem.

Piſces, Scorpius, Capricornus inordinatam, & inconcinnam corporis delineationem. Conſiderantur autem hæ ſignorum qualitates, quando fuerint in Aſcendente, vel in eis fuerit Luna, aut dominis Aſcendentis.

Tria notantur ab Aſtrologis, quæ conducunt ad corporis magnitudinem, aut paruitatem. Primum, domini Aſcendentis, & loci Lunæ in Apogeis, & orbium auge proceritatem, in Perigeis paruitatem. Secundum eſt numerus graduum horoſcopantium; primæ namque partes ſignorum in Aſcendente ob ipſarum robur magnitudinem; poſtremæ ob vires exhauſtas breuitatem adducunt; mediæ verò mediocritatem. Tertium eſt rectitudo, vel obliquitas ſigno-

ſignorum Horoſcopantium, & loci Lunæ; ſigua recta producunt corpora longa, obliqua breuiora.

Signa ab Aequinoctio Verno vſque ad Solſtitium æſtiuum ♈ ♉ ♊ ex Ptolemęo producunt Natos ſtaturoſos, corpora magna, colore decenti, mediocri pulchritudine, oculis nitidis, capillis pulchris, temperatura calidos, & humidos.

Signa à Solſtitio æſtiuo ad Aequinoctium Autumnali ♋ ♌ ♍ producunt Natos corpore tendente ad craſſitiem, moderatos; in longitudine; & mediocres; oculis nigris, capillitio multo, ſtatuoſa conformi, calidos, & ſiccos.

Signa ab Aequinoctio Autumnali ad Solſtitium hibernum ♎ ♏ ♐ Natos producunt coloris flaui, exenſis capillis, pulchris oculis, graciles, voce ſubtili, humeris amplis, frigidos, & ſiccos, & melancholicos.

Signa, à Solſtitio hiemali ad Aequinoctium Vernum ♑ ♒ ♓ producunt magnitudiue æquali, ſtatura conformi, capillis rigidis, colore tendente ad liuiditatem, frigidos, & humidos.

Sciendum, quod hæc ſunt intelligenda, quoties hęc ſigna fuerint loca Aſcendentis, Lunæ, & eorum dominantium, ex quibus teſtimonia petenda ſunt pro corporis qualitatibus decernendis: ne forte credamus abſolute has qualitates producere in Natis abſq; alijs conditionibus, ſic enim omnes Nati. Vere eſſent calidi, & humidi, quod eſt abſonum; ſumenda eſt igitur ex ipſis ſignificatio, & cum alijs, quę diximus ſecundum exceſſum iudicandum. Scientes de corporis delineatione difficilliman eſſe ſpeculationem ob rationes plurimas, & præcipuè cum filij naſcantur multoties Patribus ſimiles. Nati naſcuntur Patribus ſimiles cùm in eorum Natiuitatibus diurnis Sol fuerit in Aſcendente, & Saturnus, ſi Geneſes fuerint nocturnæ: fęmellæ verò erunt ſimiles Matribus, cum in earum Genituris diurnis fuerit Venus in Aſcendente, & prope lineam Orientalē, vel Luna in nocturnis. Circa colorem faciei multa circumferuntur de horis Planetarum in Natiuitate; de facie Aſcendentis, & Lineæ orientalis, plurima tamē utilia; veritas ſolum conſpicitur ex temperamento Nati; nam bilioſi ſunt colore flaui, & rufi; ſanguinei candidi, phlegmatici pallidi; melancholici nigri.

Luna ſi aſpiciat Venerem, vel Iouem in Aſcendente conſtitutos; vel Venerem dominam Aſcendentis Natum decernit comptum, & pulchrum.

Cæterum ſtellę fixæ in linea orientali, & Aſcendente obſeruationibus agunt circa pulchritudinem, & turpitudinem Natorum.

Stellę de natura Iouis ibi faciunt formoſos.

De natura Iouis, & Mercurij ineptiores ad formoſitatem.

De natura Martis, & Veneris faciunt formoſos in pueritia, turpes in alijs ætatibus.

Stellæ de natura Saturni, & Mercurij; de natura Martis, & Solis; de natura Martis, & Lunæ turpes.

De natura Martis, & Iouis mediocres.

De natura Lunæ, & Veneris formoſos.

Aliqui ex appetentia cibi, & potus coniectant de corporis qualitatibus, & de dominio Planetarum in Natis, nec vanis obſeruationibus; hoc pacto aſſerentes.

Satur-

Saturnini,& in quorum corporibus magis dominatur Saturnus,quam alius Planeta, appetunt cibum paucum, immundum, indifferentem, an fuerit ſimplex, vel varius. Potum verò multum vinoſum; ſed non affatim, ſed lentè bibendo.

Iouiales cibum multum, ſimplicem, mundum. Potum verò multum vinoſum affatim.

Martiales cibum multum, immundum, lautum, ſeu cum variatum rerum mixtione. Potum multum, vinoſum, affatim.

Solares cibum paucum, mundum, ſimplicem; Potum paucum, nec affatim, nec vinoſum.

Venerei cibum paucum, mundum, lautum; Potum multum, nec affatim, nec vinoſum.

Mercurius cibum paucum, ſimplicem indifferentem in munditie. Potum paucum, vinoſum, non affatim.

Lunares appetunt cibum multum, immundum, indifferentem etiam in ſimplicitate. Potum multum affatim, non vinoſum.

DE VITIIS, ET MORBIS CORPORIS.
Cap. IX.

DIſtinguuntur inuicem Vitia, & morbi corporis. Vitia læſiones, ſiue impedimenta ſunt, quæ ſemel in corpus infiguntur, ne conſtantes firmos, & perpetuos habeat labores, & dolores; cum vnica vice corpora dolorem ſentiant tempore nimitum inſultus; licet dolore ſedato remaneat impreſſio inſeparabilis, vt cæcitas, ſurditas, claudicatio, gibboſitas, cicatrix, mutilatio membri, & alia: Morbi verò dolores continuos, vel reciprocos, ac per vices ſæpè redeuntes afferunt; ea propter inter morbos alij ſunt inſeparabiles, qui quamuis perpetuò non affligant, ſed reciprocantes tantummodo, & per vices; reddunt nihilominus corpus languidum, vt podagra, Iſchias, aſthma, lapis in veſſica, comitialis, & alij plurimi; ſeparabiles alij ſunt, qui corpus moleſtant, dum adſunt, & vel morte, vel ſalute terminantur, vt ſunt febres, apoplexia, phreneſis, pleuritis, diſſenteria, angina, & ſimiles.

Pro hac contemplatione reſpiciendi ſunt in figura cæleſti anguli orientalis, occidentalis, domuſque ſexta; ſi ergo alter maleficorum Saturnus, aut Mars, vel ambo in his locis fuerint reperti; vel ea loca radijs oppoſitis, aut quadratis reſpexerint; itaut radij ſint dimiſſi in partes ſuccedentes centris, ſeu cuſpidibus angulorum, vel domus ſextæ, vt ſi linea anguli ſit in gradibus, exempli gratia, decem, alicuius ſigni, & corpus, vel radius malefici incidat in gradum decimum, vel vndecimum illius ſigni; vitia corporis, vel morbos decernent: erunt tamen malefici potentiores magis coniuncti corpore, quam radij infeſtantes.

Notandum quod validius hæc contingent ſi luminarium alterum, vel ambo reperiantur coniuncta in angulis, vel ſe ipſa ex diametro reſpicientia; tunc enim non tantum ſi ſuccedat radius, vel corpus maleficorum; ſed etiam ſi præcedat centrum, & cuſpidem, dummodo ſit prope, vitia, vel morbos inficiet

pro

pro natura ſignorum in domibus maleficorum, & aliorum, vt dicemus.

Sciendum inſuper maleficos poſitos in angulis cum luminaribus, vel luminarium oppoſitione, aut quadrato euidentiores effectus producere, ſequioraque ſimptomata, ac vitia portendere: quod ſi fuerint in ſexta cum luminaribus, vel in luminarium maleficis radijs, morbos graues, & inſeparabiles adducent. Ad quas prauas conſtitutiones imprimendas conducit plurimum ſi dominus Aſcendentis, Luna, vel dominus loci Lunæ affligantur; cum ſemper ſint hi corporis affectionum ſignificatores.

Cum ex Ptolemæo Zodiaci ſigna, & Planetæ oſtendant, quæ humani corporis partes vitijs, vel morbis ſint affligendi, enumerabimus, partes quibus Planetę, & Zodiaci ſigna præſint.

Aries dominatur toto capiti. Taurus collo: Gemini brachijs, Cancer pectori, Leo à furcula pectoris vſque ad vmbilicum Virgo ventri inferiori, Libra natibus; Scorpius pudendis; Sagittarius coxis; Capricornus genibus; Aquarius tibijs; Piſces pedibus. Hęc ſigna his partibus dominantia, morbos contingentes in eiſdem decernent. Aries cum ſignificet caput, faciem, & partes reliquas, morbos, dolores capitis Cephaleam, hæmicraniam, affectus oculorum, dentium, alioſque affectus inibi contingentes decernit, ſicut vulnera.

Taurus præeſt collo, gutturi, & partibus adiacentibus; portendit anginam, ſcrophulas, botium gulæ, & colli alias ægritudines.

Gemini oſtendunt brachiorum, manuum, & ſpatularum ægritudines.

Cancer ægritudines omnes thoracis.

Leo ſtomachi affectiones, & pręcordiorum dolores.

Virgo affectus ventris, & inteſtinorum.

Libra mala renum, lumborum, excrementorum retentiones, alioſque exuperantis materiæ in coctos humores demonſtrat.

Scorpius hemorroidas, tenaſmon, fiſtulas, Cancros, vitia Vrinæ.

Sagittarius dolores Coxendicum.

Capricornus aurium vitia, linguæ impedimenta, genua debilia.

Aquarius ictericiam nigram, ac tibiarum morbos.

Piſces podagram, aliaſque pedum ægritudines.

Ex Planetis verò Saturnus dominatur melancholiæ, pituitæ crudę non naturali, auditui dextero, ſpleni, veſſicæ, oſſibus, cartilaginibus, ligamentis.

Iuppiter pulmoni, ſanguini, hæpati, carni, & humoribus icoroſis.

Mars auditui ſiniſtro, renibus felli bili, inteſtinis, ſedi.

Sol oculo dextro, cordi, arterijs, ac in eis ſanguini ſpirituali contento Venus guſtui, obſfactui, ſemini, vaſis ſeminarijs, ventriculo, & pudendis vtriuſque ſexus.

Mercurius linguæ, menti, rationi, ſpiritibus, memoriæ digitis.

Luna cerebro, oculo ſiniſtro, pituitæ naturali; plena lumine ſignificat pituitam multam, dulcem inſipidam; quæ ſi miſceatur Saturno pruducitur acida, quæ oritur ex defectu caloris: de difficili namque multa fit ſalſa; & amara; Minuta lumine, atque decreſcens pituitam ſignificat paucam, quæ mixa Marti fit ſalſa, aut amara ex addita caliditate.

Quicumque Planeta in illis locis infeliciter diſpoſitus, vel à maleficis af-

fectus

Bictus mala in ſuis ſignificatis decernet; vt ſi affligatur Mars à Saturno, Sole, vel alio pacto Natum paſſurum in partibus à Marte dominatis, vt renibus, inteſtinis, ſedi, vel reliquis. Si Venus malè conſtituatur in pudendis, ventriculo, vaſis eminarijs; ſicque in Planetis reliquis coniectandum; cum verò ex his conſtitutionibus vitia, & morbi proueniant prius de Vitijs pertractemus.

DE VITIIS OCVLORVM, ET EORVM *Affectionibus. Cap. X.*

LVminaria oculis dominantur, quibus malè affectis, vitia, vel morbi contingunt. Quatuor caſus cæcitatis afferuntur à Ptolemæo; tres pro cæcitate vnius oculi tantummodo, quartus amborum.

Primus caſus cæcitatis, & vitij vnius oculi contingit, quando Luna ſolitaria in oriente, aut occidente conſtituta Soli iuncta, vel in Solis oppoſito, vel quadrato applicuerit alicui ſtellæ nobuloſæ, quæ hoc anno 1652. ſunt.

Aſelli ♌ gr. 2. 24.
Pleiades ♉ 24. 54.
Acies Sagitarij ♐ 7. 14.
Aculeus Scorpionis ♐ 22. 27.
Crines Berenicis ♍ 16. 53.

In ſigno Aquarij non ſunt ſtellæ nebuloſæ, vt proponit Ptolemæus; omnes tamen, quæ ſunt à principio ſigni Piſcium, vſque ad grad. 18. quas credimus intellexiſſe Ptolemæum.

Stellæ in lino Piſcium dicuntur nebuloſæ, ſuntque in gradibus 10. 14. 16. Piſcium. Eſt etiam nebuloſa ſtella orionis in grad. 17. 45. Geminorum.

Secundus caſus. Quando Sol fuerit in angulo orientali, vel occidentali, & ante Solem fuerit Saturnus, vel Mars, ita vt hi Planetæ ſint in centris angulorum, & lineis; tunc vitium, & cęcitas vnius oculi accidet.

Tertius caſus. Quando Luna in eiſdem fuerit angulis in quadrato, aut oppoſito Saturni, vel Martis; vel vt ponit Ptolemæus, ad lunam eo modo conſtitutam in angulis, Saturnus, aut Mars orientales aſcenderint: vt exempli gratia: Linea orientis ſit gr. 2. ♊, Luna in gradu 7. Saturnus, vel Mars in gr. 12. tunc Maleficus aſcendet ad Lunam reſpectu Mundi, poſtetque dici orientali s reſpectu Lunæ; vel tali pacto ſit Aſcendens gr. 10. ♊, ibi Mars, vel Saturnus; Lunaq; in 7. ♐ tunc Luna occidentalis erit; & Mars orientalis aſcendens ad Lunam; his conſtitutionibus defectus vnius oculi ſignificatur.

Quartus caſus. Cum luminaria ambo in eodem angulo, vel ex diametro conſtituta, ſimulq; Saturnus, & Mars ipſis luminaribus fuerint coniuncti; vel ex radijs quadratis, aus oppoſitis reſpexerint, ita tamen, vt ſint à Sole orientales, occidentales à Luna; tunc vtrique oculo minitantur; cum ambo luminaria dominantia oculis affligantur.

Sciendum quod etiam in alijs angulis præter orientalem, & occidentalem ſiunt cæcitates, & oculorum defectus; & aliquando extra angulos, quoties luminaria fuerint à maleficis infeſtata; hinc plurimi extant Antiquorum Aphoriſmi, & obſeruationes, quarum aliquas recenſemus.

Lumina-

Digitized by Google

Luminaria poſita in via lactea vt plurimum affectus pariunt oculorum præcipue, ſi noxa aliqua à maleficis afficiantur. Via lactea, ſeu Galaxia in parte Boreali extenditur à grad. 20. ♊ ad principium Cancri; in Meridionali à 6. ♐ ad 16. & quia ibi duplicatur iterum à gr. 24. ♐ ad 5. ♑.

Luna minuta lumine vbique conſtituta cum aliqua ex ſtellis nebuloſis memoratis oculi ſiniſtri vitium aliquod portendit, & plena lumine non cæcitatem; verùm oculorum ægritudines.

Pleiades non ſunt nebuloſæ; ob earum tamen ſeuitiem oculorum affectiones pariunt, cum ſint de natura Martis, & Solis; & Martis, & Lunæ ſi cum luminaribus conſtituantur.

Saturnus in duodecima Lunæ oppoſitus, aut Soli, vel in eorum quadrato abſque auxilio beneficorum periculum cæcitatis adducit.

Si luminaria fuerint infortunata, & Nodi lunares ☊ ☋ fuerint in oriente ſemper affectus oculorum præſagiunt.

Mars in Medio Cæli, Saturnus in XI. Luna in ſecunda Soli oppoſita dant multoties cæcitatem.

Sol, Lunaque in Aſcendente; Mars in ſecunda cum radio malefico Saturni minatur cæcitatem.

Sol cum Marte in octaua: Luna in ſecunda cum Saturno dant cæcitatem, & corporis aduerſam valitudinem.

Sol afflictus in angulo oculum dextrum paſſurum decernit; ſicut Luna afflicta ſiniſtrum.

Pleiades cum Luna in Aſcendente tribuunt defectum oculorum, & aliquando etiam ſine Luna.

Cui luminare temporis fuerit cum conſtellationibus, ambo oculi erunt vitiati.

Cùm luminaria aliquo modo fuerint ab infortunis pulſata ex inferiori parte pericula ſignificant, & leſiones; cum ex ſuperiori detrimenta.

Luna cum Sole, & nebuloſa in angulo; oculum ſiniſtrum ammittet Natus.

Luna cum Cingulo orionis ſub radijs Solis, decernit cæcitatem, ſaltem oculi vnius.

Infortunia violenta vnum oculum moleſtant; Morbi ambos.

Cùm fuerit luminare validè infortunatum ex vnius oculi morbo; & alius patietur.

Saturnus, Lunaque in Medio cæli; Mars, & Sol in octaua dant periculum cæcitatis, & mortis violentæ.

Saturnus cum Luna in Tropicis iunctus, vel in quadrato Martis, aut oppoſito dat vel cæcitatem, vel caſum ab alto.

Luna in quarta; Mars, Saturnus, & Sol in octaua dant periculum cæcitatis, & corpus languidum decernunt.

Lūna in Medio Cæli, Sol in Aſcendente, Saturnus in nona dant debilitatem viſus.

Luna cum Mercurio, & Marte in occaſu facit luſcos.

Luna cum Saturno ſub radijs facit ſtrabonem, vel luſcum.

Mars ſub radijs ſæpe dat maculam in oculis.

Extant plurimi alij Aphoriſmi: verùm omnes reducuntur ad hoc quod lumina-

minaria affligantur à maleficis; vel in via lactea; vel cum ſtellis nebuloſis reperiantur.

DE STERILITATE. Cap. XI.

Complectitur hæc tractatio ſterilitatem, tam viri, quam mulieris, & prætetea partus intempeſtiuos, abortiones, partus violentos, Androginos, ſeu Hermaphroditos, eunuchos, aliaque vitia circa pudenda; circa quæ tres conſtitutiones produntur ex Ptolemæo, & obſeruationibus.

Prima. Quando Venus fuerit in angulo orientali, & occidentali; ſed maximè occidentali, & cum ea fuerit Saturnus iunctus, vel in radio quadrato vel oppoſito; vel domicilia inuicem permutauerint, vt Venus ſit in ♑ ♒ Saturnus in ♉ ♎; Marſque eleuetur ſupra Venerem, vel eam reſpexerit ex oppoſito mares ſteriles producuntur, denegaturque illis ſoboles; fęminis verò abortiones decernuntur, partus intempeſtiui, violenti, fætus laceri, vel in fruſta ex vtero eijciendi; quæ conſtitutio obtinebit plurimum vigoris, ſi Venus fuerit in ♑ ♍ ♌, atque in Aſcendente, Lunaque in prauo Martis aſpectu; vel alio modo afflicta.

Secunda conſtellatio. Quando Venus eo modo conſtituta in angulo cum Saturno, vel eius radio malefico, Marſque ſuper eam eleuetur; prætetea miſceatur Mercurius tunc producet Eunuchos, Hermaphroditos, & quibus meatus ſeminales concreti ſint; oportet autem, vt Venus iungatur Mercurio, vel permutet cum Mercurio domicilium, Venus ſit in ♊ ♍ Mercurius in ♉ ♎.

Sciendum, quod Eunuchi alij ita naſcuntur; alij fiunt ex teſtium præciſione, ac violentia, vt apud Turchas, ſicut aliquando in curandis hernijs. Si eximantur teſtes, remaneatque virga poſſunt coire, licet non generare.

Erant Eunuchi Romanis mulieribus gratiſſimi; hinc Martialis.

—— ac iuſtos creſcere primum
Teſticulos poſtquam ceperunt eſſe bilibres
Tonſoris damno rapit Heliodorus.

Et alibi idem Martialis.

Cur tantum Eunuchos amet tua Cellia quæris
Panice; vult futui Cellia, non parere.

Naſcuntur eunuchi ſine teſtibus, ob diminutionem calidi, & humidi; fiunt verò violenter ob Martis potentiam. Hermaphroditi ex commixtione Veneris, Mercurij, & Saturni; Saturno eorum naturam aſſumente, hinc partim fęminę, partim maris formam, & ſexum producit.

Tertia conſtellatio. Quando omnibus, vt diximus, conſtitutis luminaria fuerint cum Venere; vel Luna in quadrato, aut oppoſito Veneris, lunaque occidentalis; & ſuper eam eleuetur malefica; Venuſque, & luminaria ſint in ſignis maſculinis; tunc mares euirati naſcuntur, teſticulorum vitijs afflicti; fæminę verò ſteriles, infrugiferę; & præter hæc vitia hæc conſtellatio cæcitatem minitatur, cum ratione Veneris patiantur genitalia, ratione verò luminarium oculi.

Tempus horum accidentium diligentia Aſtrologi innoteſcet; ſi enim hæ

conſti-

conſtitutiones fuerint validæ contingent in natiuitate, ſi debiles poſt; ſic ex ſitu Planetarum quoad Mundum, & quoad Solem, an orientales, & in quarta orientali, an occidentales, & quarta occidentali. Sicut poſt Natiuitatem ex Directionibus, alijsque temporum diuiſionibus.

Venus in ſeptima cum Saturno, vel ſtella de Saturni natura; & Marte ſuper ambos eleuato, ſterilitatem viris; ſicut mulieribus, & etiam abortus decernit.

Quod ſi cum his Luna fuerit applicata ex ♋ ♍ ♑; erit vt ex Genitalibus aliquid deficiet, vel peruerſum ſit.

Venus in 7. ex Medio Cęli intueatur à Saturno, tam feminæ, quam mares generantur frigidi, & ſteriles.

Venus, Saturnus, Iuppiter, & Mercurius in 7. vel 4. frigidos maſculos, & fęminas ſteriles decernunt.

Luna in finibus Mercurij cum Saturno, qui reſpiciat Venerem conſtitutam in dignitatibus Saturni ſine Iouis teſtimonio frigidos producit Natos.

Venus in domo Martis in Aſcendente, aut Medio Cæli, ſi fuerit in oppoſito, vel coniunctione Martis, aut Saturni generat ſpadones, & in habiles ad generationem.

DE MVTIS, BLESIS, BALBIS, BALBVTIENtibus Traulis. Cap. XII.

OMnes caſus in affectibus his vnico Aphoriſmo complicititur Ptolemæus. Blęſa, ac balbutienti lingua fiunt quotquot Saturno habent in angulo configuratum Mercurium ſub Sole.

Balbus differt à blęſo; balbus quædam proferre non poteſt; blęſus profert omnia vitioſè. Trauli dicuntur qui literam S. vel R. proferre non poſſunt; in proferendo enim R. lingua extenditur ad dentes interiores; loco S. ponunt T. ſicut loco R. ponunt L. Traulum referunt fuiſſe Alcibiadem; ſic Gregorius XIII. Pontifex R. proferre non poterat, quamuis ex induſtria abſque vlla loquelæ iactura, vix cognoſcebatur, quod in eius pronepote Franciſco Cardinale Buoncompagno iam mortuo fuit hæreditarium. Tales ex Hippocrate 2. Epidem. boni; his verbis. Magni balbi calui, gracili voce præditi omne boni.

Mercurius cum Sole in angulo orientali, vel occidentali Saturno iunctus vel oppoſitus; ac Mercurius præcipuè occidentalis, ſicut Saturnus quadratis radijs Lunam intuentes mutos, blęſos, balbutientes, vel alio linguę vitio impeditos ſignificant. Verùm ſi aderit Martis aſpectus, ſua calid tate poterit illam linguæ frigidam inuolutionem denodare, quando Luna, vel Mercurius ad ipſum directione peruenerit.

Mercurius in ſignis mutis ♋ ♏ ♓, ſicut dominus Aſcendentis, & loci Lunæ male conſtituti abſque radio beneficorum, vel Martis linguæ impedimenta portendunt, & vt plurimum mutos procreant. In ſignis partim mutis partim raucis vt ♈ ♉ ♑, vel in reliquis vocem habentibus afflicti à Saturno non omnino mutos oſtendunt; verùm vel balbutientes, vel alio linguæ impedi-

mento

Digitized by Google

mento laborantes; ſicut etiam ſi adfuerint vires beneficorum Iouis, aut Veneris.

Sciendum, quod quamuis ſupradicta conſtitutio in angulis euidentiora producat accidentia; afficiet etiam extra angulos præcipuè in domibus ſexta, & duodecima: Mercurius enim, qui ſermonis præeſt, & linguæ, ſi frigida Saturni vi, malignaque fuerit implicitus, aliquod in his vitium ſemper ſignificabit.

Extant præter Ptolemæi dogma plures Antiquorum Aphoriſmi obſeruati circa hos affectus.

Mercurius abſque tot conditionibus in ſigno muto cum Saturno, vel in Saturni radio quadrato, oppoſito, vel Antiſcio; Vel Mercurius cadens, combuſtus, peregrinus in Saturni dignitatibus, ſemper ſpernendum aliquod decernit in lingua.

Dominus Aſcendentis in ſigno muto in Saturni oppoſito, ac aliquo aſpectu Mercurij vitium decernit in loquela.

Mercurius ſub radijs in Tauro, vel peregrinus afflictus à Saturno domino ſextæ domus generat mutum; ſemperque aliquid tribuit impedimentum quoties quocumque modo à Saturno infeſtatur.

Conſtellatio mutorum, eſt etiam ſurdorum; muti enim non loquuntur, quia ſunt ſurdi, nec potuerunt diſcere loqui, cum non audierint.

Mercurius in ſexta in Saturni oppoſito facit ſurdos, ſi a beneficis non adiuuetur.

Mercurius dominus ſextæ, vel duodecimæ infortunatus à Saturno facit ſurdum, & mutum.

Dominus ſextæ maleficus, læſus ab alio malefico difficultatem tribuit audiendi.

Saturnus dominus ſextæ damnatus à Marte ſupra terram moleſtat auditum, ſub terra ſplenem.

Infortunati Saturnus, & Iuppiter ſupra terram labefactabit auditum; Luna plena lumine cum Marte in 6. facit ſimiliter.

Mercurius dominus Aſcendentis in radio malefico Saturni nocet auribus, vel linguæ.

Mercurius ſub radijs retrogradus in prauo aſpectu malefici. Idem

Omnes caſus decernuntur ex afflictione Mercurij.

DE CLAVDIS, GIBBIS, CONTORTIS, & huius generis. Cap. XIII.

QVando malefici fuerint in angulis, atque in centris, ſeu apice angulorum cum aliquo luminari, vel luminaris aſpectu quadrato, vel oppoſito; Lunaque fuerit cum Nodis Capite, aut Cauda Draconis Nati naſcuntur gibbi, claudi, ſtrabi, contorti, vel alio pacto debilitati. Si vero Luna non fuerit cum Nodis oportet ſit in ſignis detruncatis ♈ ♉, vel ſaltem in ♋ ♏ ♑ dummodo tamen malefici ſint in angulis cum luminari, vel eius radio malefico; quæ conſtellatio etiam parit effectus in ſexta, & duodecima.

Nodi non ſolùm debent intelligi lunares; verùm etiam aliorum Planeta-

rum, in quibus nullam habent latitudinem, & noſtro æuo ſunt.
Nodus Boreus Saturni gr. 3. 20. ♋ 3. 20. ♑
Nodus Boreus Martis gr. 1. 17. ♉ Auſtrinus 1. 17. ♏
Nodus Boreus Iouis gr. 3. 7. ♋ 3. 7. ♑

Veneris verò, & Mercurij aſſiduo ſunt variabiles, ob id ex tabulis ſumendi. Si luminaria erunt iuncta maleficis, hæc vitia erunt à Natiuitate. Si malefici eleuati ſuper luminaria poſt Natiuitatem; & contingent per graues caſus, vt ab equis, præcipitia, latronum in curſibus, atque huiuſmodi pro ratione maleficæ hoc portendentis. Vt ſi fuerit Mars hæc accident ex vulneribus; igne, tormentis ignitis, animalibus, aliiſque periculis Martialibus violentis; ſi Saturnus ex præcipitijs, caſu, ruina, naufragio, neruorum contractionibus ortis ex frigiditate, defluxibus humorum in aliquam corporis partem; atque ſimilibus affectibus, ex natura Saturni obortis.

Planetæ malefici in angulis potentes, ſicut etiam in ſexta, vel duodecima vt plurimum aliquo modo Natos obliquos faciunt.

Luna cum Nodis ſuis, interſectionibus eccentrici cum ecliptica ob Lunæ ibi potentiam, eiuſque mutabilitatem in Auſtrum, & ſeptemtrionem procreat Natos ingenio acutiſſimos, ac promptiſſimos; verùm fallaces, mutabiles, malos; ob id gibbi, claudi, contorti, luxati ſunt acuti: ſed prauorum morum, vt dicimus alibi; hinc. Caue à ſignatis.

Cum Luna, & Mars fuerint in Nodis in 12. & Sol, & Iuppiter in quarta Natus erit gibbus.

Cum luminaria in curuis ſignis ♈ ♉ ♋ ♏ ♑ fuerint cum Nodis, præcipuè Lunæ in aſpectu infortunarum, & in angulo Natus erit gibbus, vel contortus.

DE MORBIS CVTANEIS.
Cap. XIV.

MObi, qui cutem inficiunt ſunt elephantiaſis, lepra, ſcabies, pruritus, viteligo, & impetigo.

Impetigo ideſt Lichenes eſt parua lepra, quæ fit ex humoribus ſeroſis mixtis cum craſſis; Lepra verò ex craſſis mixtis ſeroſis: fiunt ambo à materia melancholica; licet lepra fiat ex humore tenaciore magis craſſo, & exſiccato, lepra non penetrat cutem; ſed ſolum ſquamas producit; impetigo profundius ſerpit.

Vitiligo, ſeu alphos, vel morphea albis maculis corpus aſpergit, & aliquando nigris ex Celſo.

Omnes ſunt morbi cutanei, & curabiles præter elephanthiaſim; qua non corripiuntur, ſicut nec vitiligine, aut impetigine habentes hemorroidas ex Hippocr. lib. de Humoribus.

Hi morbi cutanei portenduntur Luna verſante in ſignis æquinoctialibus, aut Solſtitialibus aflicta à maleficis, hac cum diſtinctione. Luna in Verno æquinoctio, & Ariete vitiliginem. In ſolſtitiali Cancro impetiginem: In Autumnali libra lepram. In ſolſtitiali Capricorno lentiginem. Leuior eſt vitiligo, quæ ſolùm fædat cutim; deterrima lepra, quæ vltra cutis malum adducit

odorem,

Digitized by Google

odorem, & maximum pruritum.

Impetigo profundè ſcalpit carnem, & colorem immutat.

Numerantur aliæ conſtellationes, quæ hæc cutis vitia decernunt; Nos ex Antiquis aliquas ſelegimus veritati magis conſonas.

Luna in ſigno aqueo cum maleficis, morpheam, vel alopeciam, ideſt caſum capillorum producit.

Mercurius in ſexta cum Luna creſcente afflictus à maleficis abſque auxilio beneficorum morpheam, vel vitiliginem parit.

Mars in ♋ ♑ ♏ ♓ Lunæ oppoſitus ſemper cutaneum morbum affert.

Saturnus, Mars, & Luna, vel coniuncti, vel oppoſiti in ſignis æquinoctialibus eadem decernunt.

Dominus Aſcendentis in Libra cum maleficis abſque auxilio lepram minatur, vel alium morbum cutaneum; cum lepra noſtris temporibus ferè ablata ſit.

Luna in ♊ à *Marte* afflicta eadem portendit.

Luna in ♋ afflicta à Saturno, lepram, morpheam, Canctos, podagram.

Mercurius, & Luna in domo *Martis* male affecti Canctos, morbum regium, ignem ſacrum, vel alios morbos cutaneos pariunt.

Luna in ſigno terreo ♉ ♍ ♑ cum Saturno abſque auxilio beneficorum affert morbos cutaneos, vel Comitialem.

Dominus Aſcendentis combuſtus, & ſauciatus lepram.

Venus, & Luna in ſignis aqueis afflictæ morpheam indicant.

Luna in Ariete cum Saturno, & Marte aliquos tribuent morbos cutaneos.

Luna ſeparata à Sole defluens ad Saturnum abſque auxilio beneficorum ſemper aliquam affert ſpeciem impetiginis.

Saturnus, Mars, Venus, & Luna in ♋ ♏ ♓ morpheam, Cancros, apoſtemata corrodentia, & fætida decernunt.

Iuppiter in ſexta, vel dominus ſextæ infortunatus rubedinem affert in facie ex hepatis affectibus; & guttam roſaceam aliquando.

DE MORBIS. Cap. XV.

Malefici in ſupradictis conſtellationibus ſi fuerint orientales, à Luna, & occidentales à Sole morbos denunciant, cum debiliores ſint, nec tanti roboris, & actiuitatis, vt vitia incurabilia poſſint producere.

Saturnus infeſtans angulos, occidentalem videlicet, vel orientalem, aut domum ſextam hoc pacto morbos de ſui natura producit. corporis nempe conſtitutionem ægritudinibus obnoxiam, ventres frigidos, ſuperuacaneis repletos humoribus, fluxiones humorum ad membra, icteritiam nigram, vlcera inteſtinorum, tuſſim, ſputum, lepram, alioſque morbos, quos capite de morte recenſebimus; decernit præterea mulieribus vteri affectus, paſſiones hiſtericas, retentionem menſtruorum, tumores vteri, atque huiuſmodi.

Mars affert ſputum ſanguinis, morbos ex bile, pulmonis affectus, apoſtemata, ſcabiem, impedimenta ex aduſtionibus factis propter ægritudines in locis occultis, ficus, hemorrhoidas, fiſtulas, vlcera calida, ſerpentina, corrodentia; mulieribus abortiones, partus laceros, ac huiuſmodi partibus mulie-

Digitized by Google

☉ Sol reddit Natum colore flauo, oculis albis, & eminentibus, facie rotunda, fronte alba lucente, capite magno; in iuuentute flauis capillis, in ſenectute recaluaſtrum: qualitates iacit ſecundum anni quadrantes.

♀ Venus orientalis calefacit, & humectat, plurimum humectat occidentalis; prædicit Natum colore albo mixto rubedine, oculis gratis, venuſtis nigris, vt plurimum, capillitio pulchro, criſpo, ſupercilijs ſuperioribus paruis, aſpectu decoro, maxillis carnoſis, collo formoſo, pectore acuto, columbino, digitis breuibus, ſicut cruri bus, pauco cibo, multoque potu gaudentem.

☿ Mercurius orientalis calefacit, & exſiccat; exſiccat occidentalis: Facit Natum corpore gracili, colore pallido, tendente ad nigredinem; pulchris oculis; ſed mobilibus, paſſibus breuibus, & celeriter incedentem, facie anguſta, ſupercilijs iunctis, ore amplo, ſtatura moderata, intellectus multi, verboſum.

☽ Luna facit Natos pulchra corporis conſtitutione, corpulentos, colore albo, pulchro, facie rotunda, pauco potu, ſed cibo plurimo gaudentem.

A coniunctione cum Sole, vſque ad primam quadram calida, & humida.

A prima quadra ad oppoſitionem calida & ſicca.

Ab oppoſitione ad ſecundam quadram frigida, & ſicca.

A ſecunda quadra ad coniunctionem frigida, & humida.

♈ Arietis ſignum dat corporis colorem tendentem ad albedinem, & rubedinem capillitium criſpum, viſum obliquum, oculos magnos, aures paruas, collum oblongum, crura parua; Natos facit comptos, pulchros; ſuprema corporis pleniora.

♉ Taurus facit colore ruffo, licet non ſemper, fronte alba, naſo longo, oculis magnis, capillis nigris, criſpis, pectore amplo, collo groſſo, ac forti; Natum pulchro paſſu incedentem, voce rauca.

♊ Gemini colore mixto, ſtatura æquali, amplo pectore; Natum inſtituit fidelem, cuius opificium erit circa ſcripturam, aut computum.

♋ Cancer facit Natum pallidum, membrorum groſſorum, collo hirſuto, ſtatura breui, oculis paruis, voce ſummiſſa, humeris amplis, dentibus inconcinnatis, ventre magno.

♌ Leo flauis decernit Natum capillis, ſtatura pulchra, partibus corporis ſuperioribus maioribus inferioribus, pectore amplo, naſo acuto, oculis magnis, facie graui, cruribus ſubtilibus.

♍ Virgo formoſam reddit membrorum delineationem, ſtaturam pulchram, moderatam, ac proportionatam, colorem potius nigrum.

♎ Libra formoſa etiam facit ſtatura, ac moderata corporis conſtitutione; Natum album facie, in reliquo nigrum.

♏ Scorpius facit colore cineritio, oculis, & facie parua, capillis multis, longis cruribus, pedibus magnis, aliquando Natum turpem.

♐ Sagittarius album Natum, flauis capillis, ac ſubtilibus, ventre magno, barba, & facie oblonga, voce pulchra.

♑ Capricornus facit nigrum, hirſutum, ſiccum, facie longa, mento acuto.

♒ Aquarius nigri coloris, mixti viredine, ſtatura breui, vno crure multoties altero maiori; animo grandi, liberalem.

♓ Piſces faciunt colore albo, capite paruo, mento decoro, maxillis amplis pectore magno, membris inæqualiter, & male diſpoſitis; Natum multoties

ties

ties cùm aliqua læſione inſeparabili, vt gibboſitate, claudicatione, vel huiuſmodi.

Tres ſuperiores Saturnus, Iuppiter, Mars orientales matutini apparentes ante Solem prope Apogeum reddunt corpora magna, ſtaturam proceram; quia ibi humectant, & calefaciunt; A prima ſtatione per totam retrogradationem faciunt corpora robuſta, valida, & reſiſtentia impedimentis, quæ credimus contingere cum prope Perigeum ſint terris viciniores. In ſecunda ſtatione, quando incipiunt dirigi decernunt corpora imbecilliora, debilia, & potius parua.

Venus, & Mercurius primo ortu orientales ſunt potius imbeccilles; nam incipiunt ingredi radios ſolis; cum à Sole diſtantiores ſint validiores.

Sciendum, quod delineationes, & conſtitutiones formæ corporeæ ſumuntur præcipuè ex Aſteriſmis ſtellarum fixarum in Zodiaco, & extra; hinc Veterum obſeruationes huiuſmodi attendendæ ſunt.

Robur, & validitas corporeæ formæ proueniunt ex ſpiſſitudine ſtellarum in conſtellationibus loci Lunæ, Solis, & Aſcendentis, vel eorum diſpoſitorum; quemadmodum debilitas ex raritate, & paucitate ſtellarum.

Decentia formæ, vel mala, & inconcinna compoſitio dependent ex diſpoſitione ſtellarum in conſtellatione, ſeu Aſteriſmo commenſurato, aut inordinato.

Statura procera, vel tenuis ſumitur ex diſtantia magna ſtellarum inter ſe in longitudine, vel propinquitate; Craſſities verò ex diſtantia, aut propinquitate in latitudinem, ſicuti macrities; quæ ſingula maximè conſideranda ſunt pro hac parte prognoſtici difficilima.

Leo, Virgo, Sagittarius Aſteriſmi longi, occupantes magnam Cæli partem producunt corpora magna, cùm fuerint loca Aſcendentis; Lunæ, & aliorum.

Capricornus, Cancer, Piſces ſunt conſtellationes paruæ, & corpora producunt breuia. Primæ partes Arieris, Tauri, Leonis, generant partes ſuperiores corporis magnas, & pingues, vt caput, ſpatulas, brachia, humeros, cum plurimis ſint ſuffultæ ſyderibus: contra verò ob ſtellarum paucitatem partes vltimæ horum ſignorum producunt inferiores, vt tibias, coxas, pedes tenues, & ſubtiles.

Primæ partes Geminorum, Scorpij, Sagittarij contrario modo ex eadem ratione conducunt ad imbecillitatem partium ſuperiorum, inferiorum ad robur.

Virgo, Libra, Sagittarius corporis conformitatem adducunt, moderatamq; corporis partium delineationem.

Piſces, Scorpius, Capricornus inordinatam, & inconcinnam corporis delineationem. Conſiderantur autem hæ ſignorum qualitates, quando fuerint in Aſcendente, vel in eis fuerit Luna, aut dominis Aſcendentis.

Tria notantur ab Aſtrologis, quæ conducunt ad corporis magnitudinem, aut paruitatem. Primum, domini Aſcendentis, & loci Lunæ in Apogeis, & orbium auge proceritatem, in Perigeis paruitatem. Secundum eſt numerus graduum horoſcopantium; primæ namque partes ſignorum in Aſcendente ob ipſarum robur magnitudinem; poſtremæ ob uires exhauſtas breuitatem adducunt; mediæ verò mediocritatem. Tertium eſt rectitudo, vel obliquitas ſigno-

ſignorum Horoſcopantium, & loci Lunæ; ſigna recta producunt corpora longa, obliqua breuiora.

Signa ab Aequinoctio Verno vſque ad Solſtitium æſtiuum ♈ ♉ ♊ ex Ptolemęo producunt Natos ſtaturoſos, corpora magna, colore decenti, mediocri pulchritudine, oculis nitidis, capillis pulchris, temperatura calidos, & humidos.

Signa à Solſtitio æſtiuo ad Aequinoctium Autumnali ♋ ♌ ♍ producunt Natos corpore tendente ad craſſitiem, moderatos; in longitudine; & mediocres; oculis nigris, capillitio multo, ſtatuoſa conformi, calidos, & ſiccos.

Signa ab Aequinoctio Autumnali ad Solſtitium hibernum ♎ ♏ ♐ Natos producunt coloris flaui, exenſis capillis, pulchris oculis, graciles, voce ſubtili, humeris amplis, frigidos, & ſiccos, & melancholicos.

Signa, à Solſtitio hiemali ad Aequinoctium Vernum ♑ ♒ ♓ producunt magnitudine æquali, ſtatura conformi, capillis rigidis, colore tendente ad liuiditatem, frigidos, & humidos.

Sciendum, quod hæc ſunt intelligenda, quoties hęc ſigna fuerint loca Aſcendentis, Lunæ, & eorum dominantium, ex quibus teſtimonia petenda ſunt pro corporis qualitatibus decernendis: ne forte credamus abſolute has qualitates producere in Natis abſq; alijs conditionibus, ſic enim omnes Nati. Vere eſſent calidi, & humidi, quod eſt abſonum; ſumenda eſt igitur ex ipſis ſignificatio, & cum alijs, quę diximus ſecundum exceſſum iudicandum. Scientes de corporis delineatione difficillimam eſſe ſpeculationem ob rationes plurimas, & præcipuè cum filij naſcantur multoties Patribus ſimiles. Nati naſcuntur Patribus ſimiles cùm in eorum Natiuitatibus diurnis Sol fuerit in Aſcendente, & Saturnus, ſi Geneſes fuerint nocturnæ: fęmellæ verò erunt ſimiles Matribus, cum in earum Genituris diurnis fuerit Venus in Aſcendente, & prope lineam Orientalē, vel Luna in nocturnis. Circa colorem faciei multa circumferuntur de horis Planetarum in Natiuitate, de facie Aſcendentis, & Lineæ orientalis, plurima tamē utilia; veritas ſolum conſpicitur ex temperamento Nati; nam bilioſi ſunt colore flaui, & rufi; ſanguinei candidi, phlegmatici pallidi; melancholici nigri.

Luna ſi aſpiciat Venerem, vel Iouem in Aſcendente conſtitutos; vel Venerem dominam Aſcendentis Natum decernit comptum, & pulchrum.

Cæterum ſtellę fixæ in linea orientali, & Aſcendente obſeruationibus agunt circa pulchritudinem, & turpitudinem Natorum.

Stellę de natura Iouis ibi faciunt formoſos.

De natura Iouis, & Mercurij ineptiores ad formoſitatem.

De natura Martis, & Veneris faciunt formoſos in pueritia, turpes in alijs ætatibus.

Stellæ de natura Saturni, & Mercurij; de natura Martis, & Solis; de natura Martis, & Lunæ turpes.

De natura Martis, & Iouis mediocres.

De natura Lunæ, & Veneris formoſos.

Aliqui ex appetentia cibi, & potus conectant de corporis qualitatibus, & de dominio Planetarum in Natis, nec vanis obſeruationibus; hoc pacto aſſerentes.

Satur-

Digitized by Google

Saturnini,& in quorum corporibus magis dominatur Saturnus,quam alius Planeta, appetunt cibum paucum, immundum, indifferentem, an fuerit ſimplex, vel varius. Potum verò multum vinoſum; ſed non affatim, ſed lentè bibendo.

Iouiales cibum multum, ſimplicem, mundum. Potum verò multum vinoſum affatim.

Martiales cibum multum, immundum, laurum, ſeu cum variatum rerum mixtione. Potum multum, vinoſum, affatim.

Solares cibum paucum, mundum, ſimplicem; Potum paucum, nec affatim, nec vinoſum.

Venerei cibum paucum, mundum, lautum; Potum multum, nec affatim; nec vinoſum.

Mercurius cibum paucum, ſimplicem indifferentem in munditie. Potum paucum, vinoſum, non affatim.

Lunares appetunt cibum multum, immundum, indifferentem etiam in ſimplicitate. Potum multum affatim, non vinoſum.

DE VITIIS, ET MORBIS CORPORIS.

Cap. IX.

Diſtinguuntur inuicem Vitia, & morbi corporis. Vitia læſiones, ſiue impedimenta ſunt, quæ ſemel in corpus infiguntur, ne conſtantes firmos, & perpetuos habeat labores, & dolores; cum vnica vice corpora dolorem ſentiant tempore nimirum inſultus; licet dolore ſedato remaneat impreſſio inſeparabilis, vt cæcitas, ſurditas, claudicatio, gibboſitas, cicatrix, mutilatio membri, & alia: Morbi verò dolores continuos, vel reciprocos, ac per vices ſæpè redeuntes afferunt; ea propter inter morbos alij ſunt inſeparabiles, qui quamuis perpetuò non affligant, ſed reciprocantes tantummodo, & per vices; reddunt nihilominus corpus languidum, vt podagra, Iſchias, aſthma, lapis in veſſica, comitialis, & alij plurimi; ſeparabiles alij ſunt, qui corpus moleſtant, dum adſunt, & vel morte, vel ſalute terminantur, vt ſunt febres, apoplexia, phreneſis, pleuritis, diſſenteria, angina, & ſimiles.

Pro hac contemplatione reſpiciendi ſunt in figura cæleſti anguli orientalis, occidentalis, domuſque ſexta; ſi ergo alter maleficorum Saturnus, aut Mars, vel ambo in his locis fuerint reperti; vel ea loca radijs oppoſitis, aut quadratis reſpexerint; itaut radij ſint dimiſſi in partes ſuccedentes centris, ſeu cuſpidibus angulorum, vel domus ſextæ, vt ſi linea anguli ſit in gradibus, exempli gratia, decem, alicuius ſigni, & corpus, vel radius malefici incidat in gradum decimum, vel vndecimum illius ſigni; vitia corporis, vel morbos decernent: erunt tamen malefici potentiores magis coniuncti corpore, quam radij infeſtantes.

Notandum quod validius hæc contingent ſi luminarium alterum, vel ambo reperiantur coniuncta in angulis, vel ſe ipſa ex diametro reſpicientia; tunc enim non tantum ſi ſuccedat radius, vel corpus maleficorum; ſed etiam ſi præcedat centrum, & cuſpidem, dummodo ſit prope, vitia, vel morbos inferet

pro

pro natura ſignorum in domibus maleficorum, & aliorum, vt dicemus.

Sciendum inſuper maleficos poſitos in angulis cum luminaribus, vel luminarium oppoſitione, aut quadrato euidentiores effectus producere, ſæuioraque ſimptomata, ac vitia portendere: quod ſi fuerint in ſexta cum luminaribus, vel in luminarium maleficis radijs, morbos graues, & inſeparabiles adducent. Ad quas prauas conſtitutiones imprimendas conducit plurimum ſi dominus Aſcendentis, Luna, vel dominus loci Lunæ affligantur; cum ſemper ſint hi corporis affectionum ſignificatores.

Cum ex Ptolemæo Zodiaci ſigna, & Planetæ oſtendant, quæ humani corporis partes vitijs, vel morbis ſint affligendi, enumerabimus, partes quibus Planetę, & Zodiaci ſigna præſint.

Aries dominatur toto capiti. Taurus collo: Gemini brachijs, Cancer pectori, Leo à furcula pectoris vſque ad vmbilicum Virgo ventri inferiori, Libra natibus; Scorpius pudendis; Sagittarius coxis; Capricornus genibus; Aquarius tibijs; Piſces pedibus. Hęc ſigna his partibus dominantia, morbos contingentes in eiſdem decernent. Aries cum ſignificet caput, faciem, & partes reliquas, morbos, dolores capitis Cephaleam, hæmicraniam, affectus oculorum, dentium, alioſque affectus inibi contingentes decernit, ſicut vulnera.

Taurus præeſt collo, gutturi, & partibus adiacentibus; portendit anginam, ſcrophulas, botium gulæ, & colli alias ægritudines.

Gemini oſtendunt brachiorum, manuum, & ſpatularum ægritudines.

Cancer ægritudines omnes thoracis.

Leo ſtomachi affectiones, & pręcordiorum dolores.

Virgo affectus ventris, & inteſtinorum.

Libra mala renum, lumborum, excrementorum retentiones, alioſque exuperantis materiæ in coctos humores demonſtrat.

Scorpius hemorroidas, tenaſmon, fiſtulas; Cancros, vitia Vrinæ.

Sagittarius dolores Coxendicum.

Capricornus aurium vitia, linguæ impedimenta, genua debilia.

Aquarius ictericiam nigram, ac tibiarum morbos.

Piſces podagram, aliaſque pedum ægritudines.

Ex Planetis verò Saturnus dominatur melancholiæ, pituitæ crudę non naturali, auditui dextero, ſpleni, veſſicæ, oſſibus, cartilaginibus, ligamentis.

Iuppiter pulmoni, ſanguini, hæpati, carni, & humoribus icoroſis.

Mars auditui ſiniſtro, renibus felli bili, inteſtinis, ſedi.

Sol oculo dextro, cordi, arterijs, ac in eis ſanguini ſpirituali contento Venus guſtui, obfactui, ſemini, vaſis ſeminarijs, ventriculo, & pudendis vtriuſque ſexus.

Mercurius linguæ, menti, rationi, ſpiritibus, memoriæ digitis.

Luna cerebro, oculo ſiniſtro, pituitæ naturali; plena lumine ſignificat pituitam multam, dulcem inſipidam; quæ ſi miſceatur Saturno pruducitur acida, quæ oritur ex defectu caloris: de difficili namque multa fit ſalſa; & amara; Minuta lumine, atque decreſcens pituitam ſignificat paucam, quæ mixa Marti fit ſalſa, aut amara ex addita caliditate.

Quicumque Planeta in illis locis infeliciter diſpoſitus, vel à maleficis af-

afflictus

ſlictus mala in ſuis ſignificatis decernet; vt ſi affligatur Mars à Saturno, Sole, vel alio pacto Natum paſſurum in partibus à Marte dominatis, vt renibus, inteſtinis, ſedi, vel reliquis. Si Venus malè conſtituatur in pudendis, ventriculo, vaſis eminarijs; ſicque in Planetis reliquis coniectandum; cum verò ex his conſtitutionibus vitia, & morbi proueniant prius de Vitijs pertractemus.

DE VITIIS OCVLORVM, ET EORVM *Affectionibus. Cap. X.*

Lvminaria oculis dominantur, quibus malè affectis, vitia, vel morbi contingunt. Quatuor caſus cæcitatis afferuntur à Ptolemæo; tres pro cæcitate vnius oculi tantummodo, quartus amborum.

Primus caſus cæcitatis, & vitij vnius oculi contingit, quando Luna ſolitaria in oriente, aut occidente conſtituta Soli iuncta, vel in Solis oppoſito, vel quadrato applicuerit alicui ſtellæ nobuloſæ, quæ hoc anno 1652. ſunt.

Aſelli ♌ gr. 2. 24.
Pleiades ♉ 24. 54.
Acies Sagitarij ♐ 7. 14.
Aculeus Scorpionis ♐ 22. 27.
Crines Berenicis ♍ 16. 53.

In ſigno Aquarij non ſunt ſtellæ nebuloſæ, vt proponit Ptolemæus; omnes tamen, quæ ſunt à principio ſigni Piſcium, vſque ad grad. 18. quas credimus intellexiſſe Ptolemæum.

Stellæ in lino Piſcium dicuntur nebuloſæ, ſuntque in gradibus 10. 14. 16. Piſcium. Eſt etiam nebuloſa ſtella orionis in grad. 17. 45. Geminorum.

Secundus caſus. Quando Sol fuerit in angulo orientali, vel occidentali, & ante Solem fuerit Saturnus, vel Mars, ita vt hi Planetæ ſint in centris angulorum, & lineis; tunc vitium, & cęcitas vnius oculi accidet.

Tertius caſus. Quando Luna in eiſdem fuerit angulis in quadrato, aut oppoſito Saturni, vel Martis; vel vt ponit Ptolemæus, ad lunam eo modo conſtitutam in angulis, Saturnus, aut Mars orientales aſcenderint: vt exempli gratia: Linea orientis ſit gr. 2. ♊, Luna in gradu 7. Saturnus, vel Mars in gr. 12. tunc Maleficus aſcendet ad Lunam reſpectu Mundi, poſtetque dici orientali s reſpectu Lunæ; vel tali pacto ſit Aſcendens gr. 10. ♊, ibi Mars, vel Saturnus; Lunaq; in 7. ♐ tunc Luna occidentalis erit; & Mars orientalis aſcendens ad Lunam; his conſtitutionibus defectus vnius oculi ſignificatur.

Quartus caſus. Cum luminaria ambo in eodem angulo, vel ex diametro conſtituta, ſimulq; Saturnus, & Mars ipſis luminaribus fuerint coniuncti; vel ea radijs quadratis, aus oppoſitis reſpexerint, ita tamen, vt ſint à Sole orientales, occidentales à Luna; tunc vtrique oculo minitantur; cum ambo luminaria dominantia oculis affligantur.

Sciendum quod etiam in alijs angulis præter orientalem, & occidentalem ſiunt cæcitates, & oculorum defectus; & aliquando extra angulos, quoties luminatia fuerint à maleficis infeſtata; hunc plurimi extant Antiquorum Aphoriſmi, & obſeruationes, quarum aliquas recenſemus.

Lumina-

Luminaria poſita in via lactea vt plurimum affectus pariunt oculorum præcipue, ſi noxa aliqua à maleficis afficiantur. Via lactea, ſeu Galaxia in parte Boreali extenditur a grad. 20. ♊ ad principium Cancri; in Meridionali à 6. ♐ ad 16. & quia ibi duplicatur iterum à gr. 24. ♐ ad 5. ♑.

Luna minuta lumine vbique conſtituta cum aliqua ex ſtellis nebuloſis memoratis oculi ſiniſtri vitium aliquod portendit, & plena lumine non cæcitatem; verùm oculorum ægritudines.

Pleiades non ſunt nebuloſæ; ob earum tamen ſeuitiem oculorum affectiones pariunt, cum ſint de natura Martis, & Solis; & Martis, & Lunæ ſi cum luminaribus conſtituantur.

Saturnus in duodecima Lunæ oppoſitus, aut Soli, vel in eorum quadrato abſque auxilio beneficorum periculum cæcitatis adducit.

Si luminaria fuerint infortunata, & Nodi lunares ☊ ☋ fuerint in oriente ſemper affectus oculorum præſagiunt.

Mars in Medio Cæli, Saturnus in XI. Luna in ſecunda Soli oppoſita dant multoties cæcitatem.

Sol, Lunaque in Aſcendente; Mars in ſecunda cum radio malefico Saturni minatur cæcitatem.

Sol cum Marte in octaua: Luna in ſecunda cum Saturno dant cæcitatem, & corporis aduerſam valitudinem.

Sol afflictus in angulo oculum dextrum paſſurum decernit; ſicut Luna afflicta ſiniſtrum.

Pleiades cum Luna in Aſcendente tribuunt defectum oculorum, & aliquando etiam ſine Luna.

Cui luminare temporis fuerit cum conſtellationibus, ambo oculi erunt vitiati.

Cùm luminaria aliquo modo fuerint ab infortunis pulſata ex inferiori parte pericula ſignificant, & leſiones; cum ex ſuperiori detrimenta.

Luna cum Sole, & nebuloſa in angulo; oculum ſiniſtrum ammittet Natus.

Luna cum Cingulo orionis ſub radijs Solis, decernit cæcitatem, ſaltem oculi vnius.

Infortunia violenta vnum oculum moleſtant; Morbi ambos.

Cùm fuerit luminare validè infortunatum ex vnius oculi morbo; & alius patietur.

Saturnus, Lunaque in Medio cæli; Mars, & Sol in octaua dant periculum cæcitatis, & mortis violentæ.

Saturnus cum Luna in Tropicis iunctus, vel in quadrato Martis, aut oppoſitò dat vel cæcitatem, vel caſum ab alto.

Luna in quarta; Mars, Saturnus, & Sol in octaua dant periculum cæcitatis, & corpus languidum decernunt.

Luna in Medio Cæli, Sol in Aſcendente, Saturnus in nona dant debilitatem viſus.

Luna cum Mercurio, & Marte in occaſu facit luſcos.

Luna cum Saturno ſub radijs facit ſtrabonem, vel luſcum.

Mars ſub radijs ſæpe dat maculam in oculis.

Extant plurimi alij Aphoriſmi: verùm omnes reducuntur adhoc quod lumina-

minaria affligantur à maleficis; vel in via lactea; vel cum ſtellis nebuloſis reperiantur.

DE STERILITATE. Cap. XI.

COmplectitur hæc tractatio ſterilitatem, tam viri, quam mulieris, & prætererea partus intempeſtiuos, abortiones, partus violentos, Androginos, ſeu Hermaphroditos, eunuchos, aliaque vitia circa pudenda; circa quæ tres conſtitutiones produntur ex Ptolemæo, & obſeruationibus.

Prima. Quando Venus fuerit in angulo orientali, & occidentali; ſed maximè occidentali, & cum ea fuerit Saturnus iunctus, vel in radio quadrato vel oppoſito; vel domicilia inuicem permutauerint, vt Venus ſit in ♑ ♒ Saturnus in ♉ ♎; Marſque eleuetur ſupra Venerem, vel eam reſpexerit ex oppoſito mares ſteriles producuntur, denegaturque illis ſoboles; fęminis verò abortiones decernuntur, partus intempeſtiui, violenti, fætus laceri, vel in fruſta ex vtero eijciendi; quæ conſtitutio obtinebit plurimum vigoris, ſi Venus fuerit in ♑ ♍ ♌, atque in Aſcendente, Lunaque in prauo Martis aſpectu; vel alio modo afflicta.

Secunda conſtellatio. Quando Venus eo modo conſtituta in angulo cum Saturno, vel eius radio malefico, Marſque ſuper eam eleuetur; prætererea miſceatur Mercurius tunc producet Eunuchos, Hermaphroditos, & quibus meatus ſeminales concreti ſint; oportet autem, vt Venus iungatur Mercurio, vel permutet cum Mercurio domicilium, Venus ſit in ♊ ♍ Mercurius in ♉ ♎.

Sciendum, quod Eunuchi alij ita naſcuntur; alij fiunt exteſtium præciſione, ac violentia, vt apud Turchas, ſicut aliquando in curandis herrijs. Si eximantur teſtes, remaneatque virga poſſunt coire, licet non generare.

Erant Eunuchi Romanis mulieribus gratiſſimi; hinc Martialis.

—— ac tuſtos creſcere primum
Teſticulos poſtquam ceperunt eſſe bilibres
Tonſoris damno rapit Heliodorus.

Et alibi idem Martialis.

Cur tantum Eunuchos amet tua Cellia quæris
Panice; vult futui Cellia, non parere.

Naſcuntur eunuchi ſine teſtibus, ob diminutionem calidi, & humidi; fiunt verò violenter ob Martis potentiam. Hermaphroditi ex commixtione Veneris, Mercurij, & Saturni; Saturno eorum naturam aſſumente, hinc partim fęminę, partim maris formam, & ſexum producit.

Tertia conſtellatio. Quando omnibus, vt diximus, conſtitutis luminaria fuerint cum Venere; vel Luna in quadrato, aut oppoſito Veneris, lunaque occidentalis; & ſuper eam eleuetur malefica; Venuſque, & luminaria ſint in ſignis maſculinis; tunc mares euirati naſcuntur, teſticulorum vitijs afflicti; fæminę verò ſteriles, in frugiferę; & præter hæc vitia hæc conſtellatio cæcitatem minatur, cum ratione Veneris patiantur genitalia, ratione verò luminarium oculi.

Tempus horum accidentium diligentia Aſtrologi innoteſcet; ſi enim hæ conſti-

conſtitutiones fuerint validæ contingent in natiuitate, ſi debiles poſt; ſic ex ſitu Planetarum quoad Mundum, & quoad Solem, an orientales, & in quarta orientali, an occidentales, & quarta occidentali. Sicut poſt Natiuitatem ex Directionibus, aliiſque temporum diuiſionibus.

Venus in ſeptima cum Saturno, vel ſtella de Saturni natura; & Marte ſuper ambos eleuato, ſterilitatem viris; ſicut mulieribus, & etiam abortus decernit.

Quod ſi cum his Luna fuerit applicata ex ♋ ♍ ♑; erit vt ex Genitalibus aliquid deficiet, vel peruerſum ſit.

Venus in 7. ex Medio Cęli intueatur à Saturno, tam feminæ, quam mares generantur frigidi, & ſteriles.

Venus, Saturnus, Iuppiter, & Mercurius in 7. vel 4. frigidos maſculos, & feminas ſteriles decernunt.

Luna in finibus Mercurij cum Saturno, qui reſpiciat Venerem conſtitutam in dignitatibus Saturni ſine Iouis teſtimonio frigidos producit Natos.

Venus in domo Martis in Aſcendente, aut Medio Cæli, ſi fuerit in oppoſito, vel coniunctione Martis, aut Saturni generat ſpadones, & inhabiles ad generationem.

DE MVTIS, BLESIS, BALBIS, BALBVTIENtibus Traulis. Cap. XII.

OMnes caſus in affectibus his vnico Aphoriſmo complictitur Ptolemæus Blęſa, ac balbutienti lingua fiunt quotquot Saturno habent in angulo configuratum Mercurium ſub Sole.

Balbus differt à blęſo; balbus quædam proferre non poteſt; blęſus profert omnia vitioſè. Trauli dicuntur qui literam S. vel R. proferre non poſſunt; in proferendo enim R. lingua extenditur ad dentes interiores; loco S. ponunt T. ſicut loco R. ponunt L. Traulum referunt fuiſſe Alcibiadem; ſic Gregorius XIII. Pontifex R. proferre non poterat, quamuis ex induſtria abſque vlla loquelæ iactura, vix cognoſcebatur, quod in eius pronepote Franciſco Cardinale Buoncompagno iam mortuo fuit hæreditarium. Tales ex Hippocrate 2. Epidem. boni; his verbis. Magni balbi calui, gracili voce præditi omne boni.

Mercurius cum Sole in angulo orientali, vel occidentali Saturno iunctus vel oppoſitus; ac Mercurius præcipuè occidentalis, ſicut Saturnus quadratis radiis Lunam intuentes mutos, blęſos, balbutientes, vel alio linguæ vitio impeditos ſignificant. Verùm ſi aderit Martis aſpectus, ſua calid tate poterit illam linguæ frigidam inuolutionem denodare, quando Luna, vel Mercurius ad ipſum directione peruenerit.

Mercurius in ſignis mutis ♋ ♏ ♓, ſicut dominus Aſcendentis, & loci Lunæ male conſtituti abſque radio beneficorum, vel Martis linguæ impedimenta portendunt, & vt plurimum mutos procreant. In ſignis partim mutis partim raucis vt ♈ ♉ ♑, vel in reliquis vocem habentibus afflicti à Saturno non omnino mutos oſtendunt; verùm vel balbutientes, vel alio linguæ impedimento

mento laborantes; ſicut etiam ſi adfuerint vires beneficorum Iouis, aut Veneris.

Sciendum, quod quamuis ſupradicta conſtitutio in angulis euidentiora producat accidentia; afficiet etiam extra angulos præcipuè in domibus ſexta, & duodecima: Mercurius enim, qui ſermoni præeſt, & linguæ, ſi frigida Saturni vi, malignaque fuerit implicitus, aliquod in his vitium ſemper ſignificabit.

Extant præter Ptolemæi dogma plures Antiquorum Aphoriſmi obſeruati circa hos affectus.

Mercurius abſque tot conditionibus in ſigno muto cum Saturno, vel in Saturni radio quadrato, oppoſito, vel Antiſcio; Vel Mercurius cadens, combuſtus, peregrinus in Saturni dignitatibus, ſemper ſpernendum aliquod decernit in lingua.

Dominus Aſcendentis in ſigno muto in Saturni oppoſito, ac aliquo aſpectu Mercurij vitium decernit in loquela.

Mercurius ſub radijs in Tauro, vel peregrinus afflictus à Saturno domino ſextæ domus generat mutum; ſemperque aliquid tribuit impedimentum quoties quocumque modo à Saturno infeſtatur.

Conſtellatio mutorum, eſt etiam ſurdorum; muti enim non loquuntur, quia ſunt ſurdi, nec potuerunt diſcere loqui, cum non audierint.

Mercurius in ſexta in Saturni oppoſito facit ſurdos, ſi a beneficis non adiuuetur.

Mercurius dominus ſextæ, vel duodecimæ infortunatus à Saturno facit ſurdum, & mutum.

Dominus ſextæ maleficus, læſus ab alio malefico difficultatem tribuit audiendi.

Saturnus dominus ſextæ damnatus à Marte ſupra terram moleſtat auditum, ſub terra ſplenem.

Infortunati Saturnus, & Iuppiter ſupra terram labefactabit auditum; Luna plena lumine cum Marte in 6. facit ſimiliter.

Mercurius dominus Aſcendentis in radio malefico Saturni nocet auribus, vel linguæ.

Mercurius ſub radijs retrogradus in prauo aſpectu malefici. Idem

Omnes caſus decernuntur ex afflictione Mercurij.

DE CLAVDIS, GIBBIS, CONTORTIS, & huius generis. Cap. XIII.

QVando malefici fuerint in angulis, atque in centris, ſeu apice angulorum cum aliquo luminari, vel luminaris aſpectu quadrato, vel oppoſito; Lunaque fuerit cum Nodis Capite, aut Cauda Draconis Nati naſcuntur gibbi, claudi, ſtrabi, contorti, vel alio pacto debilitati. Si vero Luna non fuerit cum Nodis oportet ſit in ſignis detruncatis ♈ ♉, vel ſaltem in ♋ ♏ ♑ dummodo tamen malefici ſint in angulis cum luminare, vel eius radio malefico; quæ conſtellatio etiam parit effectus in ſexta, & duodecima.

Nodi non ſolùm debent intelligi lunares; verùm etiam aliorum Planeta-

rum,in quibus nullam habent latitudinem, & noſtro æuo ſunt.

Nodus Boreus Saturni gr. 3. 20. ♋ 3. 20. ♑

Nodus Boreus Martis gr. 1. 17. ♉ Auſtrinus 1. 17. ♏

Nodus Boreus Iouis gr. 3. 7. ♋ 3. 7. ♑

Veneris verò, & Mercurij aſſiduo ſunt variabiles, ob id ex tabulis ſumendi. Si luminaria erunt iuncta maleficis, hæc vitia erunt à Natiuitate. Si malefici eleuati ſuper luminaria poſt Natiuitatem; & contingent per graues caſus, vt ab equis, præcipitia, latronum in curſibus, atque huiuſmodi pro ratione maleficæ hoc portendentis. Vt ſi fuerit Mars hæc accident ex vulneribus; igne, tormentis ignitis, animalibus, alijſque periculis Martialibus violentis; ſi Saturnus ex præcipitijs, caſu, ruina, naufragio, neruorum contractionibus ortis ex frigiditate, defluxibus humorum in aliquam corporis partem; atque ſimilibus affectibus, ex natura Saturni obortis.

Planetæ malefici in angulis potentes, ſicut etiam in ſexta, vel duodecima vt plurimum aliquo modo Natos obliquos faciunt.

Luna cum Nodis ſuis, interſectionibus eccentrici cum ecliptica ob Lunæ ibi potentiam, eiuſque mutabilitatem in Auſtrum, & ſeptemtrionem procreat Natos ingenio acutiſſimos, ac promptiſſimos; verùm fallaces, mutabiles, malos; ob id gibbi, claudi, contorti, luxati ſunt acuti: ſed prauorum morum, vt dicimus alibi; hinc. Caue à ſignatis.

Cum Luna, & Mars fuerint in Nodis in 12. & Sol, & Iuppiter in quarta Natus erit gibbus.

Cum luminaria in curuis ſignis ♈ ♉ ♋ ♏ ♑ fuerint cum Nodis, præcipuè Lunæ in aſpectu infortunarum, & in angulo Natus erit gibbus, vel contortus.

DE MORBIS CVTANEIS.
Cap. XIV.

MOrbi, qui cutem inficiunt ſunt elephantiaſis, lepra, ſcabies, pruritus, vitiligo, & impetigo.

Impetigo ideſt Lichenes eſt parua lepra, quæ fit ex humoribus ſeroſis mixtis cum craſſis; Lepra verò ex craſſis mixtis ſeroſis: fiunt ambo à materia melancholica; licet lepra fiat ex humore tenaciore magis craſſo, & exſiccato, lepra non penetrat cutem; ſed ſolum ſquamas producit; impetigo profundius ſerpit.

Vitiligo, ſeu alphos, vel morphea albis maculis corpus aſpergit, & aliquando nigris ex Celſo.

Omnes ſunt morbi cutanei, & curabiles præter elephanthiaſim; qua non corripiuntur, ſicut nec vitiligine, aut impetigine habentes hemorroidas ex Hippocr. lib. de Humoribus.

Hi morbi cutanei portenduntur Luna verſante in ſignis æquinoctialibus, aut Solſtitialibus aflicta à maleficis, hac cum diſtinctione. Luna in Verno æquinoctio, & Ariete vitiliginem. In ſolſtitiali Cancro impetiginem: In Autumnali libra lepram. In ſolſtitiali Capricorno lentiginem. Leuior eſt vitiligo, quæ ſolùm fædat cutim; deterrima lepra, quæ vltra cutis malum addacit

odorem,

odorem, & maximum pruritum.

Impetigo profundè ſcalpit carnem, & colorem immutat.

Numerantur aliæ conſtellationes, quæ hæc cutis vitia decernunt; Nos ex Antiquis aliquas ſelegimus veritati magis conſonas.

Luna in ſigno aqueo cum maleficis, morpheam, vel alopeciam, ideſt caſum capillorum producit.

Mercurius in ſexta cum Luna creſcente afflictus à maleficis abſque auxilio beneficorum morpheam, vel vitiliginem parit.

Mars in ♋ ♑ ♏ ♓ Lunæ oppoſitus ſemper cutaneum morbum affert.

Saturnus, Mars, & Luna, vel coniuncti, vel oppoſiti in ſignis æquinoctialibus eadem decernunt.

Dominus Aſcendentis in Libra cum maleficis abſque auxilio lepram minatur, vel alium morbum cutaneum; cum lepra noſtris temporibus ferè ablata ſit.

Luna in ♊ à *Marte* afflicta eadem portendit.

Luna in ♋ afflicta à Saturno, lepram, morpheam, Cancros, podagram.

Mercurius, & Luna in domo *Martis* male affecti Cancros, morbum regium, ignem ſacrum, vel alios morbos cutaneos pariunt.

Luna in ſigno terreo ♉ ♍ ♑ cum Saturno abſque auxilio beneficorum affert morbos cutaneos, vel Comitialem.

Dominus Aſcendentis combuſtus, & ſauciatus lepram.

Venus, & Luna in ſignis aqueis afflictæ morpheam indicant.

Luna in Ariete cum Saturno, & Marte aliquos tribuent morbos cutaneos.

Luna ſeparata à Sole defluens ad Saturnum abſque auxilio beneficorum ſemper aliquam affert ſpeciem impetiginis.

Saturnus, Mars, Venus, & Luna in ♋ ♏ ♓ morpheam, Cancros, apoſtemata corrodentia, & fætida decernunt.

Iuppiter in ſexta, vel dominus ſextæ infortunatus rubedinem affert in facie ex hepatis affectibus; & guttam roſaceam aliquando.

DE MORBIS. Cap. XV.

Malefici in ſupradictis conſtellationibus ſi fuerint orientales, à Luna, & occidentales à Sole morbos denunciant, cum debiliores ſint, nec tanti roboris, & actiuitatis, vt vitia incurabilia poſſint producere.

Saturnus infeſtans angulos, occidentalem videlicet, vel orientalem, aut domum ſextam hoc pacto morbos de ſui natura producit. corporis nempe conſtitutionem ægritudinibus obnoxiam, ventres frigidos, ſuperuacaneis repletos humoribus, fluxiones humorum ad membra, icteritiam nigram, vlcera inteſtinorum, tuſſim, ſputum, lepram, alioſque morbos, quos capite de morte recenſebimus; decernit præterea mulieribus vteri affectus, paſſiones hiſtericas, retentionem menſtruorum, tumores vteri, atque huiuſmodi.

Mars affert ſputum ſanguinis, morbos ex bile, pulmonis affectus, apoſtemata, ſcabiem, impedimenta ex aduſtionibus factis propter ægritudines in locis occultis, ficus, hemorrhoidas, fiſtulas, vlcera calida, ſerpentina, corrodentia; mulieribus abortiones, partus laceros, ac huiuſmodi partibus mulie-

ries affectis.

Si ad morbos decernendos *Mercurius* fuerit cum Marte, aut Saturno configuratus, maleficorum ſignificata adauget ſua verſatili natura. Cum Saturno frigus intendit, & morbos à Saturno demonſtratos intendit. Cum Marte exſiccando, *Martis* ſignificata morbis addit impetum, ac defluxus humorum accelerat: ſic ob ſui motus variabilitatem mutationem, & inſtabilitatem parit in morbis; hinc vbicumque Mercurius miſcetur, ſemper morbi compoſiti producuntur.

Cæterum ex ſignorum proprietatibus, in quibus fuerint iſtæ conſtellationes, obſeruatæ ſunt morborum qualitates; nam in ♋, ♑, ♓ contingunt vlcera depaſcentia, ſerpentia, impetigines, ſcrophulæ, puſtulæ, lepra. In ♊ ♐ ob Iouis, & *Mercurij* dominium, qui dominantur intellectui, & neruis, epilepſia, & conuulſionis ſpecies.

Explicat Ptolemæus, quod vltimæ partes ſignorum decernunt vitia, & morbos in partibus extremis corporis ex humorum defluxibus, vt podagræ, chyragræ in pedibus, & manibus; ſi in illis partibus fuerint malefici, vitia, aut morbos ſignificantes, vt ſupra infeſtantes primam, ſextam, vel ſeptimam domum.

In his corporis vitijs, cæcitate nempe, ſterilitate, linguæ impedimentis, claudis, gibbis, luxatis, & vitijs cutis; nec non morbis enarratis, ſi beneficæ Venus, aut Iuppiter in his conſtitutionibus nullo pacto cum maleficis, vel luminaribus configurentur; vitia, & morbi erunt grauiores, magni, & incurabiles; quod idē exiſtimandum eſt, ſi beneficæ illa loca reſpexerint, verùm fuerint debiles, aut in dignitatibus maleficorū; vel ſuper eas fuerint eleuatæ maleficæ. Si vero beneficæ aſpicientes luminaria fuerint validę, in ſuis dignitatibus, orientales, & ſupra maleficas eleuatę, morbi erunt mediocres, & auxilijs curabiles; vitia verò ſi incurabilia publicè nō apparebunt, ſed aliquo pacto tegentur abſq; dehoneſtamēto.

Iuppiter namq; vitia teget humanis auxilijs per diuitias, dignitates, vt plures paſſim conſpicimus, oculis, aut luxationibus afflictos, diuites, vel in honoribus conſtitutos vitia ferè omnino tegere; *M*orbos idem Iuppiter mitigabit iiſdem rationibus, & ratione victus optima, qua ob diuitias poſſunt vti diuites; atque medicamentis cum diſpendio, & de longe parandis; quæ ſingula *M*ercurius adiuuat ſi cum Ioue concilietur ſimiliter medicamentis, & *M*edicorum ope. Adiuuat Venus, votis, orationibus, præcibus ad Deum fuſis. amuletis; vitia que reddit decentiora, nec ſatis apparentia, & turpia, ſicut morbos mitigabiles poſitis diuinitus curationibus. Si cum Venere fuerit Saturnus non ſine ignominia, & vulgi deriſione, & ſimilibus contingent hæc omnia in vitijs, & morbis. Si cum Venere adfuerit Mercurius, demonſtrabit vitia, & morbos patientibus futuros auxilij; vt conſpicimus paſſim in cęcis, & luxatis, infirmiſq; in eccleſijs eleemoſinas exigentibus; quorum aliqui magnas cumulant pecunias.

Pro vitijs, & morbis corporis præter poſita à Ptolemæo Antiquiores infinitas afferunt obſeruationes, quarum aliquas non negligendas ſeligimus.

Paralitici. Luna non longè à Saturno ægritudines in neruis ex humoribus frigidis exortas decernit.

Luna ſub ſolis radijs in ſigno aqueo cum Saturno abſq; auxilio beneficorum paralyſim adducit: quod idem demonſtrat ſi peregrina fuerit in angulis ſub radijs abſque auxilio.

Sexta

Sexta domus, eiuſque dominus à Saturno infortunati abſque auxilio Iouis paralyſim adducunt, morboſque frigidos.

HÆPATICI. Domini ſextæ domus, infortunati à maleficis affectus hæpatis decernunt, ex quibus Nati ægrotabunt frequenter.

Luna domina ſextæ domus afflicta à Marte abſque auxilio benefici longos tribuit hæpatis calidos affectus.

Dominus Aſcendentis, & Luna à Marte infortunati idem demonſtrant.

Iuppiter in ſexta ſemper caliditatem indicat hæpatis.

SPLENETICI. Luna in angulo terræ, vel ſub terra infortunata domina ſextæ; & etiam ſupra terram in fortunata à Saturno lienis parit affectiones.

Dominus Aſcendentis in ſuo caſu cum aſpectu maleficorum, vel combuſtus impeditus à Marte exiſtente in quarta domo dat affectus lienis, ſiue ſplenis.

Saturnus dominus Aſcendentis afflictus à Marte peregrino.

Luna minuta lumine, & motu in domo Saturni.

PVLMONIACI. Luna ſub terra afflicta, tuſſim, & pulmonis affectus denunciat.

Venus domina ſextæ afflicta à Saturno exiſtente ſub terra dat difficultatem reſpirandi, affectuſque partium ſpiritualium.

STOMACHICHI. Mars in ſexta, vel duodecima, vel ibi Saturnus dat ſtomachi affectiones.

Sol de die infortunatus.

Luna in ſexta debilis, & infortunata.

CIRCA GENITALIA. Luna creſcens minuta motu de die iuncta Marti; vel in prauo aſpectu Martis chronicam genitalium ægritudinem prædicit.

Venus peregrina in Aſcendente afflicta à Saturno.

Venus retrograda in octaua cum Marte, præſertim in ♏

Luna, Venus, & Mars ſimul in aſpectu Saturni ſine Iouis auxilio mala in genitalibus portendunt.

DOLORES VENTRIS, ET INTESTINORVM. Mars in ſeptima abſque beneficis dat ventris, vel inteſtinorum dolores.

Mars in 3. vel 4. de die cum Cauda Draconis.

Mars, & Saturnus in 7. cum Cauda Draconis dolores ventris cum frigiditate, & ventoſitate demonſtrat; cholicos, Iliacos, & huiuſmodi.

Sexta domus in fortunata, & eius dominus ſub radijs in 6. 7.

Dant dolores ventris, Pars fortunæ, Luna, dominus Aſcendentis in fortunitati in 7.

ÆGRITVDINES ANI. Caput Draconis in ♎ cum aliquo malefico dat ani ægritudines.

Saturnus peregrinus in XI. in diametro Martis retrogradi. Idem

Sic Mars in coniunctione, vel oppoſitione luminarium præcedente Natitatem.

Dominus Aſcendentis in 7. cum Marte dat hemorroidas, & ani affectiones.

Saturnus in Aſcendente peregrinus in oppoſito Martis; hemorroidas cum ſanguine.

Mars in Aſcendente dat dolores inteſtinorum, & ſaniem manantem ex ano.

Dominus Aſcendentis in fortuna in 7. dolores ventris inferioris, & ani.
Saturnus retrogradus in 7. in quadrato, aut oppoſito Martis dat dolores, & ſanguinem exeuntem ex ano.
Dissenteria, et Tormina. Luna in 7. poſitis Mercurio, & Saturno in 6. tormina minatur, & diſſenteriam.
Mars in 4. cum Cauda Draconis in genitura diurna.
Luna domina Aſcendentis in 6. afflicta à Saturno, inteſtina, veſſicam, vel neruos infeſtat; paſſioneſque adducit cholicas in ♍, vel ♎.
Sol, & Saturnus iuncti, vel oppoſiti in ſignis aqueis, cholicos, vel podagram.
Mars in Aſcendente in ♏ dat tormina, vel diſſenteriam abſque beneficis.
Saturnus in ſeptima.
Hernia, et Enterocele. Saturnus in occidente cum Luna, vel eius quadrato, aut oppoſito decernit herniam, ſectionem genitalium, ſeu corporis partium abditarum.
Saturnus, & Mars in Medio Cæli, vel Aſcendente (exiſtentibus Mercurio, & Venere in ſignis fæminis) decernunt exciſionem genitalium.
Venus iuncta Mercurio ſub radijs Solis, minatur caſtrationem.
Calculi In Vessica. Saturnus in octaua calculum in veſſica demonſtrat.
Saturnus in cadentibus humores pernitioſos congregat, & retinet ad torrendum præcipuè adiutus à Marte.
Saturnus, & Mars ſimul poſiti occultos dolores, ſtomachum, & neruos infeſtant, & ſæpè calculos pariunt.
Halitus Fætidus Oris, Vel Axillarum. Producit hunc affectum Venus afflicta à Saturno præconiuncta, & in ♑.
Mercurius dominus ſextæ afflictus à Marte.
Venus domina 6. retrograda in ♋ cum malo radio Saturni.
Venus, in domo Iouis combuſta cum radio Saturni.
Venus in ſigno mobili in finibus, & radio Saturni.
Luna in Ariete aſcendente cum Saturno.
Dolores Dentium. Saturnus, & Mars in Aſcendente in ♏ decernunt caſum dentium grandium, & præcipuè ſuperiorum.
Saturnus in ſigno aqueo combuſtus dolores graues dat dentium, & præcipuè in 6. vel Aſcendente. In alijs ſignis defluxum pituitæ ad gingiuas.
Phtisis Æthicia. Mercurius, & Saturnus in Medio Cæli cum quadrato, vel oppoſito Martis producunt phtiſicos.
Mars, & Saturnus in 6. Vel Saturnus reſpiciens quadrato, vel ex oppoſito Martem conſtitutum in 7. phtiſicos, vel diſſentericos.
Oppoſitio Saturni, & Martis ſæpè producit ſputum ſanguinis.
Dominus Aſcendentis in 6. in ♏ combuſtus facit phtiſicos.
Canities. Facit canos Saturnus cum Sole, vel Luna, ante tempus.
Sic Luna copulata alteri malefico.
Calvitium. Calui fiunt maxime qui habent in Genitura ſigna valida libidinis; cum Eunuchi ſpadones, pueri non calueſcant, quia Venere, non vtuntur.
Vulnera, Vel Læsione In Capite. Luna in Martis oppoſito, vel iuncta, ſi aliquis eorũ fuerit in ſigno humano præſertim ♊ vulnera, & læſiones in capite mina-

Digitized by Google

minatur, & in corpore.

Hoc modo Luna in dignitatibus maleficorum facit homicidas.

Malefici coniuncti, vel de quadrato, aut oppoſito ſe reſpicientes, & affligentes vnum vel ambo luminaria in ♈ ♌. vel vltimis partibus ♐ magnas læſiones portendunt; præcipuè multoties ab animalibus, equis, & alijs.

Mars in Aſcendente dat cicatricem in facie.

Mars in Medio Cęli in ♈ in quadrato Iouis in ♑ dat vulnera.

Luna in 8. decreſcens cum radio domini duodecimæ malefici decernit percuſſiones, & vulnera.

Dolores Podagrici. Infortunæ Mars, Saturnus in 6. 12. ſine Iouis auxilio affectus manuum, & pedum decernunt præcipuè ſi fuerint cum Sole, vel Luna; cum primaria horum affectuum origo ſtatuatur ex malè affectis luminaribus, quæ potentias vitalem, & naturalem decernunt; humores fluunt factis cruditatibus, & debilitata virtute coctrice.

Idem decernunt; Luna in 6. Soli oppoſita, vel coniuncta.

Dominus Aſcendentis afflictus in duodecima.

Mars peregrinus, retrogradus in 6. vel 12.

Saturnus in 6. peregrinus impeditus à Marte.

Venus afflicta in ſigno aqueo.

Luna, vel dominus Aſcendentis afflictus in ſigno aqueo.

DE QVALITATIBVS ANIMI.
Cap. XVI.

Primas qualitates caliditatem frigiditatem, ſiccitatem, & humiditatem eſſe Elementis, & cæleſtibus corporis communes, eaſque ab Aſtris in hæc inferiora diffundi, & in corpus humanum patet Aſtronomis, nullique dubium eſt; ex quibus temperaturæ corporum elementis contiguæ biliosæ, ſanguineæ, melancholicæ, & phlegmaticæ, pro quarum diuerſitate etiam decerni mores, ac animi qualitates explicat luculenter Galen. lib. Quod animi mores ſequantur corporis temperamentum, patetq; ſenſui oculatim; quis enim eſt tam ſtolidus, natureque rerum ignarus, qui temperamento calido, & ſicco præditos, cholericos non fateatur eſſe ac iracundos, audaces, impetuoſos; phlegmaticos frigidos & humidos non exiſtere pigros, timidos, lentos, ignauos? ſic melancholicos frigidos, & ſiccos non ſolitarios, inuidos pertinaces? Hinc D. Thom. 3. contr. gent. recitans ſententiam Damaſceni lib. 2. cap. 7. aſſerentis alios, alioſque Planetas diuerſas complexiones nec non habitus, & diſpoſitiones in nobis conſtituere; Verum eſt, inquit, quod propoſit. 38. Centiloquij affert Ptolemæus; quod ſi Mercurius fortis fuerit in alicuius Natiuitate in domo Saturni, Nato bonitatem intelligentiæ in rebus medullitus ſignificabit; Aſtra namque poſſunt eſſe cauſę bonorum non ſolum, vel malorum, & origines: ſed noſtrę prauæ, ſiue bonę voluntatis; cùm enim ſenſus fuerit benè ordinatus, voluntas flectitur àd benè eligendum; ſi male ordinatus ad male eligendum propter malam inclinationem, & ſubdit licet Deus voluntatem noſtram moueat; Angelus illuminet, & Cęlum ad malè, vel benè eligendum ad

inclinet; cum tamen aliquis felix eſt: quoad Deum dicetur benè rectus, quoad Angelum benè cuſtoditus; quoad Cęlum benè natus; & ſimilibus rationibus poterit Aſtrologus de breuitate, & longitudine vitę iudicare. Hæc ille.

Pro hac materia ſciendum; quod humanum cerebrum organum ſenſus, & motus duas in ſe partes continet: ſenſitiuam quippe, quæ à Luna Planeta corpulentiori, & terris propinqua regitur; atque intellectiuam, ſeù diſcurſiuam, rectam à Mercurio Planeta ingenij, & eruditionis; intelligimus verò intellectiuam, diſcurſum, virtutęm phantaſticam, & imaginatiuam: non animam rationalem, quæ Cælo nobilior Aſtris non ſubijcitur; niſi indirectè, & per accidens aliquo pacto, quatenus ſuas operationes nequit exercere abſque corpore, & niſi ſenſitiuis potentijs, & paſſionibus admiſceatur.

Animæ qualitates ſunt bonitas, liberalitas, pietas, prudentia, magnanimitas, vrbanitas, aſtutia, malitia, inuidia, auſteritas, perfidia, crudelitas; dexteritas in tractandis negotijs, amor, ira, ſpes, temperantia, fortitudo, ſuperbia, fatuitas, generoſitas, promptitudo, & aliæ. Qualitates animi à ſenſibus dependentes gubernat Luna; eas verò quæ rationi ſubiacent, & ſpirituales regit Mercurius; cum Luna ſenſus, Mercurius ſpiritum, & à ſpiritu dependentes qualitates gubernet.

Pro animi igitur qualitatibus, & Nati moribus indagandis conſpicienda ſunt in figura cæleſti loca Mercurij, & Lunæ; nec non domini illorum locorum, qui erunt ſignificatores dictarum animi qualitatum primariò; & tali pacto: Primò videndum in quibus ſignis Zodiaci Mercurius, Lunaque reperiantur. Secundo cum quibus ſtellis, & Planetis dicti Mercurius, & Luna configurentur. Tertio conſiderandi ſunt domini locorum dictorum; qui ſcilicet Planetæ in locis Mercurij, & Lunæ plures obtineant dignitates, & in quibus ſignis hi dominatores reperiantur, & quomodo cum Aſcendente configurentur, nec non eorum ſitus conſiderandus quoad Mundum, & quoad Solem; inqua parte ſuorum orbium; an occidentales, an orientales, matutini veſpertini. Quarto attendendæ ſunt vnius cuiuſque Planetæ natura pro animi qualitatibus obſeruandis. Quinto dominus Aſcendentis conſiderandus, & Planetæ, & fixæ in Aſcendente conſtitutę vbi maximùm poſſunt in hoc negotio; nec non Planetæ, & fixæ cum Luna, & Mercurio, atque cum eorum dominis, ſicut qualitates omnium, quas influunt.

Saturnus ob ſuam frigiditatem, & ſiccitatem influit generaliter in animum perſeuerantiam, ſtabilitatem, pertinaciam, inuidiam, aliaſque, quas ſuo loco ſicut aliorum Planetarum numerabimus.

Iuppiter ob ſuam temperiem maximam, ſimplicitatem, bonitatem pietatem, modeſtiam, deuotionem, affabilitatem, liberalitatem magnanimitatem.

Mars ob qualitates intemperatas, fortitudinem, iram, audaciam, crudelitatem, calliditatem.

Venus ob ſuam humiditatem, amores, luxus, voluptates omnis generis.

Sol vt ſupra Planetas omnes, ſuperbiam, ambitionem, amorem gloriæ.

Mercurius ob ſui motus inconſtantiam, influit calliditatem induſtriam.

Luna ob motum celerem inconſtantiam, promptitudinem.

Pro animi qualitatibus in parte intellectiua; locus, & Mercurij ſtatus conſiderandus; an occidentalis, orientalis, directus, retrogradus; auctus, vel di-

minu-

Digitized by Google

minutus motu; in ſuis dignitatibus an peregrinus; ſub radijs, combuſtus; ſi recedat, vel accedat ad Solem: in qua domo cæleſti conſtitutus; in angulo, ſuccedente; vel cadente in quorũ Planetarũ dignitatibus, in quibus ſignis; & cum quibus Planetis, & fixis congrediatur, aut configuretur. Eode n pacto pro parte ſenſitiua Lunæ ſtatus conſiderandus ſicut Mercurij; an benè, an malè conſtituta, afflicta à maleficis, vel beneficorum radijs ſuffulta.

Conſideranda eſt etiam Mercurij, & Lunæ conſtitutio inter ſe, an ſint coniuncti an ſe reſpiciant, & quo aſpectu: eorum enim coniunctio quocunque loco vel trinus, aut ſextilis radius inter eos optimam cerebri ſignificant conſtitutionem ſenſuumque externorum à Luna decretorum cum interioribus à Mercurio ſignificatis conformitatem, & conſenſum; ſi verò nullo modo ſe reſpexerint, cerebri vites debiles oſtendent, & imbecilles; atque inſuper ſi Mercurius aliqua noxa à maleficis afficiatur, ingenium corruptum, vitijſque aliquando implicitum, & morbis inſeparabilibus, vt epilepſia, inſania, & ſimilibus. Si ſe reſpexerint de quadrato, aut oppoſito animum decernent mutabilem, ad varia conuertibilem; nec non ſenſuum diſcordantiam; oppoſitio namque Mercurij, & Lunæ præcipuè in angulis turbida procreat ingenia; etſi malefici ad fuerint, ſtolida ſeditioſa, temeraria, ac pericula inferentia; ſic quadratus radius turbida nec ſagacia; non ſic eorum coniunctio, vt diximus; quæ ingenioſos demonſtrat maximumque tribuit ingenij acumen; ſimiliter ſextilis, & trinus radius ingenium acre, diligentiam, facilitatem diſcendi, & intelligendi oſtendit; præcipuè ſi à maleficis non infeſtentur, & configurentur cum beneficis.

Retrogradatio Mercurij tardos Natos facit ingenio, & actionibus; ſicut è contra motu celer confert ad promptitudinem, ac celeritatem in omnibus. Combuſtio prohibet ſtudia diſciplinarum, procreat tamen aptiſſimos ad eloquentiam, & Hiſtoricam; ſicut parum idoneos ad diſciplinas capeſſendas; combuſtio cæterum parum nocet vt ſæpè contingens; orientalis Mercurius tribuit animum liberum quemadmodum occidentalis ſimulatorem. Quoad viciniam cum Sole vt benè ſit conſtitutus neceſſe eſt vt à Sole non diſtet plus grad. 23. vltra quos procreat ineptos ad negotia tractanda; quamuis hæc Mercurij conſtitutio ad ſcientias demonſtrat aptiſſimos, cum ſcientiæ animum liberum exquirant, quem producit Mercurius extra Solis radios. Sub radijs non diſtans plus grad. 8. cautiſſimos producit, aptoſque ad negotia peragenda cum ſignificet tractantem cum authoritate ob vim Solis; & ſecretò conſtitutus ſub radijs. In angulis præcipuè orientali optimè conſtituitur vbi ad omnes ſcientias Natos reddit aptos, & doctos, atque eloquentes.

Cæterum decernit generaliter Mercurius animi qualitates pro ratione Planetarum & fixarum, cum quibus congreditur, vel fuerit configuratus, atque in quorum dignitatibus fuerit repertus: Cum Saturno decernit ingenium acutum, propenſum ad ſecreta naturæ, & occultorum ſcientiam, facit auaros, inuidos. Cum Ioue mores honeſtos, bonos morigeros, inclinatque ad leges, & Theologiam facit diuitijs, & honoribus intentos. Cum Marte tribuit qualitates Martiales, & inclinat ad Mathematicas ob ſiccitatem, quam parit in cerebro iramque & audaciam. Cum Venere confert ad ornatum linguæ, eloquentiam, poeſim, ac huiuſmodi, & inclinat ad voluptates, & delitias.

Eadem

Digitized by Google

Eadem ratione Luna tribuit propenſiones ſtellæ cum qua congreditur, vel fuerit configurata. Si habuerit communicantiam cum Saturno ex ſextili, aut trino reddet Natos graues in actionibus, & conſilio, rebuſque magnis intentos; ſi quadrato aut oppoſito, vel coniunctione, inuidos, triſtes, parcos, perfidos, prauorumque motum. Cum Ioue bonos, hilares, Iouiales, honeſtis motibus. Cum ſextili, aut trino Martis, animoſos, fortes, callidos, audaces. Coniuncta Marti, vel de oppoſito, aut quadrato homicidas, crudeles, diſcordias ſuſcitantes, ac huiuſmodi. Cum Venere voluptatibus, & delitijs Natos deditos.

Generaliter afflicta Luna ſemper partem ſenſitiuam deficientem ſignificat; Natos à communi commercio, & conſuetudine declinantes, atque habitos aliquando pro ſtultis. Afflicto verò Mercurio producuntur Nati ſolùm tardo, & hæbete ingenio. Hinc ex laudabiliori ſtatu Mercurij vel Lunæ decernitur, an Nati ſenſibus magis, an rationi ſint obtemperaturi; ſi namque in Genitura Mercurius fuerit validior Luna, potentia intellectiua imperabit ſenſitiuæ, & ratio ſenſibus. Si Luna fuerit validior Mercurio ratio obediet ſenſibus.

Animi qualitates, vt diximus, oſtenduntur ex ſignis in quibus fuerint reperti dicti Mercurius, & Luna; ſignificatoreſque reliqui.

Signa mobilia ♈ ♋ ♎ ♑ producunt Natos agiles in omnibus, negotia tractantes ſpeculantes, honores affectantes, ingenij acuti, diuinis intentos, liberales, aptos ad Aſtrorum ſcientias.

Communia ♊ ♍ ♐ ♓ reddunt Natos leues, amatores, mutabiles, optimè conuerſantes, intellectus perſpicacis, amatores Muſicæ, promptos ad pœnitendum, doloſos difficiles cognitu.

Fixa ♉ ♌ ♏ ♒ dant obſeruantiam æquitatis, rectitudinem, ſtabilitatem, ingenij quietem, patientiam laborum, frænum voluntatis, honoris cupidinem, imitationem optimorum, qualitateſq; dominio idoneas.

Signa humana in Aſcendente, vel cum eius domino, vel Luna, vel Mercurio faciunt humanos, manſuetos.

Signa ferina ♈ ♉ ♋ ♌ ♏ ♑ in humanos, rapaces, inſolentes.

Signa Cardinalia ♈ ♋ ♎ ♑ inconſtantes; amantes verò ea quæ pertinent ad bonum commune. In illis Mars facit facilem ad iram; maxime in ♋ vbi reddit lingua ineptum.

Signa ſeptemtrionalia, & Imperantia faciunt cordatos. Meridionalia, & obedientia puſillanimes.

Trigonus aereus producit tardos ad iram; ſed diu retinentes. Terreus faciles ſed breuiter; Igneus ſubito vendicantes, & non diu ſeruantes. Aqueus ad omnia tardos.

Terreus, & aqueus bello accomodantur; aereus, & igneus contemplationi.

Aquea ſigna faciunt proditores; & ex his magis Scorpius.

Planetæ morum ſignificatores, dominique locorum Mercurij, & Lunæ orientales reſpectu Mundi ſupra Horizonta Aſcendentes ſupra noſtrum hemiſpherium ob vim validam loci matutini, ac in ſuperiori parte ſuorum epicyclorum animos pariunt liberos, conſilijs ſuis confidentes, ingenioſos, fortes acutos. In Medio cæli ſtatione matutina, quo tempore adhuc ſunt orientales, ob radios ex eo loco validè proiectos, & vim magnam, quam in Cæli culmi-

ne

Digitized by Google

ne Plabetæ retinent, faciunt Natos magnanimos, conſtantes, aptos ſcientijs, & negotijs, prudentes, cogitabundos intelligentes. Emergentes ſupra horizontem oppoſiti Soli, vel in occidente conſtituti Solem ſequentes, vt debiliores demonſtrant animos fallaces, debiles, loborum impatientes, puſillanimes, ſolitarios, pigros, infortunatos. In imo Cęli ſuperiores, Saturnus, Iuppiter, Mars, & in veſpertina ſtatione, quo tempore curſu dirigi incipiunt; & inferiores Venus, & Mercurius in occaſu veſpertino de die, quando fiunt Sole tardiores, vel de nocte in occaſu matutino quando ſunt velociores producunt animo claro, puto, ſcientijs apto præcipuè Aſtrologia, Mathematicis, ac futurorum prædictionibus, ingenioſos, labores fugientes, ſenſatos.

> Morum dicti ſignificatores ſi fuerint in ſuis dignitatibus, vel locis domeſticis & Hayz, vt maſculini de die in ſignis maſculinis, & è contra decernunt animi qualitates validas, lucroſas, illuſtres, ſplendidas, apparentes, non impeditas, nec contrarijs commixtas; & eò magis ſi idem Planeta dominetur vtrique loco, Lunæ ſcilicet, & Mercurij; vel aliquo modo Mercurio miſceatur, vt aſpectu, commutatione dignitatum, aut aliter; vel Luna ab ipſo defluat, vel Lunam ad ſe venientem excipiat. Si verò ſignificatores fuerint malè conſtituti vt peregrini, vel in locis ſuæ naturæ contrarijs; vt maſculini de die in ſignis fæmininis, vel e contra, obſcuras animi qualitates, demonſtrabunt, impeditas, imperfectas, damnoſas, in felices.

Dicti diſpoſitores, vel erunt benefici, vel malefici. Si malefici, & nullus ſuper ipſos eleuetur, quamuis animi qualitates decernantur malæ, alijs nocentes, & aduerſantes; erunt nihilominus Nato lucroſæ, & cum gloria; & impune alijs malefaciet: ſi benefici, alijſque non fuerint admixti, nec eleuati, ſinceras animi dotes, bonaſque pollicebuntur, Natuſque ex eis gloriam, honores, & vtilitatem conſequetur. Si beneficus eleuetur ſupra maleficam, Natus infamis ob ſcelera improbuſq; reputatus ſine lucro, & cum dedecore luet penas. Si malefica eleuetur ſupra beneficā diſpoſitricem Natus ab improbis calumniatus, & in famia accuſatus penas non luet, quamuis omnia ruant in malum: ſed à bonis defendetur, dummodo benefica non adfuerit admodum debilis, vel male conſtituta. Si malefica eleuetur ſupra maleficam Natus improbus habitus ab alijs opprimetur; falſis aſſiduo vexabitur accuſationibus, iniuſte etiam ab omnibus deprimetur cum damno, & infamia. Si benefica eleuetur ſupra beneficam, & eleuata benefica non fuerit concordis qualitatis; & eleuatio fuerit ex quadrato, aut oppoſito, vel ex locis contrarijs qualitates erunt bonæ; ſed nullius exiſtimationis apud homines; immo negligentur reputatæ pro fatuis; vt ſæpè conſpicimus bonos, liberos, prudentes pro vilibus, & fatuis reputari.

Notandum quod Planetæ in Aſcendente, ac præcipuè prope centrum plurimum poſſunt in animi qualitatibus; & ſi plures ſint omnes conſiderandi: qui quantum morum varietatem ex eorum diuerſis naturis producant, Planeta validiori ibi exiſtens conſtantes mores, & vſque ad vitæ finem permanentes ſignificabit; reliqui debiliores inclinationes condonabunt ad tempus; quod ex Aſcendentis, & Lunæ directionibus deprehendetur ad eorum corpora, vel radios. Saturnus enim cum ſignificet, vt diximus, auaritiam, hypocriſim, cogitationes profundas ſeueritatem, memoriam tenacem, obſtinationem, parſimo-

ſimoniam, perſeuerantiam triſtitias, melancholiam, & ſimilia cum ad illum, euſque radics Luna, vel Aſcendens fuerit deuolutum animum adhæc, ſignificata propellet. Sic ad qualitates ſignificatas à Ioue, & alijs Planetis; Iuppiter enim ſignificat prudentiã, temperantiam, longanimitatem, iuſtitiam, comitatem, honeſtatem, mores honeſtos; Mars ſignificat iras, contentiones, violentias, tirannidem, contumelias, inſidias audaciam, crudelitatem, iracundiam. Venus voluptates, libidines, delitias, miſericordiam, affabilitatem, vrbanitatem, amicitias. Mercurius, negotiationes, ſcientias ſtudia, ſagacitatem calliditatem inſtabilitatem, curioſitatem.

Cum cæterum animi mores ſequantur corporis temperamentum. Conſtitutione corporis ſanguinei erunt hilares, læti, liberales, affabiles, fideles, pacifici pij, veraces, moderati, religioſi, mites luxurioſi, ſicut in illis dominantur qualitates calidæ, & humidæ de natura Iouis, & Veneris.

Cholerici ſunt iracundi, contentioſi, vindicatores, ſeminantes diſcordias impetuoſi, importuni, periculis ſe exponentes, mutabiles, nulli parcentes.

Melancholici, profundæ cogitationis, optimorum conſiliorum, tardè iraſcentes; ſed iram diu retinentes, ſolitarij, ſuperbi, inuidi.

Phlegmatici puſillanimes, in conſtantes, a perti, ſegnes, hebetes, ſtupidi, ac huiuſmodi.

Circa ingenium Phlegmatici parum amici ſunt ſtudijs, tarda enim habent ingenia, nec ſcientijs idonea.

Sanguinei raro firmantur, & durant, propter ſanguinis enim feruorem hilares frænum diſciplinarum non ſubſtinent.

Cholerici ſimiliter non patiuntur idem frænum nimium inſtabiles.

Melancholici ingenia habent profunda, & labores in ſtudijs patiuntur.

Sanguinea temperamenta ſunt optima, quæ declinant ad melancholicum.

Cholerici etiam, ſi accedat melancholia ſunt ingenioſiſſimi.

Hæc ſunt, quæ generali via colliguntur pro animi qualitatibus decernendis particulari verò ex Ptolemæo iſta habentur.

Saturnus ſolùm gubernationem animi nactus, dominuſque Mercurij, & Lunæ ſi benè ſitus fuerit reſpectu Solis, & angulorum efficit nimium ſuæ vitæ ſtudioſos, rigidis ſentenijs, profundis meditationibus, ſuæ pertinaciter ſententiæ innixos, laborioſos, imperioſos, ſcelerum ſeueros iudices, ſuperuacaneis intentos, auaros, violentos, theſauros coaceruantes inuidos. Contra obſcuro loco poſitus, ſordidos, præparcos, abiectos; ſuis ſententijs fixos, inuidos, timidos, ſolitarios, maledicos, lugubri ſemper habitu, imprudentes, ſuperſtitioſos, laborioſos, ſuorum liberorum, & neceſſariorum negligentes; domeſticis ſuis inſidiantes, triſtes, valetudinis ſuæ rationem nullam habentes. Si verò Ioui ſit predicto modo conciliatus, & honorato loco conſtitutus, bonos reuerentes maiores natu, compoſitos, benè ſentientes, alijs commodantes, impigros, exacti iudicij, quæſtuoſos magnanimos, liberales, temerè nihil inceptantes, familiæ ſuæ ſtudioſos, mites prudentes, patientes, philoſophos; Si ſecus ineptos, furioſos, formidoloſos, ſuperſtitioſos, ſacra verſantes, incantatores, ſuſpicaces, liberorum ſuorum oſores, amicis deſtitutos, abditis locis latentes, infidos, ineptè elegantiam affectantes, violentos, diſſimulantes, imbeccilles, ambitioſos, ad penitudinem pronos, fatuos ac proinde

inde tolerantes malorum, & iniuriarum. *Marti* prędicto modo conciliatus in proſpera conſtitutione reddit homines citra delectum multa inceptantes ore libero, laborioſos, turbulentos, timide audaces, rigidos, immiſericordes, faſtidientes aliorum, aſperos, bellaces, temerarios, ſeditioſos, fraudolentos, inſidiatores, implacabili ira, perturbationibus inhiantes, tyrannicos, publicæ rei aduerſantes, cupidos, contentioſos, illatæ iniuriæ memores, funditus improbos, vehementes, intolerabiles, timidos, inflatos, importunos; plurimis ſe negotijs implicantes, glorioſos, infeſtos, iniquos, impunitos, ab omni humanitate alienos, immobiles; agiles tamen, & artificijs idoneos, inuictos, ac omnino lucroſos. Si verò infęliciter ſitus eſt, raptores, latrones, falſarios, flagitioſos, turpi lucro incumbentes, incompoſitos, à liberis, & neceſſarijs abhorrentes, contumelioſos, inſidiatores, fures, periuros, crudeles, nefarios, maledicos, homicidas, incantatores, impios ſacrilegos, ſepulchrorum effuſores, ac plenè improbos. Veneri conciliatus, proſperèque conſtitutus efficit homines à mulieribus abhorrenti ingenio; ad ſenes verò propenſos, ſolitarios, inamęnos in conuictu, ab ambitione remotos, alienos à congreſſu, & conuictu, ſuis ſententijs innixos, vates, religioſos, miſteriorum, & archanorum, ac oraculorum cupidos; ſacrificos, diuinos, venerabiles, verecundos, ſtabiles, philoſophos, fideles in conuictu, continentes, ratiocinandi vi præditos, cautos, ad indignationem pronos, in re vxoria ſuſpicaces, & Zelotypos. Si infeliciter ſitus eſt, laſciuos, incontinentes obſcęnos, ſine deliberatione plerumque agentes, impuros in congreſſu, immundos, fęminarum dolis expoſitos, & maximè domeſticarum; audaces, prorſus infames, proclines ad Venerea, pulchra declinantes, obtrectatores, maledicos, temulentos, obſequioſos, nefariè in coeundo affectos, non in eo tantum, qui naturæ conſentaneus eſt: verùm etiam præter naturam ſeniorum, & vilium hominum, ac denique beſtiarum lege vetitos congreſſus appetentes, impios, Deorum irriſores, miſteriorum, ſacrorumque prophanatores, infidos, calumniatores, nihil non tentantes. Mercurio conciliatus honorato loco poſitus, curioſos efficit, ſciſcitandi auidos, iuris indagatores, rerum medicarum ſtudioſos, archanorum, & eorum quæ vulgo religio affert, non expertes, miraculorum architectos, captioſos, in diem viuentes, agiles, procuratores, ſolertes, acutos, amarulentos, ſobrios, induſtrios, lucroſos. Contra infeliciter ſitus, nugones, illatæ iniuriæ memores, duris animis, laborioſos, ſuorum oſores, inuidos, triſtes, noctiuagos, inſidiatores, proditores, immiſericordes, fures, magos, incantatores, machinatores, mala fide in negotijs verſantes, offenſores, facilique impingentes.

Iouis verò ſydus quando ſolùm gubernationem animi nanciſcitur felici ſitu, efficit magnanimos, gratioſos, pios, reuerentes, hilares, humanos, magnificos, liberos, iuſtos, miſericordes, affabiles, excogitandi vi præditos, liberorum, & affinium ſtudioſos, principatui, & regno idoneos. Diuerſo modo poſitus ſimilia veluti ſimulachra dictorum animis imprimit obſcurius, & humilius; vt pro magnificentia prodigalitatem, pro pietate ſuperſtitionem; pro verecundia timiditatem; pro veneratione multitudinis extimationem tantum; pro humanitate fatuitatem, pro amore pulchrarum rerum luxuriam, ſeu voluptatis nimium deſiderium; pro prudentia magnã cunctationem; pro liberalitate,

Digitized by Google

litate, reſponſandi, ac quibus vis ſine diſcrimine obloquendi aſſuetudinem; & idemque cetera. Marti conciliatus honorata collatione aſperos producit, pugnaces, militari ingenio, ad res procreandas idoneos, dominos, nemini parcentes, ſponte ſe periculis obiectantes, negotioſos, ore libero, ad reprehendendum pronos, cepta proſequentes, contentioſos, primatum nuſquam affectantes, prudentes, inſidiantes, vincendi ſtudioſos, magnanimos, ambitioſos, animoſos; omne iudica idi arbitrium ſibi ſumentes, & hæc omnia feliciter. Si aduerſa fuerit Iouis conſtitutio, contumelioſos, ſine diſcrimine vnicuique manus inferentes, crudeles, inreconciliabiles, ſeditioſos, contentioſos, peruicaces, inſidiatores, in ſolentes, calumniatores, cupidos, raptores, variabiles, leues, & quos crebro actorum pœnitet, temerarios, infidos, cognitione nulla, turbulentos, faciles ad verbera, querulos, prodigos, nugaces, enormes, & in conſtantes. Veneri conciliatus Iuppiter felici ſitu; puros, voluptuarios, pulchrorum amantes, artificioſos, ſciendi cupidos, muſicos, cantores, leues, fraudi expoſitos, beneficos, argutos, minimè malos, pios, & Deorum cultores; certaminum ſtudioſos, prudentes, amatores, venuſtos; ſed non ſine maieſtate quadam ſplendidos, gnaros, liberales, literarum ſtudioſos, iudicio præditos, modeſtos erga rem Veneream, contentioſos, æqui amantes, honoris cupientes, ambitioſos, & vno verbo dicam decenter, & eleganter probos. Sin minus feliciter ſitus eſt; delitijs omnem operam nauantes, effeminatos, ſaltatores, muliebri, & euirato animo, ſumptuoſos, amatores, ſegnes, ſomnolentos, in Venerem proclices, adulteros, ornatui nimium indulgentes, molles, ignauos, prodigos, ad cauillandum propenſos, prope fatuos, affectuum impulſus non coercentes, cultum, & muliebrem elegantiam affectantes, muliebribus ſententijs, ſacris inſiſtentes, iucundo conuictu, & in occurſationibus liberiores, lenones, miſteriorum indagatores, fidos ſanè, & non improbos, gratioſos, & affabiles. Mercurio conciliatus felici ſtatu, literarum cupidos, & linguarum; Geometriæ amantes, Mathematicos, artifices, concionatores, ingenioſos, ciuiles, politicos, beneficos a quibus tutò aliquid mandetur, benè moratos, liberales, qui turba delectentur, callidos, lucroſos, veluti Principatui genitos, pios, Deorum amantes, mira in tractando dexteritate præditos, pios erga liberos, parentes, & neceſſarios, familię ſtudioſos, eruditos, philoſophos, in exiſtimatione ob hæc conſtituros. Si ſecus fatuos, nugones, in errorem proclines, contemptibiles, furore diuinatorio correptos. Sacrificos, vaniloquos, amarulentos, ſimulantes ſapientiam, ſtultos, ſuperbos, commentores, incantatores, incompoſitos, multa ſcientes, memoriæ tenacis, ad docendum habiles, minimèque impuris cogitationibus obnoxios.

Martis ſydus quando ſolùm animi formandi munus naniſcitur in ſitu felici, generoſos facit, animoque ad principatum propenſo, diuitiarum cupidos, verſipelles, fortes, multis ſeſe periculis exponentes, temerarios, nulli parcentes, ſine diſcrimine inter homines agentes, peruicaces, acutos, audaces, faſtidientes aliorum, tyrannicos, ad pugnam procliues, iracundos, ad exercitum ductandum idoneos. Sin aliter crudeles, contumelioſos, ſanguinis profundendi cupidos, prodigos, vociferatores, percuſſores, temerarios, raptores, infeſtos, immiſericordes, perturbationibus obnoxios, furioſos, familiæ, &

dome-

Digitized by Google

domeſticorum negligentes, impios. Veneri conciliatus Mars in proſpero ſitu, amabiles, benè tractabiles, ſociorum ſtudioſos, ſuauiter conuiuentes, lætos, luxui deditos, ſimplices, apertos, modeſtos, ſaltatores, amatores liberorum, amantes, imitatores, voluptuarios, cultum corporis non ſpernentes, in Venerea pronos, & ſalaces: ſed ſine incommodo, aut damno, quique vitia ſua tegere norint, prouidos, reprehenſionem, & cenſuram aliorum non incurrentes; iuuenum amatores, maſculorum æquè, ac fœminarum; ſumptuoſos, iracundos, Zelotypos. Si ſecus ſe habet, facit oculis emiſſitijs, ſegnes, procliues ad Venerem, cauillatores, adulteros, contumelioſos, mendaces, aſtutos, corruptores domeſticorum, & aliorum; vtque feſtiuos ad ſatisfaciendum cupiditatibus, ita facile ſatiabiles, mulierum, & Virginum conſtupratores, crebro ſe periculis obiectantes, callidos, immoderatos, inſidiatores, periuros; faciles ad lapſum, & dementiam; ſeipſos interdum ornare geſtientes, audaces, peruerſos, vehementes in petulantia. Mercurio conciliatus ſitu felici vehementes reddit in dicendo, militares, ſtrenuos, agiles, indeſpectos, verſipelles, habiles, ſophiſtas, laborioſos, veteratores, lingua promptos, ad inuadendum faciles, doloſos, inconſtantes, ex inſidijs hominem ad odorientes, malis artibus imbutos, ingenioſos; direptores, ſimulatores, inſidiatores, malè moratos, curioſos: malorum amantes, proſpere tamen agentes; cum æqualibus, & ſimilibus facilè, iucundeque conuerſantes; amicè recipientes, ac omnino, vt inimicis incommodantes, ita amicos prouehentes. Si aliter ſitus eſt; decoctores, alienorum vſurpatores, crudeles, periculis ſe exponentes, audaces, & quos non rarò actorum pœniteat, faciles ad verbera, immoderati motus, mendaces, fures, impios, periuros, irruptores, ſeditioſos, incendiarios, hiſtriones, infeſtos; latrones, ſepulchrorum effoſſores, truculentos, falſarios, mala fide rem tractantes, magos, veneficos, homicidas.

Venus ſola animi gubernaculo præſidens honorifico loco ſita, blandos, bonos, voluptuarios, omnibus expoſitos, cordatos, puros, ſaltandi ſtudioſos, affectatores, lætos, laboris fugientes, artium amantes, decentes, Deorum mirè reuerentes, habiles in ſomnijs, felices, pio affectu erga liberos, & neceſſarios, beneficos, miſericordes, liberales, lucroſos, ac denique Venereos. Sin aliter ignauos, amatores; effœminatos, muliebres, timidos, præcipitabundos, in rem Veneream procliues, neque infames, neque claros; ſed obſcuros, & latentes. Mercurio conciliata felici ſitu reddit ad opera manualia promptos, animo philoſophico, ſcientijs apto; ingenioſos, opifices, poetas, elegantes, benè moratos, voluptuarios, delicatos, lætos, ſapientiæ amantes, amicis amicos, pios, prudentes, varia machinantes, meditabundos, aptos mente, gaudentes officio, celeriter, atque libenter diſcentes abſque Magiſtri opera, æmulatores optimorum, affectantes eorum, quæ pulchra ſunt, ore honeſto, gratiarum affatim plenos, ſermone amabili, moribus moderatis, probos, arena delectatos, & paleſtra, iudicandi acumine non deſtitutos, magnificos; quantum ad venerea pertinet à mulierum conſuetudine abhorrentes, ad puerorum congreſſum propenſiores, ac Zelotypos. Si ſecus; irruptores, machinatores; ore impudico nunc harum, nunc illarum partium, peruerſis ſententijs, deceptores, perturbatores, mendaces, calumniatores, periuros, penitus peruerſos, inſidiatores, incompoſitos in hoſpitales, falſarios mulierum conſtu-

prato-

prætores, & puerorum, cultui corporis deditos, molles, infames; quique in ore in omni populo; omnibus ſe immiſcentes, interdum rectè iudicantes, interdum ſecus: turpia perpetrantes; & pro affectionum motu, vnumquemque contumelia afficientes.

Mercurius ſine collega animum gubernans feliciter ſitus. Solertes ingenioſos, vi mentis præditos, multarum rerum peritia inſtructos, ad inueniendum idoneos, experientes, benè ratiocinantes, coniectando ſcopum attingentes; naturæ rerum peritos, bonæ indolis, imitatores, beneficos, contemplandi vi præditos; Mathematicos, arcanorum conſcios, & proſperè hæc omnia. Si aliter poſitus eſt, vafros, impremeditatos, obliuioſos, impetuoſos, leues, variabiles, ineptè elegantiam affectantes, inſipientes, facilè per errorem peccantes, mendaces, nullo diſcrimine vtentes, inconſtantes, infidos, alienis imminentes, iniuſtos, & omnino mente labili, in errorem ſeductibiles.

Luminaria quamuis ex Ptolemæo intendant generalia; ex eodem etiam aliquo pacto circa mores particularia decernunt: Luna enim iuentribus Draconis, vbi plurimâ obtinet latitudinem vires cetebri imbecilles demonſtrat ob receſſum ab Ecliptica; & variationem latitudinis in aſcendentem, & deſcendentem; dat qualitates inconſtantes, facitque Natos mutabiles, doloſos. In nodis ☊ ☋ ob robur Eclipticæ intellectum tribuit acutum, induſtrioſum, agilem, & nimis callidum, prædicitque ingenio promptiſſimo. Aucta lumine, & aſcendens à prima quadra ad oppoſitionem ad Apogeum eccentrici dat qualitates illuſtres, ſolidas, nobiles, liberas; minuta lumine, vel ſub radijs, tardas, obſcuras.

Sol ſi ſit dominus loci Mercurij, & Lunæ benè conſtitutus, qualitates animi decretas ab alijs Planetis reddit perfectiores, nobiliores, ac maieſtatis quoddam, dignitatiſque præſeferentes: malè affectus humidiores prædicit.

Ex alia ſchola Aſtrologorum Sol, & Luna etiam ſicut alij Planetæ ſunt ſignificatores animæ qualitatum, hocque pacto contendit.

Sol, cum munus obtinet formandi animum, facit claros, iuſtos, fortes, magnanimos, caſtos, prudentes, fidos, pios, ſomniorum verorum, amicitiæ cuſtodes, filiorum non amantes, nec vxoris, honorum, & dignitatum appetentes, crudeles, iram ſeruantes, nitidos, mundos. Saturno conciliatus; religioſos, fideles, taciturnos, melancholicos, ſuperbos, crudeles ſi benè diſpoſitus. Malè Dei contemptores, auaros, ſuperbiſſimos, diſſimulatores, inæquales. Ioui conciliatus ſplendidos, fortes, iuſtos, fideles, ſapientes, magnificos, magnanimos, ornatos veſtibus nitidis, mundos, verecundos, felices.

Conciliatus Marti. Crudeles ad ſummum, fidos ſuis Principibus, veloces in operationibus, claros, iracundis, felices. Veneri conciliatus, mites, miſericordes, caſtos, prudentes, fidos, pios, mundos, dignitatum appetentes, iram ſeruantes, candidi animi, ornatiſſimos, pudicos, amicitiæ obſeruantiſſimos, earum liberales.

Conciliatus Mercurio. Acutos, Iudices, bonos, rectos, ſapientes, in Regum negotijs expertes, diligentes vaticinia, comptos, modeſtos, ſobrios, fideles, ambitioſos; qui pro moribus ab omnibus laudentur.

Luna ſignificatrix morum. Contumaces, varios, viles, timidos, nullius ſeruitij, obtuſi ingenij. Conciliatus Saturno vilibus implicat exercitijs, amatores

ſordi-

ſordidorum, & vilium, deceptores, periuros, pertinaces, timidos, vagabundos, infortunatos, nullius exiſtimationis, amatores rei ruſticæ. Ioui conciliata, Bonos, mites, laborioſos, diuites, non vindices. Marti conciliata, Contumaces, laborioſos, vilibus incumbentes, vitam diuerſam ducentes, amantes itinera. Veneri conciliata voluptatibus gaudentes in peregrinatione, &c. rerum publicarum adminiſtratione: homines, parui ingenij, molles, effęminatos. Conciliata Mercurio; negotia agentes, dormientes, celeres, mutabiles, verſutos, ingratos; vaniloquos, mendaces, varios, mediocris fortunæ, & hoc ſi Mercurius fuerit benè deſpoſitus. Cùm fuerint ſub radijs in ♌ ♈ ♐, Sol erit morum ſolus diſpoſitor, vel cum *Marte*, & Ioue dominis.

Stellæ fixæ, præcipuè primi, vel ſecundi ordinis coniunctæ cum ſignificatoribus animi qualitatum qualitates Planetarum, de quorum natura ſunt demoſtrant; hinc plurimæ obſeruationes prodierunt, interquas.

Regulus cum morum diſpoſitore, vel domino Aſcendentis dat mores generoſos, graues, magnanimos, ſplendidos; ſic Arcturus morum integritatem, & regnandi deſiderium.

Spica Virginis morum ſuauitatem, grauitatem, ſedulitatem. Cum Saturno facit aſperos, Zelotipos. Cum Marte ſeueros.

Cor Scorpij magnanimos; ſed temerarios: Cum Mercurio in aſpectu *Martis* crudeles, ſicarios, percuſſores; & ſi *Mercurius* fuerit in tertia fratricidas.

Pallilitium dat ferocitatem, anomiſitatem, animum militarem; ſic Hercules.

Deltoton cum Mercurio ſubdolos, callidos, vafros.

Caput ſerpentarij cum Luna infidos, leues, ſagaces, verſipelles.

Delphinus cum domino morum ſimplici vultu, & duplici animo; aliud pectore aliud ore promentes.

Rictus Capricorni cum Mercurio dat ingenium præclarum.

Pleiades. Laſciuum, ambitioſum, prodiuem ad voluptates, ſecutuleium.

Lyra ad voluntates, & Muſicam propellet.

Aquila facit animos, fortes, inuictos, ſanguinarios, & ſi culminet cum Marte feroces, & imperterritos.

Cingulus Orionis dat ingenium acutum, induſtrioſum.

Cor ſcorpij cum Venere facit *M*uſicos, & poetas præclaros.

Stellæ Iouiales, & Martiales, reddunt fortes, fęlices, magnanimos, ambitioſos.

Iouiales cum Marte; temerarios, impetuoſos. Cum Saturno ignauos, ſtupidos.

Venereæ, & Mercuriales in prima vel decima cum domino morum, dant ſcientias, dignitates, honores, diuitias.

Iouiales, & Venereæ, probos, moribus modeſtis, diuites, ambitioſos, mulieroſos.

Martiales, & Venereæ ſicut aliquando magnas tribuunt felicitates, ita violentis caſibus aliquando Natos implicant.

Saturninæ, & Iouiales faciunt lentos, patientes, pertinaces, diuites, graues.

Saturninæ, & Mercuriales felices, ſubdolos, turpes, alienos ab amore virorum, & mulierum.

H Mar-

Digitized by Google

Martiales, & Saturninæ ſemper mala in omnibus decernunt.

Martiales, & Solares. Crudeles, turpes, audaces, patientes in oculis & pericula ex igne adducunt.

Martiales, & Lunares reddunt populares, ſeditioſos, vagos, inconſtante, laborioſos, infames, pauperes, vitijs oculorum afflictos, epulones, vt plurimus prauum vitæ exitum ſortientes.

Ex ſignis Zodiaci. Aries facit feroces, peruicaces, audaces, impios, inſidioſos, ingenioſos.

Taurus voluptatibus deditos; & munditiei corporis, florido veſtitu vtentes, ac delicato victui operam nauantes, laborioſos.

Gemini; nobiles ſed improbos; intelligentes rerum omnium, cogitantes, intelligentes ſapientiæ, & diuinationis, Magos, arcanorum inſtitutores, Mathematicos, fraudolentos.

Cancer facit Mercatores, bonos ſocios, qui rerum affluentia gaudeant; morigeros, leues; Mulieres verò viriles, contentioſas, imperioſas, laborioſas.

Leo conſtantes, benignos, amicitiæ ſtudioſos, ſimplices, humanos, ſyderum obſeruatores.

Virgo delitijs deditos; obſeruatores ſyderum, cultores animi, ingenioſos, artium amantes.

Libra delitijs deditos, qui diuitias congregant; calidæ naturæ ob Venerem, conſilij mobilis, artium contemptores.

Scorpius, bellicoſos, immanes, diſcriminibus obuios, contemptores vitæ, improbos, fallaces, ſeditioſos, malorum morum.

Sagittarius, ſimplices, munditiei, & libertatis amatores dexteros in negotijs, liberales, aptos contractibus, militares.

Capricornus, deformes, alienos à manſuetudine morum, & conuictu; auaros, fallaces.

Aquarius ferarum ſimilem vitam agentes, & agreſtem.

Piſces, mercatores, liberales, fideles in contractibus, ſimplices, conſilio valentes, pulchrorum operum artifices.

Hæc ſigna aliquo modo mores oſtendunt, dum in Aſcendente, vel ſignificatoribus animi qualitatum fuerint.

Aliqui Aphoriſmi Antiquorum obſeruati.

Mercurius in Aquario liber à maleficis ingenium tribuit diuinum, aptiſſimum ad diſciplinas omnes, excellentem in omni genere ſcientiarum præcipuè ſi fuerit velox, orientalis, vel cum Capite Draconis.

Mercuriu ex quo omnia in hac parte contingunt ſupra terram fauorabilis eſt pro ſcientijs; Infra terram pro artibus.

Mercurius motu velox facit expeditos in inuentionibus, & rationibus; verùm inconſtantes, & faciles ex vna in aliam ſententiam delabi.

Mercurius tardi motus, tardos facit in inuentionibus, & reliquis; licet prudentes.

Mercurius in ſignis aereis, & cum Nodis lunaribus facit ingenio preclaros, aptoſque ad diſciplinas, atque linguarum peritiam.

Mercurius in Oriente motu celeri in ſignis omnibus præter ♉ ♊; omnibus ſcientijs, & artibus reddit Natos accomodatos ingenio.

Mercu-

Digitized by Google

Mercurius in Aſcendente in ſigno humano celer optimũ prǣſtat memoriam, & ingenium; licet mutabile.

Mercurius in angulo cum Venere, & Luna doctrinam pollicetur, & ingenij ſolertiam.

Mercurius benê conſtitutus, & Luna perperam decernunt Natos benè intelligere, male autem deliberare.

Mercurius cum ſtellis paruis lucidis experientia melius tribuit ingenium, quam conſtitutus cum lucidis maioribus.

Mercurius in domibus Saturni dat optimam memoriam. In domo Martis ♈. facundiam.

Mercurius cum ſtellis in rictu Capricorni. Prǣcedente in dextro pede ſerpentarij, vel in Capite ſerpentarij tribuit ingenium excellens.

Mercurius cum ſtellis de natura Saturni profundum dat intellectum; verùm hebetem vim perſuadendi.

Mercurius peregrinus, cadens, combuſtus, in loco deiecto, tardus, lǣſus à Marte, vel Saturno corpore, vel ex oppoſitione, aut quadrato exile dat ingenium.

Mercurius à Saturno valde afflictus ſolidos, aut ſtultos facit prǣcipuè in ♉ ♓

Coniunctio Martis, Mercurij, & Veneris induſtrios procreat, quamuis infidos.

Mercurius in ceruice Leonis facit ſtupidos.

Saturnus benè conſtitutus bonam tribuit memoriam; malè verò exilem.

Saturnus cum Capite Draconis Lunæ reddit Natos cautos, & conſilij ſecreti.

Saturnus cum Humero orionis, vel Aurigæ ſtabilitatem affert, diligentiam, prudentiam, & exinde nomen illuſtre.

Saturnus cum Mercurio, ſi alia non diſſentiant facit auaros, & infidos.

Saturnus cum Ala Pegaſi inſignem tribuit memoriam.

Saturnus cum Corde Scorpij, dat ingenium profundum, ſtudium, & bonam memoriam.

Iuppiter in domibus prima 3. 5. 9. 11. tribuit humanitatem, ſapientiam, prudentiam, ſi Lunæ, aut Mercurio aliquo pacto benè configuretur.

Iuppiter cum Mercurio, & Humero Orionis producit artifices præſtantiſſimos.

Iuppiter dominus Aſcendentis ſolitarius efficit vt Nati diligant diſciplinas.

Iuppiter in Aſcendente in Virgine cum radio Veneris, aut Lunæ melliſluum ſcribendi, & orandi modum impartitur.

Iuppiter cum Sole domino Aſcendentis in ſextili Saturni memoriam tribuit inſignem.

Mars cum ſignificet audaciam ad negotia, labores. & contentiones non benè iungitur Mercurio: nam reddit Natos improbos, inuerecundos, & malos; quamuis hæc conſtitutio decernat induſtrios in artibus.

Mars cum Mercurio, & Cauda Draconis fraudulentos, & deceptores ſignificat.

Mars cum Mercurio, & benefica applicatione Iouis, facit diſputatores acutiſſimos.

Sol in Aſcendente cum Nodis Lunæ acutum, & præſtans tribuit ingenium.

Venus venuſtatem ſignificat. Cum Mercurio in prima feliciter poſita, dat acritatem, ſermonis gratiam, etiam in moribus.

Venus cum ſtellis, in pede ♊, & collo ♉ facit poetas, ſicut cum Antares poetas, & Muſicos.

Venus cum ſpica Virginis morùm dat ſuauitatem.

Venus cum bene ſic orad io Martis facit Muſicos inſtrumentarios.

Mercurius in 6. vel 12. cum aſpectu beneficorum facit philoſophos, acutumque tribuit ingenium.

Mercurius in Aſcendente, velox, orientalis; tribuit eloquientiam, poeſim, & artes liberales præſertim in ♈ ♊ ♍ ♎ ♐.

Mercurius in Tauro, niſi à beneficis aſpiciatur, dat ingenium rude, & ſtupidum

Mercurius in ſuis dignitatibus, vel Veneris in angulis dat acre ingenium.

Mercurius afflictus à Marte, vel retrogradus dat ingenium acutum, licet rixoſum, & nimis callidum.

Plures Planetæ in ſignis aereis ♊ ♎ ♒ præſtantia tribuunt ingenia, præcipuè morum ſignificatores.

Mercurius cum Saturno, vel in aſpectu, aut domo Saturni reddit ſapientem, ſecreta rerum, & obſtruſa cognoſcentem.

Mercurius in nona, vel dominus nonæ inclinat ad Aſtrologiam.

Mercurius in Leone facit facundos, ſermone gratos, aliquando Aſtrologos.

Luna in Aſcendente in ſignis bicorporeis facit cupidum diuinandi.

Secretas, & occultas ſcientias dat Mercurius in Aſcendente in ſuis dignitatibus, in aſpectu, vel dignitatibus Saturni; In tertia domo cum Luna. In domo Veneris cum Marte.

Mores peſſimi decernuntur à maleficis cum Mercurio in 7. 8. 9. nam decernunt non timentes Deum, præcipue, ſi fuerint potentes in Aſcendente.

Infortunæ in Medio Cæli, faciunt ſuſpitione plenos.

Circa voluptates decretas à Venere, hæc ab Antiquis circumferuntur.

Venus in Ariete dat delectationem in picturis, Muſica, odoribus, cibis.

In Tauro facit ebrium, guloſum, etiam Muſicum.

In Geminis, delectationem pingendi, & pulſandi inſtrumenta.

In Cancro delectationem cantus proprij, nauigationis, & rerum popularium.

In Leone dat amores, libidinem.

In Virgine facit guloſos, & omnis voluptatis.

In Libra intentos Venereis.

In Scorpione ſimilia.

In Sagittario, & Capricorno delectationem in choreis, & Equis.

In Aquario, in curſu, & amicitijs.

In Piſcibus, dat quęrentes amęna, delitias, & choreas.

Venus honeſtè poſita, vt in ſuis dignitatibus, cum Sole, Luna, Ioue, Capite Draconis honeſtos mores, & laudabiles decernit. Inhoneſte, vt cum Saturno, Marte, eius radijs maleficis, vel Cauda Draconis.

Iuppiter Venereis dat decorem; munditiem, & voluptates abſque infamia.

Satur-

Digitized by Google

Saturnus Venereis addit fęditatem, turpidinem, inuerecundiam, infamiam. Mars tribuit aliquid turpis libudinis; ſi Venus fuerit in dignitatibus, vel ſimul cum his Planetis.

Mendaces producuntur ex Marte dominio quartę domus in ſexta, ex ſole cum Mercurio in ſeptima: ex Marte in nona. Ex ſtellis de natura Mercurij, & Veneris in Aſcendente. Ex Luna ſeparata à Marte applicata Mercurio. Ex Mercurio cum Marte.

Veridici producuntur ex Luna in Medio Cæli; ex Luna in ſextili, aut trino Iouis. Aſcendente Sagittario, ac in eo Luna. Mercurius, & Venus in Aſcendente, vel Medio Cæli.

Hypocritas decernũt Mars, & Iuppiter in tertia vel nona in ſignis maſculinis. Venus peregrina in tertia, vel nona; Saturnus in tertia, vel nona.

Bonam memoriã prædicunt Sol in domo Martis cum radio benefico Iouis. Coniunctio Lunæ, Veneris, & Martis. Mars & Mercurius fortunati cum Luna. Mercurius in Leone cum Iouis aſpectu.

Celerem intellectum tribuunt Mercurius in ſextili, aut trino Iouis. Mercurius in ſuis dignitatibus, nec combuſtus, nec retrogradus. Sol Venus, & Mercurius intuentes Lunam cum aſpectu benefico. Mars, & Mercurius ſimul iuncti nec combuſti, nec retrogradi: ſic ſe aſpicientes beneficè.

Histriones portenduntur ex Marte, & Mercurio, in dignitatibus Mercurij; vel domicilio Solis, vel Saturni. Mercurius cum Venere in radio Lunę creſcentis. Mars, Mercurius, & Luna in domo Veneris.

Fideles procreant Venus in Medio Cæli, vel Aſcendente fortunata. Mercurius iunctus Ioui; vel in Iouis ſextili, trino vel Antiſcio. Iuppiter radio benefico, Martis, aut Saturni. Iuppiter in 9. vel 3. Mercurius in ſuis dignitatibus in ſecunda, aut quinta.

Infidos decernunt Mercurius in Medio cæli cum radio Martis poſita Luna in Imo cæli. Mars retrogradus, vel peregrinus cum Luna in 3. Mercurius retrogradus, vel peregrinus in tertia, vel nona in domo Martis. Mars in nona,

Fvres portendunt, Mars Mercurius, & Luna in angulis abſque aſpectu beneficorum. Saturnus in 7. retrogradus, vel peregrinus cum aſpectu Martis, Mercurij, vel Lunæ. Mars peregrinus, vel retrogradus in angulis cum radio Saturni. Saturnus, Mars, & Mercurius in occidente cum quadrato, vel oppoſito Lunæ. Mercurius, & Mars peregrini cum radio prauo Saturni.

DE VITIIS, ET MORBIS ANIMI.
Cap. XVII.

PTolemæus 3. Quadripartiti Cap. 18. generale affert dogma, omnes caſus, accidentiaque omnia tam vitiorum, quam morborum contingentium in diſcurſiua vel ſenſitiua cerebri complectens, quod tale eſt. Si Mercurius, & Luna nulla inter ſe familiaritate cohęrentes fuerint, nec coniuncti videlicet, nec ſe aſpicientes, nec in intuentibus, in angulis orientali, aut occidentali à Saturno vel Marte coniunctione, aut oppoſitione affligantur morbi,

vel vitia animi portenduntur. Ratio euidens eſt: nam inconiunctio Lunæ, & *Mercurij*, vt diximus, diſſonantiam decernit ſenſuum interiorum, & exteriorum; hinc ſi à maleficis lędantur, in dictis ſenſibus lęſiones contingere neceſſe eſt, ob vim potentem maleficorum in angulis; cum enim ſpecies per ſenſus exteriores deferantur ad phantaſiam, male affecti eas repręſentabunt non ſinceras; nec ad intellectum peruenient niſi imperfectè, ac confuſe: quo fit vt errore commiſſo in virtute phantaſtica, ſuccedat etiam in intellectione, & alijs neceſſario.

Hæc mala conſtitutio *Mercurij*, & Lunæ cum maleficus peior eſt in angulis præcipuè in orientali poſtea in occidentali. In domo ſexta etiam vitia, & morbos fieri docet experientia, licet minus quàm in angulis. Sicut maleficorum peior eſt coniunctio, quam oppoſitio. Quadratus etiam afficit licet remiſſius minoraque mala infert.

Vitia animi ſunt Epilopſia, Inſania, & Dęmonoplexia, quæ hoc pacto fiunt Epilepſia, morbus comitialis, caducus, Lunaticus, Sacer, Herculeus accidit Natis quando Mercurius, & Luna nullo modo, vt diximus, inuicem configurantur, & in Aſcendente Natiuitatis diurnæ reperiatur Saturnus, vel Mars in nocturna; ipſique malefici aſpexerint locum Mercurij, vel Lunæ, vel eorum locis dominati ſint.

Inſani fiunt cum Luna, Mercurius non ſe reſpexerint, & mars de die, vel Saturnus de nocte fuerit in Aſcendente contrario modo, quo in epilepſia, & malefici aſpexerint mercurium, vel Lunam, vel ſint domini locorum mercurij, aut Lunæ; vel fuerint ſuper loca mercurij, aut Lunæ; qui influxus vigebit maximè in ſignis Virginis, Piſcium, & Cancri.

Dæmoniaci fiunt quando præter dicta in Inſania, ideſt quod Luna, & Mercurio ſe non intuentibus mars de die, vel Saturnus de nocte ſit in Aſcendente, aſpicientes loca mercurij, vel Lunæ, vel eorum locis dominantes; Luna præterea conſtituta ſub radijs Solis pergat ad coniunctionem, vel oppoſitionem malefici. Si ad coniunctionem peius eſt ad Saturnum; ſi ad oppoſitionem peius ad martem: ad coniunctionem peius ad Saturnum ob eius frigiditatem; ad oppoſitionem peius ad martem; præcipuè in Sagitario, & Piſcibus oppoſitis domibus mercurij Virgini, & Geminis, qui ſignificant animam intellectiuam.

Poſitis his conſtellationibus ſi luminaria nulla Veneris, aut Iouis radio inſpiciaretur, nec aliomodo conuenerint cum ipſis beneficis, vitia, & morbi erunt inſanabiles, quamuis non publicè, & paſſim fama in populum ſparſi: verum cælati, & abſconditi: ſi beneficæ fuerint aliquomodo conciliatæ cum luminaribus tunc ſi fuerint in medio cæli, vel angulo orientali, & maleficæ in occidente, vitia & morbi erunt quidem medicabiles, & ſanabiles: ſed tamen illuſtres, clari, atque in ore populi: Curantur verò ope beneficorum, Iouis quippe ope medicorum, Veneris, votis, oraculis, Deorum ſubſidijs, amuletis, exorciſmis, atque huiuſmodi ſi luminaria fuerint in occidente, maleficis in oriente conſtitutis, ob maleficorum ſitum validiorem reddent morbos, & vitia inſanabilia, & publica; atque præterea aliquid addent ad morbos, & vitia, quod maiora efficiant; Epilepticis enim paroxiſmi erunt frequentiores cum ſæuis accidentibus, vt concuſſionibus clamoribus, ac timoribus ſæpè mortis. Inſanis accident ſtrepitus magni, denudationes, licentia incohercibilis in domeſticos,

aliorſ-

alioſque virgis, verberibuſque afficientes, blaſphemia, & ſimilia. Dæmoniacis accident inuaſiones hominum, eos percutienties, reuelationes ſecretorum, aliaque horrenda.

Mars, & Sol conferunt ad vim inſaniæ ob caliditatem, & ſiccitatem vrendo cerebrum, augentque effectus inſaniæ clamoribus, impetu contra homines, alijſque affectibus. Mercurius, & Iuppiter augent epilepſiam. Saturnus, & Luna Dæmonoplexiam ob eorum frigiditatem; qui morbus ſolum inuadit viles, frigidos, fæminas; ſecus ſanguineos, cholericos calidos. Venus conducit ad ſecretorum reuelationem, & diuinationem, quæ proferuntur ab inſanis, & Dæmoniacis ſæpiſſimè; Hæc ſunt vitia circa partem intellectiuam.

Circa animam ſenſibilem vitia etiam contingunt, & ſpeciatim amor, paſſionum omnium maxima; inquo ex Ptolemæo conſiderandi ſunt Sol, Luna, Venus, & Mars pro libidinis affectibus, ex quibus hoc modo generaliter coniectandum. Si hi Planetæ, vel eorũ maior pars in ſimilibus ſexui Natis, ſignis fuerint reperti vt in viris ſignis maſculinis & mulieribus fæmininis decernent immoderatam in quantitate libidinem, non tamen ſexui contrariam. Si fuerint in ſignis Nati ſexui contrarijs incitabunt ad contrarias ſexui Nati commiſtiones.

Particulariter autem. Si Sol, & Luna tantummodo reperti fuerint in ſignis maſculinis, viros efficient nimis, quàm decet maſculinam naturam referentes: mulieres verò marium naturam retinentes, mareſque in coitu in multis imitantes. Si præter luminaria Mars, & Venus, vel alter eorum fuerit in ſignis maſculinis decernent mares adulteros, ſtupratores, inceſtuoſos, ſodomitas: fæminas verò contra naturam coitum appetentes, ſalaces, tribades, maſculino modo ſe commiſcentes, virilia munia ſumentes homines ſuperequitantes: Si Venus fuerit in ſigno maſculino cum luminaribus vitia hæc erunt latentia, & occulta; Si Mars publicè propalata cum dedecore, ac vituperio, & aliquando viros, cum quibus illicitè coiuerint vxorum loco retinebunt cum nota infamiæ, & aliquando pęna.

Luminaria in ſignis fæmininis, viros molles procreant, effęminatos, nimium à virili natura declinantes; fæminas verò moderatas in his; quæ ſibi natura conueniunt, Si præterea Venus etiam fuerit in ſigno fæminino fæminæ nimium ad Venerem procliues producuntur, nullo tempore, nullos hominum recuſantes, turpiter, & illigitime; Viri verò ignotos coitionis modos inuenientes exercebunt in congreſſu partes fæminarum ſibi vendicantes, quæ tamen ſecretò, occulteque ſint contingentia. Si Mars fuerit in ſignis fæmininis, omnia erunt clara, & aperta: aperte enim exercebunt illam meretriciam corporis proſtrationem, & execrabiliter tandem infames vſque ad populi indignationem vniuerſi.

Si Mars, & Venus fuerint orientales, & matutini, cum orientalitas ſignificet actus validiores, maſculinos, ac agere, & id circo impudentiam maiorem, omnia reddent notiora, illuſtriora, & virilia: Si occidentales, & veſpertini omnia occulta, tecta, & muliebria demonſtrabunt.

Si forte his miſcentur Saturnus, omnia reddentur turpiora, fæda, impura; quamuis non tàm publica ob frigidam naturam Saturni. Si adſit Iuppiter omnia moderabuntur bonitate Iouis cum ſecuritate, ac verecundia quadam: Si

Digitized by Google

adſit Mercurius ob ſuam naturam verſatilem, omnia erunt varia, agiliora, ac notiora, præter quàm, quod multos inuſitatos libidinis modos inueniet.

Sciendum quod paſſiones oriuntur ex quantitate Epicyclorum, cum verò Veneris Epicyclus ſit omnium Planetarum maximus, deinde Martis; hinc maxima paſſio eſt amor; deinde ira.

APHORISMI DE ANIMI VITIIS.
De Epilepſia.

Luna in ſigno duplici in Medio cæli in oppoſito, aut quadrato Saturni, vel Martis minatur epilepſiam.

Luna cum Sole, & Marte in Medio cæli, poſito Saturno in 6. vel 7.

Luna in Aſcendente in oppoſito Saturni, & Mercurij.

Sol, Luna, Saturnus, & Mars in angulis in ſignis duplicibus.

Sol in Aſcendente in ♊, Luna in Medio cæli in ♓, oppoſita Marti.

Sol partiliter cum Mercurio in Aſcendente in oppoſito maleficarum.

Mars, & Saturnus in Aſcendente in Tropicis oppoſiti Ioui.

Mars in 7. in quadrato, aut oppoſito luminarium; poſito Ioue in Aſcendente.

Mars inter Solem, & Lunam.

Luna ſeparata à Saturno defluens ad Martem.

Luna ſub radijs cum Marte propè Mercurium.

Mars, & Luna in Aſcendente oppoſiti Saturno.

Luna in ♐ ♓ coniuncta, vel in quadrato, aut oppoſito maleficorum.

Oppoſitio Saturni, & Mercurij, & Luna ex angulo reſpiciat Martem.

Mercurius, Luna, & dominus Aſcendentis infortunati à Saturno, vel Marte ſemper in diſcurſiua, vel ſenſitiua potentia cerebri affectus portendunt Nati in interlunijs animi vitijs ſubiacent ex Ariſtot.

APHORISMI DE INSANIA.

Mercurius in ♍ ♐ ♓ cum Marte, vel Saturno, vel in eorum oppoſito, vel quadrato inſanos producunt multoties ſi à beneficis non adiuuentur.

Mars in angulo cum Mercurio, vel in oppoſito, aut quadrato Mercurij peregrini.

Sol in 8. cum maleficis, vel eorum prauo aſpectu, afflicto Mercurio.

Luna in Aſcendente in domo Martis, in quadrato Mercurij conſtituti in quarta.

Saturnus in Medio cæli, & ab eo Luna defluat ad Martem cum aſpectu Mercurij infortunati.

Mars in Medio cæli in Mercurij diametro, ac prauo aſpectu Saturni.

Mercurius inter Pleiades cum radio maleficorum intellectum perturbat.

DE AFFECTIONIBVS ANIMAE SENSIBILIS.

Luxuria magna Aphoriſmi.

Mars cum Venere in 4. 7. 10. abſque Iouis aſpectu immoderatam dant luxuriam.
Mercurius, Venus, & Saturnus in Veneris dignitatibus in 7. 10.
Mars, & Saturnus in 6. cum radio Veneris.
Venus in ſigno maſculino cum Marte, vel eius radio malefico.
Venus in domo Martis, Marſque in domo Veneris.
Venus in ſuis dignitatibus cum radio Martis.
Venus in Leone cum Martis aſpectu; quamuis vbicumque Venus conſtituta in quadrato, aut oppoſito Martis tribuat incendia.

SODOMITAE.

Venus in duodecima cum Martis radio inclinat ad vitium ſodomiticum.
Venus, & Mars in 6. in ſigno maſculino.
Sol, Venus, Luna in ſignis maſculinis, & ſe intuentes.
Mars, & Mercurius in 7. cum radio Veneris, vel coniuncti.
Venus in dignitatibus Martis retrograda, vel alio modo afflicta.
Mars, Saturnus, Venus, Mercurius omnes in ſignis maſculinis.
In Genituris fœminarum inclinant ad præpoſteram Venerem, Vnus cum Luna in 8. Venus in 7. & Luna in prima in ſignis maſculinis. Vennus in duodecima cum radio maleficorum.

DE DIVITIIS. Cap. XVIII.

SErmo de diuitijs non inſtituitur de ijs; quæ hæreditario iure Natis à Parentibus derelinquuntur; ſed de ijs, quæ adueniunt extrinſecus, acquiruntur labore proprio, arte opificio, ingenio, mercatura, dignitatibus, hæreditatibus aliunde initis, donationibus, inuentione Theſauri, dote, conſenſu Genituræ cum Principibus, aut alijs modis, pro quibus conſiderandæ ſunt Pars fortunæ quæ ſemper tam in diurna, qnàm nocturna genitura extrahitur à Sole in Lunam; & domus ſecunda cum earum diſpoſitoribus; nec non Iuppiter naturalis diuitiarum ſignificator, & quamuis Partem fortunæ Ptolemæus non magnifaciat conſtitutam ſub terra; quo caſu conſiderat ſecundam domum, ac diſpoſitores dictæ ſecundæ, & Partis fortunæ; experientia docemur dictam Partem vbique locorum eſſe ſpectandam, vt aluminaribus prodeuntem, & vt horoſcopum Lunarem.

Conſiderandus eſt ergo primo locus Partis fortunæ, quomodo ſit conſtitutus reſpectu Mundi, & reſpectu luminarium, & Planetarum, an ſit in angulis ſuccedentibus, vel cadentibus; in aſpectu luminarium, Planetarum beneficorum, vel maleficorum; in cuius dignitatibus, & ſimilia; nam in angulis præcipuè orientali, aut Medij Cæli cum luminarium radio benefico ſicut Iouis, vel Veneris, in dignitatibus beneficorum libera Pars fortunæ à male-

ficis

ficis amplum diuitiarum prouentum pollicetur, Natique illuſtrem ſtatum, reſpectu diuitiarum; è contra in domo cadente, dignitatibus Maleficorum, abſq; luminarium, Iouis aut Veneris aſpectu, humilem Nati conditionem, ac ſtatum circa diuitias ſignificabit; quæ ſingula Aſtrologorum iudicio perpendenda.

Conſiderandi ſunt inſuper diſpoſitores Partis fortunæ, quique in eius loco plures obtinuerint dignitates, & hi an potentes in ſuis dignitatibus in angulis, aut ſuccedentibus, in Apogeis ſuorum orbium, irradiati à beneficis abſq; noxa maleficorum, liberi à combuſtione; tunc enim diuitiarum affluentiam oſtendent: e contra ſi fuerint debiles, peregrini, in cadentibus, combuſti, retrogradi, occidentales, in Perigeis, afflicti à maleficis, abſque auxilio beneficorum, tenuitatem diuitiarum portendent, Natoſque pauperes.

Sciendum diuitiarum magnarum ſignificatores eſſe ſolem, Iouem, & Mercurium; Sol diuitias portendit ob dignitates, potentiam, dominium authoritatem; Iuppiter ob ſuam naturam beneficam; Mercurius propter opificium, agilitatem in negotijs tractandis, mercatura, ſcientijs, alijſque de natura Mercurij.

Conſideranda eſt etiam pro diuitijs ſecunda domus; hoc tamen ordine; cum ſors, ſeu Pars fortunæ fuerit in angulis, vel domo 9. aut 11. bene conſtituta maiorem prærogatiuam obtinebit, quàm domus ſecunda, quæ etiam nihilominus erit conſideranda. Si vero Pars fortunæ fuerit ſub terra libera ab infortunis in radio beneficorum erit æqualiter, ac ſecunda domus ſpectanda; verùm ſi ſors fuerit ſub radijs, ſub terra vel in domo octaua, vel duodecima abſque aſpectu luminarium, vel beneficorum malè affecta primum locum obtinebit ſecunda domus; Parte tamen fortunæ non ſpreta.

Domini Partis fortunæ, & domus ſecundæ ſunt etiam conſiderandi ratione, & experientia ſumma; ſicut maxime Iouis ſtatus, vt naturalis diuitiarum ſignificatoris; ex bona namque illius conſtitutione, vel mala, diuitiæ, vel paupertas plurimùm demonſtratur.

Quia locus Partis fortunæ dependet a luminaribus; diuitiarum ſtatus præcipuè colligitur ex applicatione ad dicta luminaria. Hinc ſub Solis radijs benè conſtituta cum radio beneficorum diuitias ex Magiſtratibus publicis, honoribus, præmijs, donis à Magnatibus elargitur; quamuis congruat obſeruationibus tali conſtitutione ſortis ſub radijs, Natos non gaudere hæreditate paterna; vel quia Pater non habeat quid filijs derelinquat, vel alia cauſa.

In ſextili, aut trino Solis dat diuitias ex dignitatibus. In quadrato, aut oppoſito diuitiarum iacturam portendit ex odio Principum; deuolutione ad fiſcum vel alio modo.

Pars fortunæ ſub Luna, conſtituto præcipuè Sole in Aſcendente, diuitias tribuit ex negotiationibus, aut cauſa fœminarum. In trino, aut ſextili Lunæ ex conductionibus, aut rationibus publicis. In oppoſito, aut quadrato Lunæ in ſignis non familiaribus damna ex dictis conductionibus, & huiuſmodi; quod idem intelligendum eſt de diſpoſitoribus Partis fortunæ; quod autem dictum eſt de coniunctione, & oppoſitione intelligendum etiam eſt de Antiſcijs, Imperantibus, & obedientibus.

Ex Planetis, Saturnus opes tribuit per negotiationes, nauigationes, agricultu-

culturam, terræ fructus, ædificationes, hæreditates mortuorum, ex rebus abſconditis, & huiuſmodi, & ſenioribus: ſi Saturnus fuerit in Medio Cæli, & Iuppiter in occidente in ſigno bicorporeo; vel ſi Luna applicuerit Ioui, vel à Ioue ſeparetur decernunt Natos ad filiorum procreationem addictos alienorum bonorum hæredes adſcribendos: quod aſſiduo conſpicimus experientia.

Iuppiter diuitias elargitur per poteſtatem iudiciariam, aduocationem, leges Prælaturam, viam religionis, dignitates eccleſiaſticas, vel perſonas eccleſiaſticas, aut Principum. Mars per bella, exercitus ductationem, ludos, adminiſtrationes, negotia publica, violentiam, ſi fuerit bene conſtitutus; & bene conciliatus cum ſorte; nam in quadrato, vel oppoſito Partis fortunæ mala in his decernit; quod idem intelligendum eſt de alijs Planetis. Venus cauſa coniugij, ex mulieribus, donationibus. Mercurius, ex ſapientia, mercatura, induſtria, ingenio, opificio. Luna artificijs manualibus, mulieribus, itineribus; hæc tamen generaliter, particulariter verò.

Pars fortunæ in ſextili, aut trino Saturni in figura cæleſti diuitias tribuit ex rebus, & perſonis ſignificatis à Saturno; ſenibus, agricultura, terræ fructibus ſtabilibus, mortuis, hæreditatibus, alijſque dictis cap. de Planetis. In quadrato coniunctione, aut oppoſitione Saturni dat damna ex dictis cauſis in diuitijs.

Pars fortunæ cum corpore, Antiſcio, ſextili, aut trino Iouis ex perſonis Eccleſiaſticis, beneficijs, Magiſtratibus, legibus, Principibus; fortunamque præbet magnã in diuitiarum acquiſitione. In quadrato, oppoſito, & Contra antiſcio omnia minuuntur, & aliquando diſpendia adducit.

Sors cum ſextili, aut trino Martis ratione Martialium dat diuitias, re bellica adminiſtrationibus publicis, militibus, ludis, litibus. In coniunctione quadrato Antiſcio, & oppoſito damna ex rixis, itineribus, ludis, litibus, ſeruis.

Cum Venere, vel eius radijs beneficis, & Antiſcio diuitias pollicetur cauſa fæminarum, dote, donationibus, amicis, perſonis Venereis. In quadrato, vel oppoſito, vel contra Antiſcio diſpendia damna ex luxu, voluptatibus, delitijs, ornamentis, & huiuſmodi.

Cum Mercurio, eius ſextili, trino, Antiſcio; ex opificio, ſcripturis, mercibus, & Mercurialibus; cum quadrato, oppoſito, contra Antiſcio ex eiſdem damna, ſicut litibus, furtis, ſeruis, negotijs.

Pars fortunæ, eiuſque diſpoſitores in prima domo bene conſtituti diuitias tribuunt ex Nati induſtria, labore, opificio, ac vita; malè poſiti damna.

In domo ſecunda ex proprijs ſubſtantijs, fructibus ſuarum rerum, mercatura cum proprijs denarijs beneficè conſtituta; damna, malè, quod in omnibus intelligendum.

In tertia diuitias cauſa fratrum conſanguineorum, itinerum, rei eccleſiaſticæ, religionis benè poſita.

In quarta ex ſenioribus domus, theſauris, abſconditis, ſtabilibus, mercatura.

In quinta ratione filiorum, voluptatum, ſcripturarum, legationum.

In ſexta cauſa patrui, ſeruorum, animalium paruorum, artis Medicinæ.

ſeptima ex mulieribus, ſocijs, bello, litibus, vxore.

In octaua ex dote, hæreditatibus mortuis.

In nona ex itineribus longis ſcientijs, religione.

In decima ex honoribus, dignitatibus, Principibus, actionibus, opificio.

In vndecima ex amicis, ſtipendijs Principum, familiaribus, rebus ſperatis.

In duodecima ex inimicis, carceratis, animalibus maioribus.

Eodem fermè modo quo factum eſt ſcrutinium in Parte fortunæ, exequendum in ſecunda domo, atque diſpoſitoribus tam ſecundæ domus, quàm Partis fortunæ: an domus ſecunda dominetur à beneficis, vel maleficis; qui Planetæ ibi conſtituantur; quibus radijs irroretur, Iouis Veneris, an Martis vel Saturni; beneficis ſextili aut trino; an maleficis quadrato, aut oppoſito.

Cæterum primò ſciendum quod dicti diſpoſitores Partis fortunæ, & ſecundæ domus benè conſtituti diuitias decernunt ex ſuis ſignificatis per fas, & licitè: ſi male conſtituti per nefas, & deceptiones, mendacia, furta, rapinas, vſuras. Vt ſi fuerit Saturnus benè affectus per ſtabilia, agriculturam, hereditates; & ſimilia diuitias tribuit: ſi malè affectus per vſuras, rapinas furta, deluſiones, & ſimilia.

Sciendum ſecundò conſiderandos eſſe Planetas eleuatos ſupra dictos diſpoſitores qui ſi fuerint concordes, nec interſe deſſentientes, diuitias decernenr, remanſuras intactas, ac inlabefactatas; ſi diſſenſerint, labefactationem, & decrementum; quod non ſolum intelligendum de eleuatis ſupra diſpoſitores; verum etiam de Planetis aſpicientibus diſpoſitores; ſi hi fuenrint malefici, & concordes, vt commutantes dignitates cum diſpoſitoribus, vel in eorum dignitatibus diuitiæ augebuntur, mala quidem via, vt vſuris rapinis, remanebunt nihilominus intactæ. Si fuerint diſcordes, diuitiæ varijs ex cauſis acquiſitæ, amittentur, vt ex fiſco, latronibus, vel alijs modis; ſic ſi beneficæ fuerint eleuatæ, vel aſpexerint diſpoſitores, & fuerint concordes, cumulatæ diuitiæ erunt intactæ; ſi diſſenſerint peribunt, litibus, luxu, iudicijs, & cauſis ſimilibus.

Sciendum tertiò generali quadam via, ac ſimplici intuitu figuræ Cæleſtis plurimùm poſſe coniectari circa Nati ſtatum in diuitijs; hocque an plures Planetæ reperiantur in ſuis dignitatibus eſſentialibus; tunc enim illuſtrē Nati fortunam demonſtrabunt: quod contrarium continget ſi fuerint in ſuis detrimentis, caſibus, peregrini, vel aliomodo debiles.

Quartò ſciendum fortunam magnam decernere ſtellas regias cum luminaribus Parte fortunæ, ſecunda domo, aut earum diſpoſitoribus; ſicut in angulis principalioribus; Hinc plurimi extant obſeruati Aphoriſmi Antiquorum, quorum aliquos aſſeremus.

Tempora euentuum circa diuitias habentur ex ſitu ſignificatorum, ſicut aſpicientium; ſpeciatim verò ex Directionibus, progreſſibus, & ingreſſibus Partis fortunæ, ſecundæ domus, & diſpoſitorum. Planetæ in centris angulorum effectus ſucceſſuros ſtatim oſtendunt; in angulis in iuuentute; in ſuccedentibus in ætate media; in cadentibus in ſenectute. Orientales, vel in quarta orientali citò; occidentales, vel in quarta occidentali tardius. Ex directionibus Partis fortunæ, & domus ſecundæ, & Iouis ad beneficos bona in diuitijs decernentur, ad maleficos damna, quod idem dicendum de profectionibus, & ingreſſibus.

APHO-

Bonam diuitijs fortunam demonſtrant ſtellæ regiæ fixę cum luminaribus, Parte fortunæ, Diſpoſitoribus eius, & ſecundæ domus, ſecunda, & Ioue.

Iuppiter diſpoſitor Partis fortunæ, vel ſecundæ domus fortunam ſimilem præbet; ſic dominus Geniturę.

Iuppiter cum Venere, Luna, Parte fortunæ, vel Capite Draconis, vel ſtella regia magnas tribuit diuitias.

Coniunctio, aut oppoſitio luminarium dant diuitias, qua ſic Pars fortunæ eſt in angulo orientali, vel occidentali.

Iuppiter in 8. dominus octauæ in octaua; Saturnus, Luna, vel Venus in octaua dant diuitias ex hæreditate mortuorum;

Demonſtrant pauperem domini Partis fortunæ, vel ſecundæ domus combuſti, retrogradi, peregrini, in radio maleficorum, vel alio modo afflicti.

Saturnus, Mars, Sol in ſecunda abſque aſpectu beneficorum extra ſuas dignitates damna ſemper minantur.

Cauda Draconis cum Sorte in ſecunda, vel cum Ioue ſignificat magno labore pauca Natum acquiſiturum.

Iuppiter in primis ſex gradibus Arietis experientia fauet diuitijs.

Saturnus, & Iuppiter fortunati dant diuitias; Infortunati difficultant.

Caput Draconis cum ſorte, vel ſecunda dat diuitias.

Ambo infortunæ in angulis, & fortunæ in ſuccedentibus Natos in prima ætate pauperes oſtendunt, in ſecunda diuites.

Pars fortunæ, eiuſque diſpoſitor benè conſtituti, ſed irradiati, a maleficis decernunt etiam pauperes in prima ætate, in ſecunda diuites, quod idem intelligendum de ſecunda domo, & eius diſpoſitore.

Luna in 8. & dominus Aſcendentis in prima 2. vel 12. domo demonſtrant fortunam aduerſam in ludis taxillorum.

Fidicula in 2. cum Sorte, Venere, Ioue, vel domino Sortis, aut domus ſecundæ tribuit affluentiam diuitiarum.

Dexter humerus Aurigæ, vel Orionis, Arcturus, Spica Virginis, Regulus, cum Ioue, ſic Lyra, vultur volans, Cauda Cygni magnas tribuunt diuitias, ſic in ſecunda domo.

Spica Virginis, Regulus, cum Parte fortunæ ſimiliter.

Saturnus cum Arcturo dat rerum profligationem.

Saturnus cum ſpica Virginis mendicitatem.

Caput Meduſæ cum ſorte, vel in ſecunda, vel cum earum dominis decernit bonorum confiſcationem, vel bonorum ex alia cauſa deſtructionem.

Pleiades in ſecunda, vel cum ſorte diuitiarum profligationem.

Iuppiter, & Venus in ſecunda diuitias tribuunt vt plurimum eccleſiaſticas, vel per viam religionis: ſicut oppoſiti dant diuitias, & lucra.

Decernunt fortunam in fodinis metallicis Saturnus dominus quartæ in quarta, & in ſuis dignitatibus, & benè affectus; ſic dominus quartæ diſpoſitor luminarium.

Stellæ fixæ Iouiales, & Venereæ cum Luna, Sole, ſorte dant diuitias.

Stellæ

Stellæ Saturiæ dant implicationes, & miſerias, pręcipuè cum Sole.

Ioniales cum Marte faciunt prodigos.

Martiales, & Saturninę, cum Ioue, Sorte, in ſecunda ſunt nocuæ.

Iuppiter in quarta auget patrimonium.

Saturnus dominus quartæ in quarta dat ſtabilia, & bona in mineris metallorum.

Luna in occidente cum Capite Draconis diuitias pollicetur, præſertim ſi Iuppiter ſit in ſecunda, vel potens in ſecunda, vel ſorte.

Dominus Partis fortunę, vel domus ſecundę in ſua exaltatione facit diuites.

Saturnus de die in 8. in ſuis dignitatibus. Dominus octauæ in Medio Cęli, vel cum Parte fortunæ, vel eius diſpoſitore dant hæreditates.

Venus in Tauro, Saturnus in Libra dant diuitias præcipuè cum auxilio Iouis.

Iuppiter retrogradus, vel combuſtus dat diuitias in fine vitæ.

Iuppiter debilis, & Mercurius in quadrato Saturni faciunt pauperes.

Iuppiter in Virgine in 12. vel cum Cauda Draconis facit pauperes, ſic in 6.

Tres, aut quatuor Planetæ in ſuis dignitatibus dant diuitias magnas.

Faciunt ditiſſimos Sol in ♋ Iuppiter in ♈ Vel Iuppiter in ♈ Sol in ♐. Vel Sol in ♐, & Iuppiter in ♌. Vel Saturnus in ♋, Iupiter in ♎.

Iuppiter, & Venus male affecti faciunt pauperes. Sic Luna cum Saturno: Malefici in angulis, & benefici in cadentibus.

Iuppiter, vel Venus in Corde Solis faciuut ditiſſimos.

Luminaria, & eorum domini in ſuis dignitatibus, & locis principalibus figuræ vt in prima, decima, vndecima, ſecunda, quinta proſperos ſuceſſus pollicentur in diuitijs, & reliquis præcipuè ſine noxa Saturni, aut Martis.

Dominus ſecundæ combuſtus, & dominus Partis fortunæ malè conſtitutus decernunt paupertatem.

Stellæ de natura Veneris, & Iouis cum Solis ſatellitio, vel cum Luna diuitias, & dignitates impartiuntur.

Dominus ſecundæ non applicatus domino Aſcendentis paruam tribuit fortunam in acquiſitione diuitiarum.

Qui Martem habent in octaua caueant à mercatura.

Mercurius in ſecunda cum radio Martis diuitias ex malis artibus, vel actionibus tribuit.

Illi non erunt pauperes, quorum Almuten Natiuitatis fuerit Iuppiter, & loca Planetarum, & principalia fuerint in dignitatibus Iouis.

Cùm Saturnus, & Iuppiter fortunis præfuerint, & ambo infelices; vix Nati in victu habebunt digna laboribus.

Cùm verò Saturnus, & Iuppiter fuerint fortes in ſuis dignitatibus, & ex angulis ſe reſpexerint beneficè diuites Nato decernent, & fortunatos.

Saturnus malè affectus cum ſorte, ſecunda, vel earum dominis ex quadrato, aut oppoſito vel Natos decernit ſine diuitijs; vel illis non gauiſuros.

In Natiuitate diurna Vnus in Tauro, Saturnus in Libra ſine noxa, diuites faciunt.

Iuppiter in duodecima in Virgine affert paupertatem; Si verò Mercurius do-

minus

minus fuerit benè affectus decernit Natos in initio vitæ pauperes, proceſſu temporis ſe ditaturos.

Saturnus dominus quartæ domus, ibi conſtitutus benè affectus, opum affluentiam pollicetur ex terræ fructibus, & cultura, ſtabilibus, & fodinis metallicis; præcipuè in fixis ♒ ♉ quamuis afferat multoties periculum violentiæ.

Dominus quartę receptus à luminaribus, vel dominus luminarium fortunam demonſtrat ex fodinis metallicis.

Iuppiter combuſtus, & Mercurius, vel dominus Partis fortunæ, aut ſecundæ in quadrato Saturni dat inopiam.

Iuppiter in ſecunda retrogradus; & in ſecunda infortuna peregrina faciunt pauperes.

Opes magnas decernunt, coniunctio Iouis, Veneris, & Lunæ, Iouis Lunæ, & Capitis Draconis; feliciter in bono cęli loco.

Diuites faciunt Sol in Cancro, Iuppiter in Ariete; Iuppiter in Ariete, Sol in Sagittario. Sol in Sagittario, Iuppiter in Leone. Iuppiter in Libra, Saturnus in Cancro; ob mutuas receptiones. Sic Iuppiter, & Luna iuncti in eodem gradu.

Pars fortunæ in ſecunda abſque maleficis; & eius dominus in bono ſtatu decernunt diuitias abſque labore, & moleſtijs.

Pars fortunæ in quarta cum domino Aſcendentis diuitias permanentes decernit, ſi hoc modo fuerit in tertia diuitias in itineribus.

DE FORTVNA HONORIS, ET DIGNItatis. Cap. XVIII.

QVemadmodum de diuitijs diximus, ita de honoribus diſtinguendum eſt non intelligi videlicet de ijs, qui habentur iure hæreditario, & à Parentibus in filios transferuntur, vt regna, dominia, & reliqua: ſed qui virtute acquiruntur, aut fortuna: quorum contemplatio dependet ex luminaribus, & eorum ſitu; nec non Planetis Satellitijs, ſeu luminaribus propinquis ad 30. gradus; circa quæ ſeptem conſtitutiones poſſunt contingere, & ſeptem hominum conditiones, ſeù ſtatus in honoribus à ſupremo ad vltimum, iuxta Ptolemæi decreta.

Primus ſtatus. Si ambo luminaria fuerint conſtituta in angulis, atque in ſignis maſculinis, ſiue eorum maximè conditionarium, vt Sol in Natiuitate diurna, & Luna in nocturna: & Planetæ reliqui quinque fuerint orientales à Sole, & occidentales à Luna, & propinqui luminaribus ad triginta gradus: Reges erunt, qui naſcentur.

Secundus ſtatus. Si ſic poſitis luminaribus in angulis, & ſignis maſculinis, & ſatellitij dicti fuerint etiam in angulis, vel cum Medio Cæli configurati, decernent potentiam magnam, ſtabilem, ac ferè Orbis Imperium; maiorque felicitas erit, ſi ſatellitij aſpexerint Medium Cęli radijs dextris, hicque ſtatus eſt omnium ſupremus, ac priori anteponendus.

Tertius ſtatus. Si Sol fuerit in ſigno maſculino, Luna in fæminino, & luminare conditionarium in angulis, Nati erunt Duces, vitæ, nec iſque dominij, gladij poteſtatem obtinentes: verùm neceſſe eſt, vt ſatellitij vel ſint in angulis,

gulis, vel cum Cæli medio configurati.

Quartus ſtatus. Si luminare vnum fuerit in ſigno maſculino, & in angulo; reliquum in fęmino, & extra angulum, ſatelliteſque, ſeu laterones nec fuerint in angulis, nec cum Medio cæli configurati, Nati erunt illuſtres ratione Pręfecturarum, Magiſtratuum, gubernij, ductatione exercitus, ac huiuſmodi: cum hoc tamen, quod non erunt Duces, neque Principes, quorum potentia etiam in ſubditos delatetur: Quod idem contingit ſi luminare in ſigno fęminino fuerit in angulo, & in maſculino extra: quamuis melius ſit eſſe in angulo, quod fuerit in ſigno maſculino.

Quintus ſtatus. Si luminaria fuerint extra angulos, & laterones in angulis, vel cum Medio Cęli configurati, Nati ciuilibus dignitatibus fruentur, excellentque in mediocritate ſui generis, ac inter pares; & quamuis nouam dignitatem non acquirant, retinebunt ſuam hęreditariam: ſi enim fuerit Rex, regnum aliud non acquiret, erit tamen honorabiliori loco inter alios Reges habitus ob animi dotes, regnandi ordinem, & alia; quod idem exiſtimandum eſt in alterius conditionis hominibus.

Sextus ſtatus. Si nec luminaria, nec ſatellitij fuerint in angulis, nec cum ſuperiori cęli cardine configurati. Nati erunt ad honores inepti, nullis dignitatibus promouendi; obſcura, & humili conditione. Hac tamen conſtitutione exorti, non omnino abſque aliqua honorum ſpe eſſe debent: loquimur enim hic de honoribus, qui fortuna acquiruntur; poterunt his hominibus honores aliunde ſuſcitari; virtute nimirum duce, labore eximio, conſenſu cum Principum Genituris, ac aliter, quod non contingit in ſtatu ſequenti infeliciſſimo.

Septimus ſtatus. Cùm luminare vtrumque fuerit extra angulos, & peius in domibus cadentibus, nec in ſignis maſculinis, nec habuerint Planetas ſatellites; tunc abiecto nimis, & infelici animo naſcuntur ab omnibus ſpreti, & vilipenſi.

Pro exactiori notitia ſciendum, Planetas in agulis, pręcipuè in centris angulorum eſſe validiſſimos, & magis in orientali, aut Meridiano, ſuaſque vires diffundere in inferioribus validiores, quàm alibi collocati, cum agant radijs rectis; vt patet in Sole, qui in Meridie excalefacit potentius; & Planetas conſtitutos in ſignis maſculinis pręſertim regijs ♈ ♌ ♐, vt maioris actiuitatis, oſtendere promptitudinem quamdam, & efficaciam in negotijs tractandis; quę plurimùm conducere ad acquirendos, & retinendos honores docet experientia; Planetę deinde orientales à Sole, occidentales à Luna ſunt robuſtiſſimi; hinc ex tribus his conditionibus Planetarum, robur maximum oſtenditur in honoribus decernendis.

In ſeptimo ſtatu luminaria in cadentibus ab angulis, pręcipuè in 6. 12. Natos morboſos generant, atque debiles, vt ſuperius diximus; ac aliquando monſtruoſos, vel vitijs corporis afflicti ſi malefici fuerint in angulis dominantes; & ſic inhabiles ad labores, & negotia tractanda; quæ conſtitutio etiam facit peregrinos, perpetuiſque itineribus implicitos, quæ maximè homines deuiant à negotijs. Luminaria deinde hoc modo conſtituta demonſtrant Natos pauperes inefficaces, ſpernendos; & in ſignis fęmininis procreant effeminatos, alienos à rerum inſignium cogitatione, viles neglectos, abſque authoritate. Solitaria inſuper luminaria abſque lateronibus Natos aliorum auxilio

deſtitutos

Digitized by Google

deſtitutos demonſtrant, & quià conſanguineis, & extraneis derelicti infeliciter vitam degant.

Adiuuantibus tandem maleficis, Natis vitia, morbique contingunt, vt defectus oculorum, linguæ impedimenta, aliarumque corporis partium, vt ſimili conſtitutione docet experientia. Hinc cum primo Ethicorum humana felicitas in animi, corporis, & fortunæ bonis conſiſtat; Nati hoc ſeptimo ſtatu omnibus orbati hanc vitam infeliciteter pertranſibunt.

Notandum: quod etſi Planetæ non ſint luminaribus coniuncti, propinquique ad 30. gradus, vel in eodem, vel in alio ſigno, poſſunt etiam eſſe ſatellitij per aſpectum, cum aſpicientes luminaria partiliter, aut platicè hac etiam prærogatiua gaudeant.

Notandum ſecundo. Conſtitutiones primi, & ſecundi ſtatus rariſſimè contingere ob Planetarum difficultatem poſitionis: ſi tamen aliquando accidant, Nati à pluribus cauſis impediuntur: nam primò pauci horum viuunt habentes maleficos in Centris angulorum, & ſi aliquando nutriantur eſſe corporis vitijs implicitos cum à maleficis luminaria infeſtentur. Secundò detinentur maximis animi vitijs, cum luminaria in ſignis maſculinis vitia decernant circa Venerea, prædicantque Natos omnium ſpretores, ſingulos parui facientes: in cauſa vt alieni ab aliorum conſuetudine, prohibeantur à negotijs magnis.

Deinde ſi nutriantur, pereunt multoties ex varijs cauſis, antequam dignitatibus potiantur: Si verò naſcantur, & viuant dominia obtinebunt, vt aſſiduò patet in Pontificibus alijſque, & olim in 30. Tirannis Galieni, qui omnes Imperatores nominati ſunt.

Poſitis ſeptem his ſtatibus hominum in dignitatibus; intermedij qui innumeri eſſe poſſunt coniectura aſſequuntur ex luminarium conſtitutione, atque ſatellitiorum, an luminaria ſint in angulis, ſuccedentibus, cadentibus, in centris domorum, in medio, in extremo; nam in centris agunt potentius, minus in medio, minimum circa finem; ſic in Medio Cæli, aut altero angulo, ſupra, vel ſub terra; in ſuis dignitatibus, vel peregrini; ex quorum conſtitutione, debilitate, aut robore, depreſſiones, & Nati eleuationes cognitæ erunt. Eodem modo ex ſatellitiorum qualitate cognoſcentur ſtatus intermedij; an fuerint benefici, malefici, orientales, occidentales, peregrini, in ſuis dignitatibus, fortes, debiles, cum aſpectu beneficorum, maleficorum, afflicti à maleficis, in bono ſtatu, ac alijs modis. Significatores in ſuis dignitatibus honores, adminiſtrationes, publica officia, dignitateſque pollicentur in domicilijs nempe, & exaltatione, in alijs dignitatibus, vt trigono, finibus omnia erunt mediocria, & minora.

Ad cognoſcendum an dignitates augmentum, vel decrementum ſortiantur; an Natus dignitates retinebit, an euaneſcant conſiderandus eſt dominus loci ſatellitiorum: ſi enim fuerit beneficus, & cum ſatellitijs concordauerit, authoritate quadam ſtabilitatem in dignitatibus, & incrementum pollicetur. Si maleficus, vel ſi beneficus non concordauerit cum ſatellitijs omnia reddentur humiliora, incerta, tarda, difficilia. Hæc etiam oſtendent luminarium, & ſatellitiorum poſitio; nam ſi ſatellites potentes, beneficique fuerint, creſcet felicitate quadam dignitatis ſtatus; ſi mediocriter fortes creſcet quidem ſta-

tus, ſed cum difficultate; ſi fuerint debiles durabunt honores ad tempus, decreſcentque, licet omnino non euaneſcant. Si Mars, & Saturnus fuerint ſatellitij, ac potentes, difficultatibus cum magnis acquiſitę dignitates in tactę permanebunt; ſi mediocriter validi minuentur paulatim licet non omninò; ſi debiles illico honores euaneſcent. Mercurius ſatellitum fortunatus duraturas decernit dignitates; ſed ſi creſcent, erit cum difficultate; ſi mediocriter ſitus minatur caſum ab honoribus; verùm non ſuccedet effectus; ſi debilis erunt ad tempus, & cum exitu prauo, & calamitoſo.

Si in Natiuitatibus non adfuerint ſatellitij, conſiderandi ſunt Planetæ poſiti in Medio Cæli, & Dominus Medij Cæli, eodem ordine, vt diximus de ſatellitijs, an debiles, fortes, occidentales, orientales, benefici, malefici, in ſuis dignitatibus peregrini, & ex illis de honoribus coniectandum.

Cauſa honoris, & dignitatis auſpicatur, ex ſatellitijs; ac ex fortiori ſi plures adfuerint; & ſi ſatellitij fuerint debiles ex dominio ſatellitiorum, & ex Ptolemæo hoc pacto.

Saturnus dominus dignitates tribuit ex opum cupiditate, hæreditatibus, ſenioribus, Natu maioribus, agricultura, alijſque à Saturno decretis.

Iuppiter, & Venus propter honeſtatem, virtutes, grauitatem, iuſtitiam, religionem, perſonas, & res à Venere, & Ioue ſignificatas.

Mars expeditionibus, fortiter geſtis, arte militari, victorijs, adminiſtrationibus, & huiuſmodi.

Mercurius ob ingenium, peritiam, prudentiam, doctrinam, aliaque Mercurij ſignificata.

His addenda eſt conſideratio domus, in quibus fuerint ſatellitij, cum diſtributiones domorum plurimum ad artem conducant: hinc ſatellitij in prima domo decernunt Natum dignitates ſuapte natura aſſequuturum, ſua perſona, atque labore. Si in ſecunda ratione diuitiarum. In tertia ratione itinerum, religionis, conſanguineorum, ſicque coniectando in ſignificationibus aliarum domorum.

Conſiderandi inſuper, vt diximus, ſunt Planetæ in Medio Cæli, vel domini medij cæli: qui futuræ dignitatis qualitatem decernent, conſiderata eorum natura, ſignificatione, & loco. Vt ſi fuerit Mars in medio cæli potens ſignificabit ex ſuis ſignificatis, vt militiam, & in decima, quæ decernit honores, ſignificabit dignitatem in militia, facietque fortunatum militem; quod idem ſignificabit in alijs angulis fortunatus, dummodo fuerit dominus medij cæli.

Tempora propitia ad honores, ſicut infauſta venamur ex directionibus Solis medij cæli, & diſpoſitorum medij cæli; multoties etiam ex Ioue; de quibus in Directionum prognoſticis diſſerimus vberrimè.

Circa honores plurimæ afferuntur obſeruationes Antiquorum, quarum aliquas ſelectiores numerabimus.

Sciendum tamen prius, præter has conſtitutiones enarratas luminarium, ſatellitiorum, medij cæli, & diſpoſitorum, dignitates maximas decerni ex magnis coniunctionibus Planetarum ſuperiorum, mutationibus trigonorum, ex quibus Imperiorum, Monarchiarum, ſectarumque mutationes contingunt in Mundo; Natique habentes luminaria, medium cæli, Aſcendens,

vel

Digitized by Google

vel Partem fortunæ in illarum coniunctionum locis, abſque alia cæleſti cauſa maximis honoribus ſubleuantur. Sic ex ſtellis fixis regijs dignitates eximiæ proficiſcuntur incidentes in illis locis Geniturarum, & Nati ex humili conditione ad gradus altiſſimos honorum euehuntur, ita vt aſſerant Antiqui plus poſſe in hoc ſtellam fixam regiam, quàm Planetæ ſeptem, quamuis multoties ſi à beneficis non adiuuentur exitum calamitoſum portendant.

Stellæ regiæ 1652.		D.	'	*Latitudines.*		
Regulus, ſeu Cor Leonis	♌	25	3	0	26	B
Pallilirium, oculus Tauri	♊	5	9	5	31	M
Antares, Cor Scorpij	♐	5	9	4	27	M
Hercules, Caput	♋	18	39	6	38	B
Spica Virginis	♎	19	12	2	0	M
Luminoſior locus Auſtralis	[illegible]	10	24	0	26	B

APHORISMI OBSERVATI.

Regulus cum Sole in medio cæli, vel Aſcendente; dignitates tribuit magnas ſi à beneficis adiuuetur.

Canis Syrius, ſicut Phrocion cum Sole, Aſcendente, vel medio cæli dat honores magnos, & authoritatem ſuper alios cum faſtu magno.

Spica Virginis cum luminaribus, medio cæli, vel Aſcendente dignitates altas impartitur, præcipuè eccleſiaſticas.

Caput Meduſæ culminans cum Ioue, vitæ neciſque poteſtatem tribuit; ſic cum Sole, etiam ſi non reſpiciatur à Ioue.

Pleiades, Hyades orientes cum Sole, vel Luna faciunt Duces, Equites, Tribunos, equitum magiſtros.

Pallilirium, Antares cum luminaribus dant magnas dignitates: ſed cum periculis, & anxietatibus abſque beneficis, in angulis præcipuè medij cæli, & orientali.

Fomahand, ſeu vltima infuſione aquę Aquarij in medio cæli, vel in Aſcendente dat nominis immortalitatem, mediat cælum cum gr 7. ♓.

Hyades, Pleiades, Lanx Auſtrina, Hercules, Antares cum Luminaribus, vel in medio cæli, vel in oriente cum teſtimonio beneficorum, grandes dant dignitates; ſine beneficis infortunia.

Stellæ Iouiales, & Venereæ cum luminaribus dant honores, & diuitias.

Saturninę cum Sole varijs miſerijs Natos implicant.

Iouiales cum maleficis ſignificant laborioſos, nec à miſerijs emergentes.

Saturninæ cum Marte, auaros, ſordidos.

Stellæ Iouiales cum Marte faciunt prodigos, decoctores. Cum Mercurio aleatores; cum Venere ſcortatores.

Martiales, & Venereæ cum Ioue ſeueros, diuque viuentes.

Malefici in angulis vel honores denegant, vel retardant.

Sol cum Marte, Ioue, & Saturno in octaua dignitates non duraturas tribuunt: ſed iam caſurum felicem Natum in miſerijs progreſſu temporis.

Satellitij, vel dominus medij cæli in domo cadente dignitates, ſtatu vario, ac mutabiles demonſtrant.

Dominus Medij cæli abſque aſpectu domini Aſcendentis contrarietates dat à Principibus.

Dominus Aſcendentis retrogradus abſque aſpectu domini Medij cæli odia Principum demonſtrat.

Dominus Aſcendentis cum domino Medij cæli dat Principum familiaritates.

Luna cum Ioue, vel ſi feratur ad Iouem, gloriam felicitatem pollicetur, honores, & adminiſtrationes, ſi à maleficis non infeſtetur.

Sol cum Luna in Aſcendente cum aſpectu beneficorum dignitates, & dominium portendit.

Sol cum Ioue in Medio cæli ſemper dignitates impartitur præcipuè cum trino Lunæ.

Iuppiter, & Mercurius in Aſcendente faciunt claros, magnos in honoribus; de die Præfectos Ciuitatum; de nocte Aduocatos, Procuratores.

Iuppiter in Medio cæli cum radijs luminarium facit Prælatos, dignitates affert in religione, & alterius ordinis à populo claros.

Venus in corde Solis ingentes dignitates elargitur, ſi a maleficis non affligatur.

Mars fortunatus in Aſcendente dat honores in re bellica, adminiſtrationes publicas, ductationem exercitus.

Mars in Medio cæli noctu facit à Magnatibus honorari; et ſi fuerit dominus Aſcendentis dignitates viribus, & crudelitate acquirendas decernit.

Saturnus in natiuitate diurna in ♑ in Medio cæli, & Sol in Aſcendenti publicas dignitates impartiuntur, faciunt Præfectos prouinciarum, Ciuitatum, Duces, & huiuſmodi.

Saturnus in Natiuitate nocturna in Medio cæli, mala affert in honoribus, & Vita.

Medium cæli in dignitatibus maleficorum, mediocrem, ſed perpetuam tribuit dignitatem. In dignitatibus beneficorum multam exaltationem: ſed tandem cum caſu aliquando.

Gradus Medij cæli exaltatio Iouis, aut Solis celebre nomen diffundit.

Mars in Medio cæli per noctem in ſuo domicilio, aut Iouis in ſigno maſculino adminiſtrationes impartitur, facit vitæ, neciſque dominos cum poteſtate gladij; et ſi Luna, aut Iuppiter alterum Cardinem poſſederit regiam tribuit potentiam.

Sol in decima in ſuis, aut Iouis dignitatibus facit Principes, quibus à Patre dominium traditur; et ſi alterum cardinem Mars poſſederit, Nati dominium acquirent per periculoſas adminiſtrationes, pugnas, vel huiuſmodi; verùm ſi fuerit Mars in occaſu, tandem ob id erit exul vel captiuus.

Venus in decima in ſuis dignitatibus honores claros, & gloriam demonſtrat; cum Saturno autem, vel Marte facit infames.

Mercurius in Medio cæli matutinus in radio benefico Iouis, aut Veneris magnas tribuit adminiſtrationes rerumpublicarum, vel Principum: verùm ſi irradietur à Marte quadrato, aut oppoſito mala affert in honore, & vita.

Sol in Medio cęli in ſigno regio, Mars, & Iuppiter etiam in ſignis regijs, ferè in eodem gradu, regiam tribuunt poteſtatem.

Sol

Digitized by Google

Sol cum Venere in eodem gradu in ſigno regio, & Iuppiter, & Luna in ♌ vel ♐ demonſtrant ſimiliter regiam authoritatem.

Venus in corde Solis ſemper ingentes elargitur honores, ſi à maleficis non affligatur Saturno, aut Marte.

Sol, Iuppiter, & Mars in trigono aqueo; Luna in quadratis Iouis, & Martis, Sol & Iuppiter cum aliqua ſtella regia magna portendunt in honoribus: ſed Iuppiter in primo caſu non ſit iunctus Soli.

Coniunctio Solis, Veneris, & Martis in ♉ ♎, præſertim circa Pleiades, vel ſpicam Virginis, dat magnam potentiam: ſed atroces producit morbos.

Sol, Luna, Iuppiter ſe reſpicientes trigono ex eiſdem partibus dignitatem amplam, & potentiam demonſtrant.

Eadem decernunt Sol in ♐ in medio cæli, & Venus, & Iuppiter in ♌ vel ♈ vel cum aliqua ſtella regia.

Eadem Sol in ♋, Luna in [illegible]. Iuppiter in [illegible] aut ♓; & illuſtrem tribuent dignitatem.

Sol in ſuo trigono, Luna, in ♉, alterum in medio cæli cum aſpectu Veneris, aut Iouis trino dant honores.

Coniunctio Lunæ, Veneris, & Iouis. Coniunctio Iouis, & Veneris in medio cæli, aut Aſcendente; Iuppiter, vel Luna cum Capite Draconis in medio cæli in ♈ ♋ ♐ ♓ ſemper honores impartiuntur.

Sole exiſtente in principio Arietis, Nati vt plurimùm dignitatibus fruuntur.

Sol in prima in ſigno regio, Iuppiter, & Venus in ſecunda cùm Sol ad eos directione peruenerit dignitatem pollicetur; ſic Sole in medio cæli, & Iuppiter, & Venus in domo vndecima.

Sol, Iuppiter Saturnus, & Mars in ſignis regijs ſe aſpicientes ratione dominij, & potentiæ nomen celebre, & magnum demonſtrant.

Sol in quarta cum ſtella regia poſt mortem dat nominis claritatem.

Sol in cuſpide ſeptimæ tribuit honores, & gloriam poſt mortem.

Sol in ſexta aduerſatur honoribus, niſi fuerit in trino medij cæli.

Sol cum Saturno in ſeptima negat honores, ſic cum Cauda Draconis, & nocet Vitæ.

Luna cum Corde Leonis, Sol cum Capite Draconis; Iuppiter in medio cæli honores tribuunt, & ruſticum exaltant: ſi Iuppiter ſit in trino Martis.

Luna in prima, Sol cum Venere partiliter honores tribuunt magnos.

Authoritatem apud Principes demonſtrant Iuppiter, & Luna in Cancro in medio cæli, vel Aſcendente.

Iuppiter, & Venus in medio cæli exaltant Natos præcipuè in Piſcibus.

Luna de nocte oppoſita Soli dat nominis claritatem.

Luna in quarta tribuit poſt noctem diuturnam memoriam, licet variam.

Luna in Aſcendente plena in ſuis dignitatibus facit Natos fortunatos, & patribus honorabiliores.

Luna in Aſcendente, Sol in ſeptima cum radio Iouis ex quarta, potentiam, & diuitias elargitur, dat magiſtratus, legationes, & huiuſmodi.

Luna in medio cæli per noctem creſcens in ſuis dignitatibus cum radio trino aut Sextili Iouis magna tribuit negotia, & adminiſtrationes.

Digitized by Google

Dominus Medij cæli abſque aſpectu domini Aſcendentis contrarietates dat à Principibus.
Dominus Aſcendentis retrogradus abſque aſpectu domini medij cæli odia Principum demonſtrat.
Dominus Aſcendentis cum domino medij cæli dat Principum familiaritates.
Luna cum Ioue, vel ſi feratur ad Iouem, gloriam felicitatem pollicetur, honores, & adminiſtrationes, ſi à maleficis non infeſtetur.
Sol cum Luna in Aſcendente cum aſpectu beneficorum dignitates, & dominium portendit.
Sol cum Ioue in medio cæli ſemper dignitates impartitur præcipuè cum trino Lunæ.
Iuppiter, & Mercurius in Aſcendente faciunt claros, magnos in honoribus; de die Præfectos Ciuitatum; de nocte Aduocatos, Procuratores.
Iuppiter in medio cæli cum radijs luminarium facit Prælatos, dignitates affert in religione, & alterius ordinis à populo claros.
Venus in corde Solis ingentes dignitates elargitur, ſi a maleficis non affligatur.
Mars fortunatus in Aſcendente dat honores in re bellica, adminiſtrationes publicas, ductationem exercitus.
Mars in medio cæli noctu facit à Magnatibus honorari; et ſi fuerit dominus Aſcendentis dignitates viribus, & crudelitate acquirendas decernit.
Saturnus in natiuitate diurna in ♑ in medio cæli, & Sol in Aſcendenti publicas dignitates impartiuntur, faciunt Præfectos prouinciarum, Ciuitatum, Duces, & huiuſmodi.
Saturnus in Natiuitate nocturna in medio cæli, mala affert in honoribus, & Vita.
Medium cæli in dignitatibus maleficorum, mediocrem, ſed perpetuam tribuit dignitatem. In dignitatibus beneficorum multam exaltationem: ſed tandem cum caſu aliquando.
Gradus medij cæli exaltatio Iouis, aut Solis celebre nomen diffundit.
Mars in medio cæli per noctem in ſuo domicilio, aut Iouis in ſigno maſculino adminiſtrationes impartitur, facit vitæ, neciſque dominos cum poteſtate gladij; et ſi Luna, aut Iuppiter alterum Cardinem poſſederit regiam tribuit potentiam.
Sol in decima in ſuis, aut Iouis dignitatibus facit Principes, quibus à Patre dominium traditur; et ſi alterum cardinem Mars poſſederit, Nati dominium acquirent per periculoſas adminiſtrationes, pugnas, vel huiuſmodi; verùm ſi fuerit Mars in occaſu, tandem ob id erit exul vel captiuus.
Venus in decima in ſuis dignitatibus honores claros, & gloriam demonſtrat; cum Saturno autem, vel Marte facit infames.
Mercurius in medio cæli matutinus in radio benefico Iouis, aut Veneris magnas tribuit adminiſtrationes rerumpublicarum, vel Principum: verùm ſi irradietur à Marte quadrato, aut oppoſito mala affert in honore, & vita.
Sol in medio cæli in ſigno regio, Mars, & Iuppiter etiam in ſignis regijs, ferè in eodem gradu, regiam tribuunt poteſtatem;
Sol

Sol cum Venere in eodem gradu in ſigno regio, & Iuppiter, & Luna in ♌ vel ♐ demonſtrant ſimiliter regiam authoritatem.

Venus in corde Solis ſemper ingentes elargitur honores, ſi à maleficis non affligatur Saturno, aut Marte.

Sol, Iuppiter, & Mars in trigono aqueo; Luna in quadratis Iouis, & Martis, Sol & Iuppiter cum aliqua ſtella regia magna portendunt in honoribus: ſed Iuppiter in primo caſu non ſit iunctus Soli.

Coniunctio Solis, Veneris, & Martis in ♉ ♎, præſertim circa Pleiades, vel ſpicam Virginis, dat magnam potentiam: ſed atroces producit morbos.

Sol, Luna, Iuppiter ſe reſpicientes trigono ex eiſdem partibus dignitatem amplam, & potentiam demonſtrant.

Eadem decernunt Sol in ♐ in medio cæli, & Venus, & Iuppiter in ♌ vel ♈ vel cum aliqua ſtella regia.

Eadem Sol in ♋. Luna in [illegible]. Iuppiter in [illegible] aut ♓, & illuſtrem tribuent dignitatem.

Sol in ſuo trigono, Luna, in ♉, alterum in medio cæli cum aſpectu Veneris, aut Iouis trino dant honores.

Coniunctio Lunæ, Veneris, & Iouis. Coniunctio Iouis, & Veneris in medio cæli, aut Aſcendente; Iuppiter, vel Luna cum Capite Draconis in medio cæli in ♈ ♋ ♐ ♓ ſemper honores impartiuntur.

Sole exiſtente in principio Arietis, Nati vt plurimùm dignitatibus fruuntur.

Sol in prima in ſigno regio, Iuppiter, & Venus in ſecunda cùm Sol ad eos directione peruenerit dignitatem pollicetur; ſic Sole in medio cæli, & Iuppiter, & Venus in domo vndecima.

Sol, Iuppiter Saturnus, & Mars in ſignis regijs ſe aſpicientes ratione dominij, & potentiæ nomen celebre, & magnum demonſtrant.

Sol in quarta cum ſtella regia poſt mortem dat nominis claritatem.

Sol in cuſpide ſeptimæ tribuit honores, & gloriam poſt mortem.

Sol in ſexta aduerſatur honoribus, niſi fuerit in trino medij cæli.

Sol cum Saturno in ſeptima negat honores, ſic cum Cauda Draconis, & nocet Vitæ.

Luna cum Corde Leonis, Sol cum Capite Draconis; Iuppiter in medio cæli honores tribuunt, & ruſticum exaltant: ſi Iuppiter ſit in trino Martis.

Luna in prima, Sol cum Venere partiliter honores tribuunt magnos.

Authoritatem apud Principes demonſtrant Iuppiter, & Luna in Cancro in medio cæli, vel Aſcendente.

Iuppiter, & Venus in medio cæli exaltant Natos præcipuè in Piſcibus.

Luna de nocte oppoſita Soli dat nominis claritatem.

Luna in quarta tribuit poſt noctem diuturnam memoriam, licet variam.

Luna in Aſcendente plena in ſuis dignitatibus facit Natos fortunatos, & patribus honorabiliores.

Luna in Aſcendente, Sol in ſeptima cum radio Iouis ex quarta, potentiam, & diuitias elargitur, dat magiſtratus, legationes, & huiuſmodi.

Luna in medio cæli per noctem creſcens in ſuis dignitatibus cum radio trino aut Sextili Iouis magna tribuit negotia, & adminiſtrationes.

Dominus medij cæli in ſuis dignitatibus applicatus domino Aſcendentis orientalis, honores in regno pollicetur, & Principum familiaritatem. Sic dominus Aſcendentis orientalis prope ſolem, vel in radio benefico ſolis.

Dominus Aſcendentis applicatus domino exiſtenti in ſua exaltatione decernit Natum ex ſe ipſo honores cumulaturum.

Mars dominus Aſcendentis in medio cæli Natum decernit cum potentia, & authoritate magna; qua perperam vtetur.

DE ACTIONIBVS, ET OPIFICIO Nati. Cap. XIX.

ARtium, & ſcientiarum diuiſiones afferuntur plurimæ; Contendunt plurimi omnes reduci, ad philoſophicam, politicam, & mechanicam; ad philoſophicam namque ſingulæ pertinent, quæ ingenij contemplatione verſantur, vt ſcientiæ omnes; Ad politicam omnes, ex quibus regitur orbis; Regna, Reſpublicæ, Ciuitateſque gubernantur. Ad mechanicam, quæ manibus operantur, quęq; ſubiectū oculis conſpicuum derelinquunt. Has ſingulas Ptolemæus comprehendit ſub diuiſione in contemplatiuas, morales, & expolientes, & imitantes opera naturæ: continent enim contemplatiuæ ſcientias; morales iuriſprudentiam, munus docendi, magiſtratum gerere, ac reliqua ſimilia; expolientes, vt metallica, negotiatio, ædificatio, fabrilis; imitantes, vt herbaria. Artes in duo genera diſtinxit Galenus; nam aliæ efficiunt, vel reſarciunt, vt Architectonica, ædificatio, fabrilis; aliæ docent acquirere, quæ iam effecta ſunt à natura, vt piſcatio, venatio, lignorum tractatio, & huiuſmodi.

Proprior huic noſtro negotio videtur diuiſio, quod inter opificia alia exercentur induſtria, & ingenio; alia voluptate, & delectatione; alia labore, & fortitudine. Quæ induſtria exercentur cum ſpectent ad animam, diligentiam, ſolertiam, ingeniumque requirunt, vt ſunt omnes ſcientiæ, quæ ingenij contemplatione verſantur; ſuntque propriæ animi; quamuis enim corporis medio indigeant; vt docere, ſcribere, mederi, ſupputare, ad animam tamen ſpectant; cum animę ſint actiones primarię. Mechanicę omnes labore, & fortitudine exercentur, vt fabrilis, militaris, architectonica, ędificatio, & reliquę; quę verò exercentur voluptate ſunt vt Muſica, pictura, mercatura, ac alię huiuſmodi.

In coniectando opificio, magiſterio, ſeu arte circa quam homines victum quęritantes, exiſtimationem retinentes, ac vitam degentes ſe exercebunt, tres aſſumendi ſunt Planetæ, Mercurius, Mars, & Venus; qui erunt opificiorum ſignificatores; Mars quidem eorum, quæ labore exercentur; Venus quæ voluptate; Mercurius quæ ingenio. Nec immerito ſolum his tribus hoc munus impartitur; in omni namque actione, ac exercitatione tria requiruntur, tolerantia nempè, laboriſque patientia, induſtria, ſeu ingenium; & delectatio adhoc vt operatio prodiens ſit laudabilis; abſque labore nihil perficitur, etiam ſi ſit opus ingenij, & intellectus; delectatio, & voluptas opus perficiunt, quod abſque ſpeculatione, ac intuitu aliquo intellectus, ſolertiaque nequit

nequit contingere; hinc ob tolerantiam à Marte, ob induſtriam à Mercurio, & ob delectationem, à Venere indigemus.

Ex his tribus Planetis, Mercurio, Venere, & Marte, atque eorum habitu ad Solem, ac cæli Medium opificia in Natis eliciuntur, idque ex quatuor regulis à Ptolemæo, videlicet.

Prima. Quando vnus ex his tribus fuerit primo ortu orientalis à Sole, exiens Solis radios mane viſus ante ſolis exortum, & conſtitutus in Medio cæli figuræ cęleſtis, præcipueque ſi ab eo Luna defluat; ipſe erit opificij, & actionum Nati ſignificator,

Secunda. Cum vnus extribus Planetis fuerit in Medio cęli, vel primo ortu orientalis à Sole, exiens illius radios, ipſe diſponet Nati actiones.

Tertia regula. Cum fuerint plures Planetæ, vnus exiens Solis radios, alter ſeparatus à Luna, alter conſtitutus in Medio cęli; tunc eligendus eſt orientalis à Sole; deinde, qui fuerit in Medio cæli conſtitutus; vltimò ille à quo Luna defluxerit; circa quod ſciendum plurimum poſſe Planetam, qui dignitates obtinuerit in loco Lunę, & Medij cęli.

Quarta, Quando nec primo ortu orientalis à Sole fuerit aliquis ex his tribus Planetis; nec in Medio cęli conſtitutus; nec aliquis eorum defluat à Luna; tunc accipiendus eſt pro opificij ſignificatore dominus Medij cęli; qui plus poterit, quam qui à Luna defluxerit, vel Lunam aſpexerit.

Planeta orientalis à Sole, & exiens Solis radios debet intelligi quod à Sole non diſtet plus gradibus 30. ſiuè ex eodem, ſiuè ex diuerſo ſigno; & ſi plures fuerint orientales præferendus eſt Soli proximior, dummodo Solis radios non ingrediatur, & conſpici poſſit mane ante ortum Solis diſtans à Sole ſaltem gradibus 17. quantum radij ſolares extenduntur.

Sciendum. Planetas ſub radijs quamuis opificium non ſignificent, decernere delectationem in opificio ſignificato ab illis Planetis; & licet ex Planetis ſub radijs multoties demonſtrentur Mathematici, Gramatici, pictores, alijque artifices in ſignes; habebunt hi aliquam aliam opificij ſignificationem, vt nos pluries obſeruauimus; ſub radijs enim Planetæ nunquam illuſtres Natos demonſtrant ratione opificij; cum artifices magni decernantur, qui alterum opificij dominum habuerint orientalem à Sole primo ortu; alterum ſub radiis cum hoc tamen, quod in loco Lunæ, vel Medii cæli dignitatem obtineat, vel aſpectum beneficum.

Nati qui habent opificis ſignificatores ſub radiis, etiam ſi fuerint magni, ac docti non apparebunt. Contra verò dominis opificis orientalibus primo ortu, vel in Medio cæli conſtitutis, aut Aſcendente erunt illuſtres, & apparebunt etiam ſi non fuerint docti.

Alii profeſſores multi aliam eligendi viam adducunt opificii; & ponunt quinque ordines. Primus. Si aliquis ex Marte, Venere, & Mercurio extra Solis radios fuerit repertus in locis opificio idoneis, quæ conſtituunt Medium cæli, Aſcendens, ac ſeptimam domum in aliqua ſuarum dignitatum eſſentialium, ipſe erit opificis moderator.

Secundus. Si vnus ex his fuerit in ſuis dignitatibus combuſtus in Medio cæli, erit Magiſterii ſignificator.

Tertius. Si non fuerit nec primo, nec ſecundo modo, eligendus eſt qui

Lunam radio partili aſpexerit; & ſi fuerint plures, præferendus erit qui partilius intueatur.

Quartus ordo. Quando non aderit, qui Lunam reſpiciat partiliter, verùm platice, accipiendus eſt qui Lunam intueatur aſpectu valido medietate ſui orbis; qui tamen non ſit cadens, retrogradus, aut peregrinus.

Quintus. Si nullæ ad fuerint ex his conditionibus, accipiendus eſt, qui primo ortu fuerit orientalis à Sole.

De Mercurio.

MErcurius cerebrum ſignificat; dat idcirco opificia, quæ ſermonis, vel ingenij induſtria exercentur, potius quam corpore, vt ſunt literæ, numeri, ſcripturæ, eloquentia, ſcientiæ mathematicę, philoſophia, ſpeculatiua, poetica. Facit Grammaticos, Philoſophos, Arithmethicos, Geometras, Vates, mercatores, negotiatores; Cum Saturni communicantia adminiſtratores rerum alienarum; ducentes vitam in templis; miſeram tamen vt plurimum. Cum teſtimonio Iouis, oratores, rectos in iudicando, Iudices circumſpectos, amicos Potentum, Theologos, Iuriſconſultos, Rectores, trapezitas. Cum teſtimonio *Martis* agricolas, paſtores, nautas, corarios, ſutores, ſtatuarios, ſuperſtitioſos, incantatores. Cum ſole ſi non ſit cumbuſtus dat conſuetudinem cum Magiſtratibus, facit ſcribas, quęſtores, Pręfectos regijs rationibus, aut publicis, conſiliarios, Prętores; conſtantes opera aurea. Cum Lunæ teſtimonio, acuit ingenium ad diuinationem, ad quam reddit propenſos in ♉ ♋ ♑. In ♊ ♍ facit Aſtrologos faſcinatores, veneficos; in ♈ ♌ ♎ ſua arte, ac ſponte diuinantes. In ♐ ♓ Magos.

De Venere.

SIgnificat Venus mollitiem, voluptates, ornatum corporis, & omnia ſenſualia, opponiturque diſciplinis. Facit pharmacopolas, aromatarios, vnguentarios, œnopolas, caupones, pictores, veſtiarios, gemmarios, Muſicos, Saltatores, ac ſimiles. Cum communicantia Saturni, mercatores rerum ad voluptatem pertinentium; Si verò Venus, & Saturnus fuerint malè affecti; ſcurras, deceptores, caupones, Magos, incantatores, Piſtores. Cum Ioue tribuit craſſam corporis conſtitutionem, ac artem athleticam, diuitiaſque cauſa fœminarum, vel religionis, facit phyſicos, philoſophos; Cum Sole addit arti excellentiam, facit Præfectos nomine fœminarum, datque opificia Venerea cum authoritate.

Cum teſtimonio Lunæ in ♎, & Luna applicit Saturno facit lotores panni, textores panni diuerſi coloris.

De Marte.

MArs ſignificat opera laborioſa, quęq; corporis conatu exercentur; ideo quę ferro, aut igne: Decernit militiam, & res bellicas fortunatus, facit Equites, milites, Capitaneos, Duces exercitus, venatores; Mediocriter

ter poſitus facit pugiles, fabros ærarios, ferrarios, tormentarios, fuſores, cauteria exercentes, agricolas, medicos, chyrurgos, foſſores, latrones.

Conſtituti mars, & Saturnus loco abiecto, cerdones, expurgatores caminorum, balneatores, molitores, chyrurgos, expurgatores cloacarum.

Mars radio amico cum Saturno frangit ſua ſignificata frigiditate Saturni facit hortolanos, coriarios, balliſtiarios, foſſores. Cum Ioue bene conſtitutus facit Aulicos, Pręfectos, in militia fortunatos: male conſtitutus milites gregarios, publicanos, ianitores, caupones. Cum Sole feliciter poſitus euehit ad Magiſtratus: infeliciter dat operationem ex igne; facit aurifabros, monetarios, fundentes metalla. Cum Luna facit lanios; Cum teſtimonio Saturni foſſores, qui riuos ducant aquarum, piſcatores, veneficos, magos.

De Venere, & Mercurio.

Mercurius, & Venus ſimul domini opificis faciunt loquacem, leuem, lętum, voluptuarium, Muſicos, Poetas, Oratores, pictores, ſaltatores, imagines ex cera fabricantes; qui iocoſis verbis laudes quęrant, pulchre ſcribentes, pædagogos, organiſtas. Si mercurium, & Venerem aſpexerit Saturnus, vel fuerint cum Saturno artem reddent viliorem, ac in malo ſtatu faciunt muliebrium ornamentorum factores, vel venditores.

Cum communicantia Iouis, pręcipuè in 3. 5. 11. Concionatores ſyndicos, in 12. cauſidicos, Pręfectos publicis muneribus, & plebi: ſignificant enim quoddam imperium cum opinione eruditionis, & pietatis. Generalitur mixtio mercurij, Veneris, & Iouis, & Lunę affert ſuauitatem ſermonis. Inſuper cum Ioue, & Capite Draconis faciunt Poetas; cum Marte Medicos, & Poetas; mercurius, & Venus retrogradi faciunt cantores. Cum Sole claros reddunt in arte. Cum Luna dant ingenium excellens, adiuuant artem ratiocinandi, fauoremque plebis conciliant.

De Mercurio, & Marte.

Bene diſpoſiti Mercurius, & mars faciunt ingenio acutiſſimo: ſed iracundos; Medicos, chyrurgos, armorum, & ſtatuarum opifices, pugiles, ſculptores, Chymiſtas, Notarios, architectos, impreſſores librorum. Malè poſiti, aleatores, falſarios, delatores, ſcortatores. Si adſit Saturnus fabricatores monetę adulterinæ, fures, latrones, ſicarios, venenorum opifices, authores falſarum alearum, ſicophantas, deceptores. Si Iuppiter faciunt induſtrios, agiles, cauſidicos, Iuriſconſultos: Si radius Iouis fuerit malus thraſones, Zabulas auaros Cum Sole, vel Luna inſeliciter ſiti augent felicitatem, malè affecti infelicitatem. Cum Luna malè diſpoſiti, fures, latrones: Quod ſi Saturnus fuerit in ſeptima, & eos aſpexerit dabunt procelere pœnas.

De Marte, & Venere.

MIſcent Mars, & Venus laborioſa iucundis, audaciam blanditijs, faciunt coquos, farcinatores, tentaculorum venditores, Medicos præſtantes, ſi Venus Marti copuletur; chyrurgos, tonſores, pharmacopolas, agricolas, hortolanos, tinctores, qui metallum, aurum, & argentum artificioſè fundant. Malè affecti faciunt lenones; recte poſiti veſtium pictarum fabricatores, phrygiones, qui acu pingant; racamatores, coniflones, paraſitos, adulteros, luſores armorum. Cum ſocietate Saturni, qui mortuos curant concione, & cantu, veſpillones, cantantes in ſepultura, qui ſacrificijs adſiſtunt; nec hæc conſtitutio eſt abſque libidine magna, & turpi. Cum Ioue faciunt religioſos, deditos rebus iucundis, & eccleſijs, ſcribentes epithalamia.

De Signis.

SIgnificatores opificij in ſignis mobilibus conducunt ad artes, quæ ingenij contemplatione verſantur, Geometriam, Arithmeticam, agriculturam, interpretationem. Fixa conducunt ad eruditonem præter Scorpium. Humana ad liberalia, quæ in Vita maximum vſum habent, docenturque cum authoritate. Aquea, & terrea circa aquam, & terram verſantur, circa ſata, herbas, medicamenta, naues, ſalſamenta. Quadrupedia decernunt mechanica, faciunt lanios, paſtores, ædificantes oſtiarios, lapicidas, foſſores metallorum.

Aliam ſignorum diſtinctionem ponit Albubater. Ignea ſignificant magiſteria ex ferro, & igne; faciunt ferrarios, aurifabros, vitriarios, piſtores, tormentarios, & ſimiles. Terrea figulos, muratores, foſſores, menſuratores agrorum. Aerea, cantores, aucupes, molitores vento. Aquea piſcatores, lotores, fullones. Feralia magiſteria circa feras, vt Leones, Vrſos, Simias. Humana dant artes humaniores.

Significatores opificij in domo Saturni dant illud vile, miſerum. In domo Iouis bonum, ſplendidum, iucundum. In Martis cum ingenio, & artificio in quo gaudium, & lætitia adhæret. In domo Solis magiſterium cum honore portendit, & multoties circa res Magnatum. In domo Lunæ magiſterium extraneum, quod homo ſuo ingenio exercebit.

Domini exercitij in 3. 9. ad religionem propellunt. In 5. 11. ad lecturam, & pædagogiam. In 6. ad Medicinam. In 10. ad gubernationem. In 7. ad controuerſias, & lites. In ſecunda ad lucrum. In prima ad oſtentationem.

Notandum quod communicantia Mercurij, Veneris, & Martis cum alijs Planetis intelligitur, quod ſint illis coniuncti, vel aſpicientes, vel in illorum dignitatibus, vel intuentibus.

Notandum etiam quod celebritas nominis ex opificio dependet, ex conſtitutione ſignificatoris; ſi namque fuerit potens, orientalis, in angulo, liber à maleficis, cum aſpectu beneficorum decernet opificium, clarum, artifices celebres; primum locum inter alios ſui generis obtinentes, & publica opinione illuſtres; è contra male affectus, reddet artifices ignobiles, inuenuſtos,

ſtos, inhabiles, parum in arte proficientes, ac incurrentes in aliorum reprehenſionem. Si fuerit fortis, & intueatur à Marte, aut Saturno radio maleſico, decernet quidem opificium clarum, verùm cum pluribus contrarietatibus, & impedimentis.

Fortuna, quam acquiſiturus eſt opifex ex arte, non ex domino opificij dependet; verùm ex Planetis ſuper ipſum eleuatis; qui ſi fuerint benefici neque malè affecti oſtendent opificia lucroſa, venuſta, inculpabilia, illuſtria, cum honore, & diuitiarum affluentia. Si malefici, opificia obſcura, vilia, abſque fructu, & vtilitate; exercebunturque cum dedecore, ac vulgi vilipendio. Saturnus impedit opificia ſua frigiditate, & tepiditate, facit abiectos, inertes, pigros, non curantes. Impedit Mars ſua vredine inducendo temeritatem, iracundiam, rixas, aſſiduaſque contentiones cum artificibus, & alijs, & artifex affectans dominium ab omnibus odio habebitur; vt aſſiduò tales conſpicimus.

Tempus fortunæ, & infortunij ex opificijs oſtendit Ptolemæus hauriri ex ſitu Planetarum eleuatorum ſupra ſignificatorem opificij, habituque ad angulos orientalem, & occidentalem; nam orientalis angulus ſignificat vitæ initium, Medium Cæli ætatem mediam, occidens vltimum Vitę. Si ergo Planeta eleuatus fuerit in linea orientali in principio hæc contingent, quando Natus fuerit capax opificij. Si inter oriens, & Medium cæli, inter ætatem primam, & mediam. Si in Medio cæli in ipſa media ætate: ſi inter Medium cæli, & occaſum inter ætatem mediam, & ſenectutem. Si tandem in occidente in vltima accident ætate.

Hæc generalis diuiſio eſt; melius eapropter auſpicabitur ex directionibus domini opificij, & etiam Medij cæli, quod ſemper actiones ſignificat, & opificium; cùm namque peruenerit ad beneficos radios fauſtas contingent in opificio pro ratione, & qualitate Planetæ benefici, & loci directionis; quando ad maleficos damna, & infauſta.

Sciendum, quod dominus animi qualitatum ideſt locorum Mercurij, & Lunæ in figura Natiuitatis, ſi fuerit in ſignis bicorporeis producit Natos in ſcientijs operum, & librorum compoſitores, ac proinde celebres in Mundo.

Plures obſeruationes prodeunt; quæ in Aphoriſmos ſunt redactæ: quæ in eiſdem Aphoriſmis poterunt conſpici vt

Cum fuerint planetæ ſparſi nec in vno trigono ſignorum, diuerſis Nati opificijs erunt propenſi: ſi vno trigono valebunt in aliquo opificio.

Signa terrea, & aquea loca ſignificatorum opificij ſunt idonea bello; ignea contemplationi, ob id milites inimici literis.

Nati ſemper propellunt ad ſignificata Planetæ Almutia figuræ cęleſtis, & & in cuius dignitatibus fuerit maior par Planetarum, & locorum.

Sunt valde eruditi, quibus Venus, Iuppiter, Saturnus, Luna & Mercurius ſe exactè intuentur, vno tamen ex his, excluſis Saturno, & Luna in Aſcendente conſtituta.

DE

Digitized by Google

DE PROPENSIONIBVS AD RELI-gionem. Cap. XX.

DOmus nona, & tertia religionem ſignificant; pro qua Planetæ ibi exiſtentes vel dominantes pro ea conſiderandi ſunt, ſicut Iouis ſtatus; circa quod hæ obſeruationes congruunt.

Iuppiter, Venus, vel Caput Draconis in 9. vel 3. Natos religioni addicunt, præcipuè Iuppiter, & Caput.

In eiſdem domibus eadem demonſtrat Luna, ſicut reliqui Planetæ, licet diuerſo modo.

Sol in 9. in ſuis dignitatibus cum aliquo radio beneficorum, vel ſextili, aut trino Lunæ Sacerdotes decernit cum dignitatibus, cultores pietatis; concionatores etiam aliquando celeberrimos.

Pars fortunæ in nona cum aliquo aſpectu Iouis, Veneris, vel Lunæ, religionem affert, præter itinera.

Coniuncti Sol, Venus, & Iuppiter religionem ſignificant, ſi eorum alter habuerit dignitatem in 9. vel tertia.

Iuppiter, & Sol in ♈ ♐ ♌ in nona, vel domini nonæ; idem.

Dominus nonæ dignitates obtinens in locis, Mercurij, Lunæ, & Aſcendentis.

Saturnus in 9. facit religioſum clauſtralem.

Saturnus, vel Mars in tertia, aut nona, irradiati à beneficis trino, aut ſextili in ſigno fixo, amorem erga Deum, religionem, & pietatem adducunt; verùm non ſicut benefici.

Saturnus, & Mars in dictis locis ſine beneficis contraria decernunt.

Dominus nonæ beneficus; ſed aliquando malè diſpoſitus, vel à maleficis afflictus religioſum facit, verùm non omnino crediturum.

Dominus nonæ ſeparatus a domino Aſcendentis Natos decernit non curantes religionis.

Si nullus Planeta fuerit in nona, aut tertia, & Iuppiter in ſuis dignitatibus fuerit in angulo cum Venere, vel eius ſextili, aut trino; aut cum radijs Solis omni modo religionem ſignificabit.

Iuppiter cum ſpica Virginis; vel dicta ſtella in medio cæli, vel Aſcendente ad religionem inclinant.

Saturnus cum Venere, & ſpica Virginis facit Theologos, verùm habitos hæreticos.

Saturnus in nona retrogradus in ſigno communi decernit religioſum, ſed cum nulla fide.

Saturnus, Mars, vel Cauda Draconis in 9. aut tertia in ſigno mobili, Ioue malè affecto; non permanſuros in religione, vel propoſito religionis.

Dominus nonæ infeliciter ſitus, & in angulo facit Deorum contemptores Malefici Saturnus, & Mars in angulis idem demonſtrant.

Mars in 7. decernit Natos Deum non timentes: Ibi Saturnus hæreticos ſi vires obtinuerit in tertia, aut nona.

Luna

Digitized by Google

Luna inter maleficos obſeſſa decernit Natum in Deum non credere.

Luna, Venus in 3. 9. in ſigno communi conſtitutæ, varios decernunt Natos circa ſtatum religionis, inconſtantes.

Luna domina nonæ in Aſcendente facit contemptores religionis: Cum Cauda Draconis deceptores.

Mercurius, Luna, & dominus Aſcendentis in ſignis bicorporeis faciunt hæreticos, vel alterius religionis participes.

Mercurius in 9. cum radio malefici decernit Nati aliquando tranſitum ex vna religione in aliam.

Venus, vel Iuppiter dominus nonæ male affecti decernunt Natum, qui parum credet religioni.

DE CONIVGIO VIRORVM.
Cap. XXI.

Coniugium eſt actio maxima, communis, generaliſque omnibus nationibus, ac hominum conditionibus; ob id non abſque ratione luminaribus adſcribitur, generalia quippe demonſtrantibus, conſiderando Lunam in Genitura viri, & Solem in genitura mulieris, Lunam pro vxore, Solem pro marito; Circa quæ queruntur an Nati erunt propenſi ad vxorem; quo tempore ſi adfuerint inclinationes; ſi adfuerint vxoribus ſuperſtites; quarum qualitatum, & conditionum erunt vxores; ſi cum Natis animo conſenſerint; & alia.

An Natus ſit ducturus vxorem, an debeat viuere in cęlibatu generale dogma, & rarò fallibile tradit Ptolemæus: eos omnino vxore carituros, in quorum Genituris Luna ſub Solis radijs conſtituta fuerit cum Saturno vel eius intuentibus, aut quadrato radio, vel oppoſito; pręcipuè ſi commutauerint dignitates, Lunaque fuerit in ♑ ♒; Saturnus in ♋ ♉.

Præter dogma Ptolemæi adſunt aliæ Antiquorum obſeruationes, quibus vxor Natis prohibetur, vel difficultatur; videlicet

Venus, & Luna, quę ſunt vxoris ſignificatrices, in ſignis ſterilibus, & in domibus cadentibus, vel in octaua cum aliquo aſpectu Saturni, etiam ſi Luna non ſit ſub radijs Solis difficile dat connubium

Luna, Venus, & dominus ſeptimæ (quę domus matrimonio adſcribitur) debiles abſque aſpectu beneficorum iuncti Saturno potenti, eadem decernunt; ſi verò Saturnus fuerit debilis vxores decernuntur; verùm de natura Saturni, vel cum macula.

Coniunctio Lunę, & Veneris, vel oppoſitio cum Saturno; vel eleuatio Saturni ſuper eas, vel radius quadratus difficile dat coniugium. Oppoſitio autem Veneris, Saturni pręſertim in angulis eſt peſſima; nam prędicit Natos fornicatores, ac vitijs libidinis implicitum; et ſi vxorem concedit eam impudicam portendit; quamuis hęc eadęm conſtitutio Saturni, & Veneris in angulis oſtendat ſterilitatem, vt diximus.

Luna combuſta, & Venus in 6. 12. etiam abſque Saturno difficultant matrimonium: quod ſi ad fuerit Saturnus, vel eius radij certius cœlibatum oſtendent.

Luna

Luna in Scorpione in quadrato Saturni conſtituti in Leone partiliter ſignificat Natos vxore, & filijs carituros.

Sunt alij Aphoriſmi circa hæc; omnes tamen tendunt quod Luna, Venus & dominus ſeptimæ affligantur à Saturno, vel radijs Solaribus; vel ſint debiles, in locis debilibus, in ſignis ſterilibus, ita vt eorum ſignificatio debilitetur, vel aboleatur.

Conceſſo ex Aſtris vxorem Natis non prohiberi: pro temporis indagatione quo ſint eam ducturi, conſiderandus eſt ex Ptolemæo in figura Cæleſti locus Lunæ vxoris ſignificatricis, quę ſi fuerit reperta in quadrantibus cæli orientalibus decernit Natum vxorem ducturum in prima ætate, & iuuentute; vel in ſecunda, & conſiſtenti matrimonium contracturum cum muliere admodum iuuencula. Si verò fuerit Luna in quadratibus occidentalibus ſignificabit Natum ducturum vxorem in ætate ſecunda; vel in iuuentute cum muliere grandioris ætatis, vel vetula.

Quadrantes orientales reſpectu mundi ſunt à medio cęli ad Aſcendens, & à quarta domo ad ſeptimam, occidentales ab Aſcendente ad domum quartam, & à ſeptima ad medium cęli. Orientales reſpectu Solis ſunt à coniunctione Lunę cum Sole vſque ad primam quadram; & ab oppoſitione cum ſole ad ſecundam quadraturam. Hinc quo magis Luna diſtiterit à medio, vel Imo cęli numerando ab his angulis eò magis tempus Coniugij prolongabitur: & è contra quo fuerit his angulis propinquior, eò citius effectus coniugij conſurget.

Hoc pacto ex Ptolemæo ſolùm auſpicatur tempus generale coniugij an ſcilicet contingat in prima, vel ſecunda ætate. Nos recentiores pręciſius tempus coniectamus, hocque ex directionibus, alijſque temporum diuiſionibus; pręcipuè vero ex directionibus Lunæ, vel Veneris ad radios, vel corpora Iouis, aut Martis, & etiam aliquando ad radios Solis. Vel directionibus medij cęli, & Aſcendentis ad corpora, aut radios Veneris, vel Lunę; ſic aliquando directione domini ſeptimę; ex his enim directionibus cum decernantur, actiones, commercia, & huiuſmodi circa mulieres, de facili poterit etiam tunc temporis accidere coniugium.

Circa numerum vxorum; Luna in ſigno vnius figuræ, vel vni tantum Planetę copulata corpore; vel aſpectu; vel etiam nulli, vnicam tantum vxorem demonſtrat. In ſigno bicorporeo, aut multiformi plures: quod etiam accidit ſi in ſigno vnius figurę applicet corpore, & radijs pluribus Planetis. Experientia autem colligimus: Luna in ſigno bicorporeo vni tantùm Planetę applicata duas tribuit vxores; quod idem eſt ſi nulli applicuerit Planetę. Luna in ſigno bicorporeo applicata duobus Planetis tres vxores decernit: applicata quatuor, quatuor concedit etiam ſi ſit in ſigno bicorporeo, vel vnius figurę.

Notandum quod bicorporeum differt à multiformi; Bicorporea ſunt ſigna ♊ ♍ ♐ ♓; multiforme intelligitur de ſtellis octaui orbis, vt ſunt Centaurus, Auriga, Bootes, Hercules, Hydra.

Iuppiter ex obſeruationibus in 7. tres multoties vxores tribuit, duas Virgines, tertiam viduam.

Venus, & eius dominus in ſigno communi, vel mobili plures tribuit etiam.

Luna

Luna in ſeptima plures etiam concedit.

Signum domus ſeptimæ bicorporeum, & dominus ſeptimæ in ſimili, etiam plures.

Difficillimus cognitu eſt numerus vxorum, cum dependeat præcipuè ex directionibus, ob id ſolum poterit ſolerti indagine, & coniectura hoc aſſequi conſiderando nimirum tempus, quo Natus eſt vxorem ducturus an in iuuentute, an ſecunda ætate, facilius enim eſt primo modo plures ductorum. Si in figura cæleſti adſit conſtellatio plurium, ſit artifex ſi fieri poſſit conſcius de vita Viri, & vxoris ſi ſuſceperit; multoties enim, vt obſeruauimus, in vtriſque conſpicitur reiteratio matrimonij; & innoteſcat vter eorum ſit prius prius moriturus. Videndum inſuper ſi benefici reſpiciant Lunam platice, an partiliter; ſi fuerint fortes, an debiles; nam ex bona conſtitutione facilius effectus emerget, quam ex mala.

Qualitas vxorum demonſtratur ex Planetis applicatis Lunæ, & Veneri; vel corpore, vel aſpectu, vel intuente, aut dignitatibus.

Saturnus benè diſpoſitus ratione loci, & dignitatum eſſentialium tribuit vxorem grauem, taciturnam, compoſitam, conſultam, parcam, laborioſam. Male affectus, vt retrogradus, cadens, peregrinus, debilis, afflictus à Marte; moroſam, ſuſpicacem, tetricam, inuidam, pertinacem, crudelem, turpem, malæ voluntatis: quod intelligendum eſt, ita vt Luna non ſit ſub radijs Solis, vel alio modo, quo coniugium prohibeatur.

Iuppiter bene poſitus dat vxorem piam, caſtam, venerabilem, manſuetam, familiam gubernantem, & bonorum morum; male conſtitutus Iuppiter minuit ſua ſignificata benefica.

Mars in ſextili, aut trino Lunæ vel Veneris; animoſam, dominij cupidam, ſeruitutis impatientem, iracundam, ſuperbam. In quadrato vel oppoſito vel coniunctus, vel in intuente, rixoſam, violentam, indomitam, ſumptuoſam infamem, ac prau rum morum.

Venus benè conſtituta dat vxorem formoſam, affabilem, honeſtam, hilarem, iocoſam; malè affecta decernit omnia imperfectiora.

Mercurius benè diſpoſitus; ingenioſam, ſagacem, callidam, circumſpectam, victui quæritando vtilem. Male poſitus, aſtutam, mendacem, inſtabilem malorum morum, & qualitatum.

Aphoriſmi aliqui Antiquorum.

Luna inſignis luxurioſis ♈ ♉ ♌, ♑ ♓ decernit vxorem laſciuam; in reliquis ſignis continentem, quod idem dicendum eſt de Venere.

Luna, & Venus in ſignis pulchris ♊ ♐ ♒ ♓ pulchram: in deformibus vt ♈ ♉ ♋ ♌ ♏ ♑ turpem.

Venus cum Saturno dat aliqua nota fœdatam.

Venus orientalis in ſuis dignitatibus cum radio Iouis, vxorem Marito imperaturam. Occidentalis, & peregrina è contra.

Luna, Venus, vel dominus ſeptimę in 9. 3. vxorem decernunt extra patriam; Venus domina nonæ in prima, vel è contra vxorem peregrinam, ſic in decima, Sol, & Venus in ſeptima idem; ſicut Pars fortunæ in tertia.

Vxorem viro nobiliorem demonſtrant Venus, Lunaque orientales; in domo Iouis in ſuis dignitatibus; ſicut in domo quinta.

Viro

Viro ignobiliorem demonſtrant occidentales, in domo Mercurij, ſine Iouis radio; verùm cum aliquo aſpectu Saturni.

Coniunctio, oppoſitio, vel quadratus Martis, & Veneris minantur vxorem fœdatam, aut meretricem. Idem malefici in ſexta decernunt.

Vxorem diuitem dant benefici in 7. dominus ſeptimæ in 7. 10. 2. è contra pauperem malefici in 7. dominus ſeptimę in 12. afflictus; & aliquando vilem, vel ancillam.

Bonas, venuſtaſque vxores tribuunt dominus 7. in 7. vel Luna in medio cæli abſque maleficis, Luna, vel Venus cum Ioue, vel Iouis radio benefico. Venus, & Luna coniunctæ, vel ſe aſpicientes ſextili, aut trino.

Prauas dant Venus in quarta in ♒ in Lunæ quadrato, vel oppoſito. Venus in duodecima. Venus afflicta à Marte, vel Saturno. Mercurius cum sole in ſeptima, qui decernit aliquando adulteram.

Saturnus, Caput Draconis, & Mercurius in ſeptima dant vetulam.

Vxores turpes dant malefici in ſeptima. In decima dant vetulam, licet diuitem.

Ancillas, viles, vel meretrices tribuunt Venus in 12. cum Saturno, Mercurio, cum prauo aſpectu Saturni. Luna, vel dominus 7. in 12. Venus cum Saturno abſque aſpectu Iouis. Saturnus in occidente in ♌ ♑ ♒ abſque radio Iouis. Venus in domo Lunæ afflicta.

Arabes ex conſtitutione domini ſeptimæ in alijs domibus iudicant de qualitate vxoris; vt alibi diſſeruimus.

Circa concordiam coniugatorum videndę ſunt Geneſes vxoris, & viri, & iudicandum ex poſitis capite de amicis, & inimicis.

Generaliter verò ex viri Geneſi obſeruatur; quod ſi benefici aſpexerint radio benefico Lunam, & dominum domus ſeptimæ, decernent concordiam inter coniugatos. E contra diſcordiam ſi malefici intueantur.

Venus applicata Saturno cum aliquo radio Martis affert zelotypiam inter coniugatos.

Luminaria beneficè ſe intuentia decernunt cõcordiam; Malefici diſcordiam

Luna in ſigno mobili applicata Marti, vxor non diliget virum, ſed alios.

Luna domina ſeptimę in 8. dat paruam felicitatem in matrimonio.

Prius morituras vxores, quam viros decernunt, Venus, & Luna in quarta cum radio maleficio Saturni, aut Martis. Dominus ſeptimæ in octaua debilis, vel à maleficis afflictus. Venus in 7. occidentalis cum radio maleficorum.

Luna ſeparata à Marte applicata Veneri exiſtenti in occidente, quæ conſtitutio tribuit pluralitatem vxorum. Luna in Aſcendente in radio malefico Martis aut Saturni. Afflictę Venus, & Luna.

Luna, & Venus in 7. in ſigno aqueo cum Marte, vel radio malefico Martis inclinat ad vxoris homicidium.

Cùm Luna iungitur Planetæ, & fuerit illo potentior, vir erit ſuperſtes vxori. Si Planeta validior, mulier erit ſuperſtęs viro.

Digitized by Google

DE CONIVGIO MVLIERVM.
Cap. XXII.

IN Genituris mulierum pro marito Sol conſideratur, eademque ratione, qua Luna pro Vxore in Genituris virorum; quamuis in fęminis requiratur conditio, ſi nubet, nam aliæ etiam ſine inclinatione in monaſterium includuntur, cum non ſint liberæ, aliæ alijs ex extrinſecis prohibentur in hac actione. Si adſit propenſio ad connubium, quod difficultant Sol cum Luna in ſignis maſculinis cum Saturni radio, Venus, & domini ſeptimę conſtituti in ſignis ſterilibus. Sol repertus in quadrantibus orientalibus Mundi decernit mulierem Virum ducturam in prima iuuentute, & prima ætate, vel in ſecunda virum iuuenculum; ſi in quadrantibus occidentalibus ducturam in ætate conſiſtenti, & ſecunda; vel in prima virum ſenem; & grandioris ætatis.

Circa numerum Sol in ſignis bicorporeis, ſiue pluribus Planetis applicitus, ſicut dominus ſeptimæ plures viros tribuit;e contra in ſignis vnius figuræ, nec pluribus Planetis figuratus vnum tantummodo; eodemque modo, quo in Virorum Genituris.

Sol in 9. vel 3. ſicut dominus ſeptimæ, & etiam in 7. multoties virum extra patriam, & peregrinum demonſtrant.

Qualitas virorum deſumitur ex qualitate Planetarum, quibus fuerit Sol applicatus, vt diximus de Luna.

Sol cum Saturno, vel eius radio benefico, vel dignitatibus decernit Virum probum, laborioſum, induſtrium, aliquantum Saturninum.

Iuppiter humilem, magnanimum, bonum, iuſtum, Iouialem.

Mars crudelem, ſuperbum, Martialem.

Venus pulchrum, probum, hilarem. Cum participatione Saturni ignauos in re Venerea; Cum Martis participatione libidinoſos, calidos. Cum Iouis præſentia iuſtos, verecundos; Cum participatione Mercurij, liberorum amantem; Conſiderandus enim ſtatus Veneris.

Mercurius dat Virum induſtrium, agilem, laborioſum.

Conſenſus ſeu concordia inter Virum, & vxorem ſumitur facto parallelo, & comparatione vtriuſque Geniturę, vt diximus ſuperius; nam ſi in Genitura viri locus Solis; & in Genitura vxoris locus Lunæ ſe reſpexerint de trino, aut ſextili, vel aderit receptio mutua, ita vt in Genitura Viri Luna ſit in domo Solis, & in genitura auxoris Sol ſit iu domo Lunę, ſignificabunt concordem animum Coniungatorum, & ſimpathiam. Si verò ſe intueantur de quadrato, vel oppoſito, aut nullo modo, coniugatorum conſenſum paruum oſtendent; verùm eorum animi erunt diſcordes, & aderit antipathia; circa quod quatuor ſtatus concordiæ, & diſſenſionis oriri poſſunt.

Primus, Quando luminaria ſe reſpexerint aſpectu amicitiæ, aderitque aliquis aſpectus beneficorum; qui ſtatus optimus eſt, & decernitur amor inter coniuges; & conuictus iucundus, ſuauis, bonus, & vtilis.

Secundus, Si luminaria ſe reſpexerint beneficè, verùm aderit aſpectus maleficorum; tunc decernitur aliqua diſcordia, verùm non tractabitur de diuor-

K tio,

tio, quamuis conuictus ſint contentioſi, inuidi, perpetuòque coniuges diſſentientes.

Tertius ſtatus. Quando luminaria ſe reſpexerint de quadrato, vel oppoſito cum aliquo aſpectu maleficorum; tunc ſuccedet diuortium, & coniugium diſſoluetur; & ſi Mercurius fuerit commixtus hæc augebit, contumelias inferet querelis, vociferationibus, accuſationibus, & huiuſmodi.

Quartus. Cùm luminaria ſe reſpexerint de quadrato, vel oppoſito; vel nullo modo: ſed aderunt radij beneficorum; tunc tractabitur quidem de diuortio, verùm ſuccedet reconciliatio, conuictuſque continuabitur cum pace, & quiete.

Aliqui Aphoriſmi.

Amores inter coniuges decernunt aſpectus Iouis, & Veneris. Venus in dignitatibus Iouis à maleficis non afflicta. Coniunctio Iouis, Mercurij, & Saturni. Venus cum radio trino Martis, in Geniturís hæc mulierum.

Saturnus in quadrato Lunæ minatur rixas Vxoris, & Viri.

Coniunctio, vel oppoſitio Lunæ, & Veneris dant matrimonium inſtabile, & diſſenſiones.

Luna in vtriſque Geniturís ſi fuerit domina domus ſeptimę, & conſtituta in octaua infelix tribuit matrimonium.

Mars in nona cum aſpectu Veneris dat ſeparationem tori.

Venus in domo Martis; Marſque in domo Veneris aliquod tribuunt impedimentum in matrimonio, ex cauſa fornicationis, aut huiuſmodi.

Saturnus in ſeptima eleuatus ſupra Venerem decernit Virum non diligere vxorem.

Hi aphoriſmi quadrant in Geniturís Viri, & vxoris.

DE CONIVGIO ILLEGITIMO. Cap. XXIII.

Illegitimi conuictus, & coniugia, quæ amoris incendio, ſpretis legibus cum conſanguineis, & neceſſarijs contrahuntur; aliqua omnino illegitima ſunt, vt Parentum cum filijs, ſororibus, nutricibus à lege vetita: alia licet illegitima, & illicita ad legitima, & licita poſſunt reduci diſpenſationibus Sedis Apoſtolicæ, ex gradibus conſanguinitatis.

Demonſtrantur omnia ex Venere Saturno, & Marte; ſicut legitima connubia ex ſole, & Luna; Venus namque affectum amatorium ſignificat; Mars ſua caliditate mixtus Veneri amoris paſſiones exaſperat, efficitque ſua violentia, vt Natus animum ad temerarium amorem diſponat, illicitum, & inconceſſum; ſpretiſque legibus, & verecundia ad varia amoris vitia popellatur; ſaturnus verò cum ex ſe ſignificet ignauiam, torporem, & timorem, efficit, vt Natus amoris ſtimulis ex Venere accenſus ac Marte, non curet mulieres vltra domum propriam inquirere, vtaturque ſuæ domus mulieribus poſt habito decore, ac honeſtate omnimodo ſpreta.

Quando, Venus iungitur maleficis ſaturno, & Marti, eorum qualitatibus imbuta hos paret illigitimos conuictus, decernuntur conuictus, & conſortia

tia ob communicantiam Veneris cum dictis maleficis; illegitima verò ob rationes dictas; Conuenit Venus cum Marte; Venus enim exaltatur in Piſcibus, vbi Mars poſſidet trigonum; Marſque exaltatur in Capricorno, vbi retinet trigonum Venus. Sic Saturnus exaltatur in Libra domicilio Veneris; Venuſque habet trigonum in Capricorno domicilio Saturni.

Venus cum Saturno, aut Marte commixta cum luminaribus vitam communem, concubitus flagitioſos cum conſanguineis demonſtrat: quæ benè conſtituta quamuis illicitum conuictum oſtendat, poterit legitimum pro- [illegible] ex diſpenſatione, & priuilegio Sedis Apoſtolicæ.

Si Venus fuerit partilius iuncta Marti, Nati tractabunt cum muli[illegible] iuuencula; in Genitura fœminarum mulier cum adoleſcentulo. Si co[illegible] etur partilius Saturnus; Nati cum vetula, fœminæ cum ſene coibunt.

Venus cum Marte dat amatorios, & libidinis affectus magnos tantummodo, ſi miſceatur Mercurius hæc contingent non ſine rumore, & diuulgatione in populum cum labe honoris.

Si Venus, & Mars fuerint in ſignis promiſcuis ♓ ♑ decernet coniugationes fratrum, cognatorumque cum ſororibus: mulierum verò cum fratribus vel conſobrinis.

Si in genitura viri in hac conſtellatione interuenerit Luna, Natus cum duabus ſororibus, aut conſanguineis rem habebit: in genitura mulieris, coibit mulier cum duobus fratribus, & conſanguineis.

Si Venus extiterit cum Saturno hoc coniugium longo tempore permanebit, & ſi cum his adfuerit Mercurius, erit vtile, & proficuum.

Si Venus fuerit cum Marte conuictus erunt ſtabiles, ſed cum nocumento noxij, cum inuidia, & aliorum ęmulatione abſque vtilitate.

Si Venus fuerit coniuncta maleficis contrahetur hæc affinitas illegitima inter pares. Si Venus fuerit orientalior decernet cum adoleſcentioribus; ſi occidentalis, cum ſenioribus, aut viduis. Quod idem intelligendum eſt in Natiuitate mulierum.

Venus, & Saturnus ſi fuerint in ſignis promiſcuis ♎ ♑ decernent Natos cum conſanguineis coituros; ſi hæc conſtellatio fuerit in Medio cæli vel Aſcendente, & aderit etiam Luna Natos reddit ad turpiſſimum concubitum cum Matribus, nouercis, aut matrum ſororibus: fœminas verò cum filijs, filiorum fratribus, vel filiarum maritis. Quod ſi loco Lunæ interuenerit Sol, Planetęque malefici fuerint occidentales à Sole; viros decernent cum filiabus, vel filiarum ſororibus ex diuerſo Patre ortis, vel filiorum vxoribus rem habentes; fœminas cum Patribus, patruis, vel vitrico congreſſuras illegitimè.

Si hæc conſtellatio fuerit in ſigno vnius figuræ, ac fæminino; & quadrantibus occidentalibus Natos reddet propenſos tam ad agendum, quam patiendum in concubitu, omni ratione, loco, & tempore paratos.

Si Venus, & Saturnus fuerint cum luminaribus in principio Leonis, vel Arietis octauæ ſphæræ cum Succulis, capite Arietis, Aldebaram, vel facie Capricorni producent obſcenos, ac infames, vt ſunt irrumatores, ſpintriæ, fellatores, maſturbatores, alioſque huius generis. Quod ſi accidat in Medio cæli, vel oriente, hæc flagitia omni populo clara, & euidentia apparebunt; ſi in occaſu, vel quarta domo loco horum flagitiorum accident plura in Vene-

reis imp lin enta; naſcuntur enim Hermaphroditi, ſpadones meatibuſque genitalium concretis; mulieres verò ſteriles, clauſæ, ad generationem non idoneæ. Etſi his forte accidat Mars, viris genitales decernet abſcidendos; fœminas verò procreabit Tribades, quæ in coitu virilia munia ſubeant Viros ſuper equitent, dominantes viris in coitu, atque pollui cogentes.

DE NATI PROPENSIONIBVS CIRCA Venerea. Cap. XXIV.

A Marte ſumuntur affectiones circa Venerea, ex Ptolemæo. In natiuitate viri ſi Mars fuerit ſeparatus à Venere, & Saturno, & aliqua iunctus familiaritate Ioui, prædicit Natum purum in coitu, verecundum, naturalemque modum, & vſum ſeruantem cum modeſtia, & temperantia. Si Mars fuerit cum ſolo Saturno Natus erit frigidus, & piger in coitu. Si cum Venere, & Ioue configuratus facit quidem potentem in coitu ob humiditatem Iouis, & Veneris conferentem ad virgæ erectionem; verùm ſe refrenantem infamiam fugientem. Mars cum Venere ſola facit Natos vndequaque voluptatem captantes, potentes in coitu, licet ignauos, ſegneſque in alijs actionibus.

Si Mars, & Venus alter fuerit occidentalis, alter orientalis Nati erunt propenſi tam ad mulierum concubitum; quam puerorum; neutrum tamen ſexum electiue cupientes; ſed indifferenter; quod militibus conueniens ob licentiam, & neceſſitatem. Si ambo fuerint occidentales Nati ad fœmineum ſexum tantum propellentur. Si ambo in ſignis fœmininis non ſolum effœminati naſcuntur: ſed etiam qui maritos ducant, vt de Nerone, Domitiano, Eliogabalo, alijſque legimus.

Si vterque fuerit orientalis, & in ſignis maſculinis, adeo Nati cęcutient in maſculorum libidine, vt eos in locum retineant vxoris.

Si Venus, Marſque fuerint occidentales, verùm Venus occidentalior, Natos decernent cum perſonis vilibus congredientes, ancillis, extraneis; Si Mars fuerit occidentalior cum nobilioribus, & dominium obtinentibus; nobilioribus, quam viri.

DE AFFECTIONIBVS MVLIERVM circa Venerea. Cap. XXV.

IN mulierum Natiuitatibus ſi Venus fuerit cum Mercurio, ac Ioue configurata moderatas decernet mulieres in coitu ob Iouis beneuolam naturam, & prudentiam; atque ob Mercurij verecundiam, & aſtutiam. Si Venus ſolo Mercurio configuratur facit procliues ad Venerem: ſed cautas, & verecundas, infamiam fugientes, pigrioreſque ob ſtimulum solùm honoris. Venus ſolo Marti configurata reddit ſalaces, cruciatas aſſiduo ardore libidinis. Si cum his configuretur Iuppiter faciet pigriores ob Iouis humiditatem comprimentem Martis vredinem, preterquam quod omnia ex prudentia erunt tecta, & abſcondita.

Si

Si Mars fuerit Veneri conciliatus, & ſub radijs ſolis, fœminas decernet coituras cum viris vilibus, obſcuris, ſeruis, alienigenis. Si Venus fuerit ſub radijs cum Magnatibus, dominis, & ſuperioribus.

Si Mars, & Venus fuerint in ſignis fœmininis, erunt propenſæ etiam extra vas naturale. Si in ſignis maſculinis, erunt inclinatę etiam ad agendum, vt ſunt tribades.

Si Saturnus hoc modo Marti concilieiur in ſigno fœminino, ac occidentali, augebit vitia libidinis hæc enormia, licet non tam publicè, ac ſi eſſe orientalis. Et ſi Mars, & Venus configurentur cum Ioue, omnia minus flagitioſa, & turpia reddentur. Si verò miſceatur Mercurius, omnia reddentur publicæ infamiæ ſubiecta cum diuulgatione, & aliquando cum pœna.

DE FILIIS. Cap. XXVI.

Domus decimam, & vndecimam conſiderat pro filijs Ptolemæus, quæ ſi non fuerint idoneæ, & in eis non adſunt Planetæ, nec aſpectus Planetarum his oppoſitas aſſumit quartam, & quintam. Alia ſchola quintam ſolam conſiderat, quorum aliqui etiam oppoſitam vndecimam, ea ratione, quod oppoſitorum eadem ſit ratio.

Benefici Planetæ in his locis conſtituti, vel hæc loca aſpicientes filios pollicentur; malefici negant.

Largitores filiorum ſunt Iuppiter, Venus, & Luna, Planetæ omnes calidi, & humidi temperatè. Negantes ſunt Saturnus, Sol, & Mars, qui cum nimium exſiccent, generationi non ſunt idonei, quæ ex calido, & humido conſiſtit, & proficiſcitur. Mercurius orientalis extra radios Solis concedit; negat filios ſub radijs, occidentalis, vel à maleficis afflictus; Planeta eruditionis eos producit ingenioſos, etuditione præſtantes, ac ob id parum viuentes experientia vt plurimum, cum ſit Mercurius imbecillis naturæ.

Planetæ orientales potius concedunt, quàm occidentales.

Planetæ in ſignis fœcundis, etiam magis concedunt, quàm in ſterilibus.

Largitores ergo Iuppiter, Venus, Luna, & Mercurius benè conſtituti in 11. 4. 5. vel hæc loca aſpicientes filios pollicentur. Negant Saturnus, Mars, Sol, & Mercurius malè affectus.

Ex obſeruationibus. Plures filios concedunt Venus, & Luna in quinta præcipuè in ſigno fœcundo. Luna cum Ioue, vel Venere in angulo; Luna in trino Iouis præſertim in ſigno humano; Venus in Aſcendente; Iuppiter in Medio cæli vel vndecima; Mercurius orientalis cum radio Iouis, & Veneris, Mercurius, & Luna in quinta, & dominus quintæ, benè affectus; Sol cum trino Veneris; Dominus quintæ beneficus non afflictus:

Largitores Venus, Iuppiter, & Luna orientales reſpectu Mundi, & Solis dant filios in iuuentute, occidentales in ætate ſecunda. Experientia in x. xi. in prima ætate; In 3. 8. 9. in ætate media. In 4. 7. in ſenectute.

Circa filiorum numerum difficilis eſt coniectatio; nam cum contingant vt plurimum ex directione Medij cæli ad largitores, eorumque radios; manet effectus directionis longo tempore, eademque directio poterit plures filios demonſtrare, & quouſque fuerit Medium cæli ad alios directione deuolutum,

 Bene-

Digitized by Google

Beneficus ſolus in ſigno maſculino filium vnum decernit. In ſigno fęminino, vel fęcundo, vel bicorporeo duas fęminas, vel plures; Planeta in ſigno vnius figuræ vnum tribuit. In ſigno bicorporeo plures; In ſterilibus vnum; in fęcundis plures. Plures largitores in ſignis vnius figuræ duos; in bicorporeo quatuor. In bicorporeis, & fęcundis vt Piſcibus octo.

Signa maſculina maſculos, fęminina fęmellas demonſtrant.

Largitores filiorum, & domini loci, inquo fuerint conſtituti fortes, in ſuis dignitatibus, orientales à Sole demonſtrabunt filios claros, illuſtres, dignitatibus decorandos: ſi occidentales debiles, afflicti filios humiles, abiectos, viles.

Saturnus de die in radio trino Veneris, honoratum ſtatum filiorum decernit, ſicut Iuppiter cum radio Veneris; Iuppiter in medio cæli. Venus in oriente, & Iuppiter in occidente.

Mars, vel Saturnus in quinta vel negant filios, vel eorum mortem oſtendunt. Eadem parant Saturnus in medio cæli cum Mercurio. Iuppiter oppoſitus Saturno. Saturnus in oriente, & Mercurius in occidente. Mars cum Mercurio in ſeptima, aut decima. Iuppiter combuſtus in quarta, aut ſeptima. Dominus quintæ in octaua cum in fortunis, vel cum domino octauæ; Sol, Saturnus, & Mercurius in medio cæli.

Mars Ioui oppoſitus præcipuè in quinta mortem filiorum decernit, & vt plurimum violentam (vt contigit Authori) in filijs duobus.

Quando benefici largitores fuerint à maleficis afflicti; vel malefici fuerint in locis filiorum cum auxilio beneficorum, & tam benefici, quam malefici fuerint in ſignis prolificis; tunc filij non portenduntur breuis vitæ, nec vitijs corporis afflicti; verùm à Parentibus abdicandi, & reijciendi, vt diximus de his, qui non nutriuntur.

Mars in quinta, vel dominus quintæ filios ab alijs Planetis demonſtratos decernit maximis honoribus decorandos, & adminiſtrationibus.

Naſcuntur filij breuis vitæ, vel corporis vitijs afflicti, vt gibbi, claudi cum vitijs oculorum, atque huiuſmodi; quando largitores fuerint in ſignis ſterilibus; in dignitatibus maleficorum; imbuti radijs maleficorum; combuſti, aut aliomodo afflicti; Sicut quando maleficæ, vel ſol obtinuerint imperium in locis filiorum, vbi ſint ſigna ſterilia, & maſculina; largitoreſque benefici ea loca aſpexerint; tunc enim filij non prohibentur; verùm naſcuntur aut breuis vitæ, vel imbecilles, vitijſque corporis afflicti; quæ vitia à maleficis, inferuntur; nam Mars violentia quadam machinatur; Saturnus frigiditate & artuum contractionibus, & huiuſmodi: Sol verò ex oculorum affectionibus damna molitur filijs.

Si domini locorum largitorum conuenerint cum Aſcendente, & Parte fortunæ coniunctione ſextili, vel trino, filios decernent amabiles Parentibus; quique hæreditate paterna fruentur in pace, & concordia.

Si fuerint diſcordes, & de quadrato, aut oppoſito reſpexerint, filij erunt rebelles, odioſi, & nocui Parentibus, nec ſuccedentes paternis hæreditatibus.

Quando largitores filiorum fuerint interſe concordes vt ſupra, fratres erunt inter ſe concordi animo, amici, vitam ſimul degentes cum beneuolentia mutua. Si fuerint diſcordes, vel nullo modo ſe reſpexerint, decernent fratres in-

terſe

ter ſe odioſos, mutuò ſibi inſidiantes ex qualibet leui occaſione. Concordia intelligitur, quod ſint coniuncti, vel de trino aut ſextili ſe aſpicientes, aut commutantes dignitates ita, vt vnus ſit in alterius dignitatibus.

Pro affectionibus reliquis particularioribus filiorum, quæ venari non poſſumus ex Geneſi Patentum: extrahenda eſt Geneſis filiorum ex illa Parentum, conſtituendo ſignificatorem in Aſcendente modo rationali ſub Circulo poſitionis largitoris; iudicanda poſtmodo pro vita, animi, & corporis qualitatibus, honoribus, aliiſque ac ſi eſſet propria Geneſis, prout in Parentibus diximus; erigendo tamen ſortem ex diſtantia largitoris, non figura Patr , aliter enim omnes filij eamdem fortunam aſſequerentur.

Sciendum Patres habentes filios plurimos eſſe felices, & fortunatos; habent enim beneficas potentes in locis beneficis à maleficis non afflictas.

Inſuper ſciendum quod quamuis plures filij habeant eumdem ſignificatorem, & largitorem; non ſequi proinde debere experiri eamdem fortunam in honore, & reliquis; quia accidentia diuerſificantur ſecundum variam largitoris diſpoſitionem tempore ortus filij; quæ varia erit, cum varij ſint ortus filiorum circa tempus.

Præter conſtitutionem largitorum experimur plura demonſtrare dominum quintæ filiorum ſignificatorem, & ex Ptolemæo dominos decimæ, & vndecimæ in alijs Cæli domibus; Vndè in decima filios illuſtres dignitatibus decorandos; in ſecunda diuites; in tertia, aut nona religioni, vel itineribus addictos; & ſic in alijs domibus ex ſuis ſignificatis.

Caput Draconis etiam experientia elargitur filios; quemadmodum prohibet Cauda in locis filiorum.

Tempora præciſa filiorum ex Ptolemæo indagantur ex directione, progreſſu, vel ingreſſu medij cæli ad loca largitorum; præcipuè autem directione. Hinc quando Cæli Medium dirigitur ad Iouem, Venerem, vel Lunam, vel eorum radios, cùm fuerint aſſignati largitores, eo tempore filium decernet, & alios etiam, quouſque idem Cæli Medium ad alium promiſſorem fuerit directione deuolutum; hinc numerus filiorum difficilè cognoſcitur, cum ex vnica directione plures poſſint decerni.

DE AMICIS. Cap. XXVII.

Contrahuntur amicitiæ, & odia propter bona; cum verò ſint triplicia, animi, corporis, & fortunæ: propter hæc tria amicitiæ, & inimicitiæ contrahuntur; Propter bona animi quippe, & honeſtum inter ſapientes ex ſcientijs, doctrinis, virtutibus, quę amicitiæ ex Ariſtotele ſolummodo ſunt intranſmutabiles, propter vtile, & bona fortunę contrahuntur inter mercatores, & alterius generis artifices; inter milites cum Ducibus; Magiſtratus cum Principibus, ſeruis, & dominis. Propter bona corporis, & delectabile vt ex ludis, luxu, conuiuijs, venationibus, & reliquis voluptuoſis; quę duo amicitiarum genera ſunt tranſmutabilia, ceſſante namque neceſſitate, & delectatione ceſſant amicitię.

Amicitiarum hæc tria genera propter honeſtum, vtile, & delectabile ex propria Sola Nat. Geneſi non hauriuntur ex Ptolemęo; verùm facta compa-

ratione, & parallelo cum aliorum Genituris, quorum ſignificatio deſumitur ex locis luminarium, Aſcendentis, & Partis fortunę; ſi namque in Genituris vtriſque luminaria, Aſcendens, & Pars fortunę fuerint in eiſdem locis, vel beneficis inter ſe radijs; & Aſcendens vnius non diſtiterit à loco Aſcendentis alterius 17. ſimpathia, & amor conſurget, ſi diſſenſerint vt dicimus antipathia, & odium.

Pro contractione amicitię propter bona animi, & honeſtum ſpectanda ſunt luminaria in vtriſque Genituris; quę ſi ſint in eiſdem locis, vel ſe reſpexerint de ſextili, aut trino; vel loca inuicem commutauerint, vt Sol ſit in vnius Genitura, vbi fuerit Luna in alterius; vel è contra, decernent inter Natos amicitiam, & ſimpathiam propter virtutes, honores, & res honeſtas. Si nullo modo luminaria ſe reſpexerint, vel aſpectus inter ea fuerit quadratus, aut oppoſitus, demonſtrabunt odium, & antipathiam.

Si Aſcendentia in Genituris conſenſerint, ideſt fuerint eadem; vel ſe intueantur ſextili aut trino decernent inter Natos amicitias propter voluptuoſum. Si Aſcendentia in figuris cęleſtibus fuerint in coniuncta, vel ſe reſpexerint de quadrato, aut oppoſito, inimicitias oſtendent propter cauſas eaſdem.

Si concordauerint loca fortunę partis eodem modo Nati erunt amici propter vtile, & intereſſe; ſi diſſenſerint inimici, & odioſi; hęc ceterum decernentur ſtabilia, & firma odia ſcilicet, vel amicitię.

Amicitię, & inimicitiæ ad tempus contrahendæ, fiunt ex ingreſſibus, & tranſitibus Planetarum Genituræ vnius in loca Planetarum Genituræ alterius, quæ non ſunt firmæ; ſed durant quouſque illi Planetæ ſubeuntes mutua loca ſeparentur, vel adueniens alius Planeta interumpat illam odij, aut amoris ſignificationem. exempli gratia.

Habeat quis Iouem in gr. 15. ♓. Mercurium in primo ♈ alter, quando in Genitura primi Iuppiter peruenerit ad principium ♈, & Mercurius in Genitura ſecundi peruenerit ad locum Iouis primi, & 15. ♓. iſti contrahent amicitiam ex cauſa Mercurij, & Iouis quæ ex Ptolemæo eſt ſcientiarum, diſſerendi, philoſophandi. Quando ingredientur loca oppoſita vt Iuppiter principium ♎, & Mercurius 15. ♍ cadet odium ex eiſdem cauſis. Sic ſi Iuppiter vnius peruenerit ad Martis oppoſitum alterius conſurget inter Natos odium ex ſignificatis à Marte, & Ioue, vt dignitatibus, adminiſtrationibus, & huiuſmodi; eodem pacto in omnibus Planetis coniectandum pro odio, & ſocietate in ſuis ſignificatis; Scientes Planetas motus tardioris temporaneas amicitias, & inimicitias decernere longiores, & breuiſſima per ordinem Saturnum, Iouem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, Lunam vltimo breuiſſimas.

In his amicitijs, ſeu odijs temporaneis, vtilitates, aut damna, quæ contingent coniectantur ex maleficis, aut beneficis aſpicientibus illa loca, quæ commutantur, vel Planetæ ingrediuntur.

In hac materia maximè obſeruantur commutationes Planetarum in Genituris vtriuſque Nati, videlicet.

Commutatio in Genituris fortunarum integram parit beneuolentiam, vt ſi in vna Genitura ſit Iuppiter, vbi in altera fuerit Venus, vel è contra.

Commutatio Solis, & Lunæ, vel Solis, & Mercurij; vel Mercurij, & Lu-

næ non decernunt beneuolentiam tam integram: ſed minus.

Commutatio Solis in locum alterius decernit amorem propter decorem, gloriam, honores, dignitates.

Commutatio Iouis ob vtilitatem, & ſi Iuppiter in locis eiſdem in figuris vtriuſque.

Commutatio Veneris ob ſolatia, voluptates.

Commutatio Lunæ, ob conuenientiam qualitatum animi, & corporis.

Commutatio Iouis cum Saturno; vel Veneris cum Marte producunt amicitias, & odia mixta. Saturnus, & Iuppiter cauſa auaritiæ; Venus, & Mars cauſa flagitij, vel Venereorum.

Mars in oppoſito Saturni alterius, vel e contra producit odia ex æquo.

Iuppiter in oppoſito Veneris alterius, vel è contra, decernit quod Nati pugnabunt, ob mutuum lucrum, vel honorem; vt contingit in Aduocatis, Medicis, & eumdem honorem, vel dignitatem quærentibus.

Sol in loco Martis alterius ſignificat alterum alteri damna allaturum; ſic Sol, vel Mercurius in oppoſito loci Lunæ alterius.

Alia ſchola pro amicis conſiderat domus vndecimam præcipuè, & primam. Pro inimicis occultis duodecimam, pro publicis ſeptimam; & ex Planetis conſtitutis in his domibus, vel dominis earum de amicorum, vel inimicorum numero qualitate, potentia, & alijs dijudicant.

Pro amicis ergo conſiderandi ſunt Planetæ conſtituti in vndecima, & prima; aſpicientes domum vndecimum, & dictæ domui dominantes.

Iuppiter, & Venus benè affecti in vndecima, vel prima, vel domini vndecimæ, vel radio benefico dictam domum intuentes, in ſuis dignitatibus conſtituti; vel in prima domo amicos plurimos, eoſque fideles, & proficuos demonſtrant; Malè affecti Venus, & Iuppiter multos quidem decernent, verum aliquos fucatos, partim fidos, partim fallaces, & mediocres, cum beneficorum non ſit obeſſe.

Saturnus, & Mars benè conſtituti multos tribuunt amicos; ſed ex parte fucatos, & ſuſpectos. Malè affecti paucos, & infidos.

Reliqui Planetæ Venus Mercurius, Sol Luna mediocres amicos demonſtrant; benè quidem affecti in ſuis dignitatibus, & locis figuræ honorificis ſi non ſint in vndecima bonos fideles. Male affecti infideles.

Plures Planetæ in illis domicilijs. Vndecima, & etiam prima, diuerſitatem amicorum oſtendent.

Dominus Vndecimæ beneficus non afflictus, fideles, & proficuos tribuit amicos. Maleficus è contra, præcipuè afflictus.

Planetæ benefici in prima 5. 9. 10. 11. plures amicos demonſtrant.

Dominus Vndecimæ ſeparatus à domino Aſcendentis paucos dat amicos.

Caput Draconis in prima, vel Vndecima bonos dat amicos, è contra Cauda.

Dominus Medij cæli ſeparatus à Domino Aſcendentis negat Principis familiaritatem.

Dominus Medij cæli applicatus domino Aſcendentis tribuit Principis amorem, & familiaritatem.

Mercurius in XI. dat amicorum Copiam.

Venus conciliat amicos fœminarum Cauſa.

Sol

Sol amicos tribuit fidos, potentes.

Luna facit potius pluribus notos, quam tribuat amicos.

Aſcendens ſignum ♋ plures tribuit amicos.

Aſcendentis dominus receptus à domino Vndecimæ etiam plures; & optimum ſtatum circa amicos decernit.

Qualitas amicorum particularis deſumitur ex natura Planetæ in Vndecima conſtituti, vel dictæ domus domini; nam ſi fuerit Saturnus dat ſenes agricolas, auaros, taciturnos, inuidos, ſolitarios; & reliquos, quos capite de Planetis annumerauimus.

Si Iuppiter, Prælatos; Iuriſperitos, diuites, nobiles.

Mars milites, Capitaneos Martiales, Chyrurgos, opifices ex igne.

Sol Principes, Magiſtratum gerentes.

Venus Muſicos, Poetas, opifices voluptuoſos, lętos, fęminas.

Mercurius ſapientes, Mercatores, Mathematicos, artifices.

Luna Matronas, Legatos, Nuncios, nautas, inconſtantes.

Si Planeta fuerit bene conſtitutus amicos deſua natura proficuos oſtendet; ſi malè affectus prauos, noxios.

Arabes contendunt amicitiarum cauſas deſumi ex domo cæleſti, in qua fuerit dominus Vndecimæ, vel domo cui dominabitur dominus poſitus in vndecima. Vt ſi fuerit in ſecunda conſurgent amicitiæ cauſa diuitiarum; ſi in tertia ratione itinerum, conſanguineorum, vel religionis, & ſic de alijs domorum ſignificatis.

DE INIMICIS. Cap. XXIX.

SChola dicta conſiderat duodecimam domum pro inimicis occultis; & ſeptimam pro publicis; & his obſeruationibus.

Si in dictis domibus fuerint Planetæ, eos conſiderat pro quantitate, & qualitate inimicorum; ſi non adfuerint dominos illorum locorum, necnon Planetas oppoſitos luminaribus; Hinc plurimos Aphoriſmos afferunt; quorum aliquos ſeligimus, vt obſeruationibus magis congruentes.

Omnes Planetę in duodecima vt plurimum inimicos portendunt; Saturnus ſenes, inuidos, ſolitarios, Saturninos.

Iuppiter Iuriſconſultos diuites, nobiles, eccleſiaſticos.

Sol Magnates. Mars milites, Martiales; Venus mulieres, luſores, libidinoſos, Venereos; Mercurius, mercatores, ſapientes, Mercuriales. Luna Vulgum & reliquos vt capite de Planetis.

Sol, & Mars apertos inimicos, & publicos demonſtrant; Saturnus, & Mercurius occultos. Qui non ſolùm in duodecima, vel ſeptima conſtituti inimicos decernunt, verùm etiam vt domini dictarum domorum.

Dominus Aſcendentis in duodecima, vel ſeptima; & dominus ſeptimæ, vel duodecimæ in Aſcendente plures inimicos demonſtrant.

Dominus duodecimæ ſine aſpectu domini Aſcendentis paucos demonſtrat inimicos; Planetæ dant inimicos Magnates, potentes ſi fuerint benefici. Malefici viles, obſcuros.

Planetæ in ſuis dignitatibus, & in angulis inimicos potentes; in ſuccedentibus

bus mediocres; in cadentibus viles; ſicut extra ſuas dignitates.

Victoriam contra inimos decernunt dominus ſeptimæ in decima, vel decimæ in ſeptima. Sic dominus duodecimæ in decima, vel è contra; vel etiam domini ſeptimæ, & duodecimę debiles; è contrà hi domini potentes erunt ſuperiores Natis, ſicut decernit Saturnus in Iouis oppoſito.

Mars, & Saturnus in 12. decernunt mortem inimicorum.

Iuppiter in vndecima frangit omnem potentiam inimicorum.

Venus, & Iuppiter domini ſeptimæ, aut duodecimæ decern[illegible] inimicos non poſſe nocere Natis.

Cauſas inimicitiarum extrahit hæc ſchola ex domo, in qua fuer[illegible] conſtituti domini duodecimæ, & ſeptimæ; & ex domo, [illegible] dominab[illegible] Planeta exiſtens in ſeptima, aut duodecima.

DE CARCERIBVS, ET CAPTIVITATE.
Cap. XXX.

Circumferuntur octo Aphoriſmi, quibus captiuitas ſignificatur, & carceres obſeruati.

Primus. Alterum luminare ab altera malefica læſum coniunctione quadrato, vel oppoſito; ita vt vtrumq; luminare lędatur à malefica in domo maleficorum; vel altera in ſignis oppoſitis, vel ♌ ♋

Secundus. Alterum luminarium in 12. domo cum maleficis.

Tertius. Mars vel Saturnus in 7. vel 12. in ♈ ♉ [illegible] ♌ ♑ ♋. altero luminarium læſo.

Quartus. Mars, vel Saturnus extra dignitates beneficorum domini ſeptimæ, aut duodecimæ coniunctus, oppoſitus, vel in quadrato luminarium.

Quintus. Mars, & Saturnus ex ſuis dignitatibus oppoſiti, vel in ſignis permutatis, & alter occupet primam, ſeptimam, vel octauam; alter dominus. 8.

Sextus. Dominus duodecimæ in ſeptima in dignitate *Martis*, afflictus.

Septimus. Dominus 12. in ſuo detrimento, vel Caſu afflictus.

Octauus. Luna, aut Sol in 8. extra ſuas dignitates.

Alij Aphoriſmi aliorum.

Mercurius cum Saturno in 6. 8. 12. impeditus.

Saturnus in Medio cæli extra ſuas dignitates.

Dominus Aſcendentis cum domino duodecimę in 4. 6. 8. 12.

Saturnus, & Mars coniuncti, vel in quadrato, aut oppoſito Lunæ.

Mars in Aſcendente cum aſpectu Lunæ inimico.

Saturnus, Mars, & Mercurius in occidente combuſti, cum malo aſpectu domini Aſcendentis.

Mars, & Mercurius in 4. 7. in fortunati, & Mars ſit dominus duodecimę.

Venus cum Marte retrograda in 6. 12. Carceres occaſione mulierum.

Luna in domo Martis; & Saturnus dominus 12. in eius quadrato, vel oppoſito.

Dominus nonæ in angulo combuſtus.

Luna, Mars, Iuppiter Saturnus in 12. infortunati, ſic quilibet eorum.

Satur-

Digitized by Google

Saturnus in occidente in oppoſito luminaris mortem ſignificat in carcere.

Mercurius, vel Luna in 12. vt plurimum dant carceres.

Luminare in angulo in quadrato, vel oppoſito Saturni, & Martis.

Infortunæ in ſublimi cadentes.

Mars dominus Aſcendentis infortunatus cum radio malefico Lunæ.

Venus domina ſextæ in duodecima.

Saturnus, Mars, Luna in quarta; vel in radio malefico Solis.

Saturnus, & Mars in 12. in vno ſigno.

Iuppiter, Saturnus, & Mars in 12. mala grauia adducunt.

Coniunctio Solis, Martis, & Mercurij in ſeptima.

Sol, Mars, Saturnus, Venus, & Luna 12. & aliquando furioſos producunt.

Coniunctio Martis, & Iouis; Saturni, & Veneris; Solis, & Lunæ, ſemper in couenientia multa adducunt in hominibus.

Sol cum Saturno in ♒ caſus infauſtos demonſtrat in vita, honore, & fortunis.

Sol cum ſtella fixa de natura Saturni; & Saturnus cum ſpica Virginis, vel Boote plurima adducunt incommoda.

Luna in 6. 7. 12. ſemper minatur calamitates.

Luna, & Iuppiter ſi infortunantur in 7. mala portendunt. Sic Mars, & Saturnus in oriente, & benefici in occidente.

DE SOMNIIS. Cap. XXXI.

Somnia ex nona domo decernuntur, ex Planetis ibi exiſtentibus, aut dominantibus circa quæ obſeruationibus hęc veræ colliguntur.

Generaliter in nona ſignum fixum vt plurimum vera affert ſomnia, mobile falſa; communia mediocria.

Iuppiter, & Venus in nona à maleficis non læſi bona ſomnia afferunt; quibus vt plurimum euentus correſpondet; ſi fuerint afflicti à maleficis, vel debiles ſomnia ambigua.

Saturnus, vel Mars ibi conſtituti ſi fuerint debiles extra ſuas dignitates, vana, & fallacia tribuunt ſomnia; fortes verò, vel cum aſpectu beneficorum ambigua, quibus raro euentus correſpondet; licet veriora afferat Saturnus, quàm Mars; Sol, Luna, Mercurius in nona ambigua ſomnia, modo mala, modo bona & cum raro euentu. Verùm configurati beneficis, & in ſuis dignitatibus potentes multoties vera, & cum euentu præſertim in ſigno fixo; è contra cum maleficis afflicti, & debiles, & ſigno mobili fallacia.

Venus in 9. iucunda affert ſomnia, vt plurimum ſine euentu.

Sol cum Saturno dominus nonæ mala ſomnia, plerumque vera. Cum Venere, & Ioue vera, & bona.

Saturnus cum Luna; Saturnus, & Mars. Saturnus, & Mercurius. Mars & Mercurius falſa, & mala. Saturnus, & Venus bona, & mala ſæpè vera; Mercurius, & Luna multoties vera.

Cæterum ſomniorum qualitas ſumetur ex Planetis ſignificantibus.

Saturnus dat ſomnia de perſonis, & rebus ſignificatis à Saturno, vt hęreditatibus, ſtabilibus, ſomnijs, agricultura, ſpectris, dęmonibus, mortuis, rebus occultis, metu, timore, itineribus infauſtis, difficultatibus, anguſtijs,

miſerijs,

miſerijs, moleſtijs ægritudinibus, & huiuſmodi.

Iuppiter de honoribus, diuitijs, amicitijs, Principibus, rebus eccleſiaſticis, & rebus lætis.

Mars de contentionibus, rixis, litibus, ludis, bello, venationibus, militibus, canibus, equis, ægritudinibus, incendijs, & huiusmodi martialibus; furtis, ſeruis.

Sol de honoribus, gloria, decore, magiſtratibus, Principibus.

Venus de voluptatibus, fęminis, choreis conuiuijs, ornamentis, delitijs, picturis, rebus pulchris.

Mercurius affert ſomnia de ſtudijs, ſcientijs, opificio, negotiatio[illegible]bus, itineribus, contractibus, conſuetudinibus cum do[illegible] ſcrib[illegible].

Luna de nauigatione, aquis, itineribus, fęminis, balneis, fluminibus, volatu per aera.

Caput Draconis dat placida ſomnia, bona, & aliquando vera.

Draconis Cauda falſa, mala, & diſplicenda.

Hæc decernunt vt diximus, vel in nona permanente vel dominantes.

DE SERVIS. Cap. XXXII.

Generalis ſeruorum conditio, animiſque eorum erga dominos colligitur ex ſignis domus ſextæ, & duodecimæ, præcipuè verò ſextæ; ex Planetis in ſexta repertis, & dominantibus, ac Mercurio generali ſeruorum ſignificatore. Si enim Planetæ dominatores, vel conſtituti in 6. fuerint benefici, fortes in ſuis dignitatibus liberi à maleficis, decernent Natum habiturum ſeruos multos, bonos, venuſtos, proficuos, fideles. Si malefici, debiles, vel male affecti paucos, eos malos, infidos, noxios, malorum morum; de natura verò Planetarum poſitorum in ſexta, aut dominantium. Conditio eorum habetur ex conſtitutione dominorum 6. & etiam aliquando 12. in locis Geniturę Nati; nam in angulis, vel ſuccedentibus fortes, orientales, in ſuis dignitatibus cum aſpectu beneficorum ſeruos oſtendent futuros claros, nobiles, prudentes magnifaciendos; Si debiles in locis deiectis, afflicti à maleficis, occidentales ſeruos humiles, abiectos, neglectos.

Aphoriſmi obſeruati.

Dominus ſextæ fortunatus multos tribuit ſeruos: In fortunatus à Sole paucos.

Dominus ſextæ in angulo fortis pollicetur vtilitatem à ſeruis.

Dominus ſextæ in medio cæli, Dominum promoturum ſeruos ad honores.

Dominus ſextæ in 7. 8. vel ſub terra infortunatus dat mortem ſeruorum.

Mercurius in medio cæli, 6. 12. applicatus Ioui, vel Veneri liber ab infortunis decernit vtilia à ſeruis: Si cadens infortunatus nec Ioue, vel Venere mala tribuit Natis cauſa ſeruorum.

Iuppiter, & Venus in 6. bonos tribuunt ſeruos, Saturnus, & mars malos, & damna à Seruis, vel eorum cauſa.

In Genituris Aſcendens ſerui, ſexta domini, decernunt inter eos conuenientiam; Medium cæli Domini, Aſcendens ſerui, poterit maximè ſeruus cum Domino.

Do-

Dominus 6. in 7. vel in oppoſito domini Aſcendentis ſignificat ſeruos contrariaturos Domino. In oppoſito Solis detracturos honori domini. In oppoſito Partis fortunæ nocituros domino.

Particularis, & temporanea conditio ſeruorum deſumitur ex tranſitu Planetarum ſuper ſextam domum; ex illis enim iudicium conſurget maximè cum obſeruationibus congruens notabiliter; ſi hanc domum pertranſierint malefici Nati tunc temporis malos ſeruos acquirent; ſi tranſierint benefici bonos.

Si ingredictur Saturnus habebit Natus ſeruum Saturninum, pigrum, turpem, inuidum, malorum morum, ſenem, melancholicum.

Ingrediens Iuppiter ſeruus acquiretur bonus, fidelis, prudens, hilaris de Iouis natura.

Si Mars. Seruus colericus, callidus, rixoſus, Martialis.

Si Venus, blandus, formoſus, affabilis, iocoſus, hilaris, & de natura Veneris.

Si ſextam domum ingrediatur Mercurius, Natus acquiret ſeruum prudentem, aſtrictum ſceleris motu, & de natura Mercurij.

DE ITINERIBVS. Cap. XXXIII.

Conſiderat Ptolemæus pro itineribus domus cadentes, & ſeptimam; experientia verò aſſumitur domus nona pro itineribus longis; & tertia pro breuibus, ſeptima pro mora extra patriam; duodecima ex conſtitutione ibi luminarium, vel Partis fortunæ multoties decernit itinera; Mars tamen ibi poſitus non itinera: ſed carceres, inimicitias, & ſimilia demonſtrat; ſextam domum itinera tribuere adhuc non didicimus.

Pollicentur itinera Sol, Luna, Mars, & Pars fortunæ, quemadmodum Mercurius vt plurimum ob ſui motus celeritatem. Sol ob honores, quibus raro potimur in patria; Luna quia animam ſignificat, velociſque motus inclinat ad videndas nouas regiones. Mars cum præſit impetui animi, ex quo itinera proueniunt, quemadmodum ex cauſis Martialibus. Pars fortunæ, quæ diuitias ſignificat, quæ raro abſque laboribus, itineribus, & ſimilibus cumulantur.

Luminaria, Mars, Pars fortunæ, & Mercurius in 9. 3. & ſeptima inclinant ad itinera; pro quibus obſeruationibus cōſiderandi ſunt domini Aſcendentis ſicut domus nonæ, dominus tertiæ, hinc quam plurimi extant Aphoriſmi qui propellunt ad itinera præter dicta ſuperius luminarium, Partis fortunæ, Martis, & Mercurij in 3. 9. 7.

Planeta dominus Aſcendentis in 3. 9. dat itinera; in 7. moram extra patriam.

Dominus 9. vel tertiæ in Aſcendente.

Dominus Aſcendentis cum domino nonæ, vel tertiæ.

Dominus Aſcendentis, ſicut loci Lunæ in quadrato, aut oppoſito loci Lunæ vel Aſcendentis.

Coniunctio Mercurij, & Lunæ, vel in mutua receptione.

Sol in domo Lunæ multoties.

Nodi Lunares ☊ ☋ in 3. 9. 7.

Cauda Draconis ☋ in decima dat itinera coacta, vt exilia, aut huiuſmodi.

Planetæ in dignitatibus domini nonæ, vel tertiæ.

Planetæ

Planetæ peregrini præcipuè Almuten figuræ cęleſtis, & dominus Aſcendentis.

Iuppiter in oppoſito Saturni.

Iuppiter in 9. in ſuo detrimento, vel caſu dat itinera ex cauſa abſcondita, vel cauſa exilij.

Si benefici Iuppiter, & Venus loca intueantur beneficis radijs in quibus fuerint reperti promiſſores itinerum, vel ſuccedent poſt illos promiſſores ſiue in eodem, ſiue in diuerſo ſigno; itinera felicia pollicentur, cum honore, & lucro, reditus celeres, expeditos abſque impedimentis, & periculis. Si ad fuerint malefici ſuccedentes, vel aſpexerint ea loca quadrato, vel oppoſito, itinera erunt periculis expoſita, reditus impediti, tarai cum anxietatibus, atque infortunijs; quarum rerum magnitudo coniectanda eſt ex robore aſpicientium, vel ſuccedentium beneficorum, ſeù maleficorum; an fortes, validi, an debiles fuerint, debiles namque parua; validi magna patrabunt.

Itinera verſus quam plagam ſint futura demonſtrantur ex ſitu promittentium itinera; nam reperti in quadrantibus Mundi orientalibus conſtituunt itinera verſus orientem, vel Meridiem. In occidentalibus verſus Auſtrum, vel ſeptentrionem;

Præter Prolemæi dicta, docet experientia alia eſſe conſideranda pro locis itinerum. In Marte enim, & Luna conſideranda eſt latitudo, & aſcenſus, & deſcenſus in dicta latitudine. Nam promiſſores itinerum præditi latitudine Boreali aſcendente itinera demonſtrant verſus ſeptemtrionem; ſi Auſtralis deſcendens verſus Auſtrum; Luna, & Mars intelligatur.

Conſiderandi ſunt in ſuper domini locorum itinerum; nam orientales ſi fuerint, ideſt qui præſint orienti vt Sol, & Saturnus itinera ſignificabunt verſus plagam orientalem. Si Meridionales vt Venus verſus Meridiem. Si occidentales, qui pręſint occidenti, vt Mars, & Luna verſus occaſum. Si Boreales vt Iuppiter verſus ſeptentrionem.

Conſideranda etiam ſunt ſigna, & trigoni, in quibus fuerint conſtituti decernentes itinera, & domini illorum; nam in trigono igneo itinera dabunt verſus orientem. In terreo verſus Meridiem; in aereo verſus occidens; in aqueo verſus ſeptemtrionem.

Si demonſtrantes itinera Sol, Luna, Mars, Sors, Mecurius, dominíque locorum fuerint in ſignis vnius figuræ decernent Natos raro, ac non niſi cùm eis fuerit commodum itinera peracturos; ſi in ſignis bicorporeis, vel multiformibus cōſtellationibus, quas ſupra numerauimus in Zodiaco octaui orbis, itinera diuturna, ac abſque interpellatione multo tempore duratura indicabunt.

Si Venus, & Iuppiter fuerint dominatores ſignorum inquibus fuerint Sol, Luna, Mars, itinera pollicentes, demonſtrabunt itinera placida nullis periculis expoſita; ſed cum omnibus commodis, aeris tranquillitate, & opum, ac neceſſariorum affluentia; Nati enim proficiſcentur vel cauſa amicorum, adminiſtrationis, gubernij, Præfecturæ, honoris præcipuè ſi Veneri, Iouique aſſocietur Mercurius, qui dona affert, diuitias ex cauſa itinerum.

Si dominatores fuerint Saturnus, vel Mars; & hi malefici aſpexerint decernentes itinera ex oppoſito; itinera erunt periculis expoſita, damnoſa, ac inutilia; & aliquando cum periculis. Periculorum verò qualitas decernetur ex

ſignis,

ſignis, in quibus malefici fuerint conſtituti; nam in ſignis humidis in Zodiaco, & extra in Argonaui, vel Delphino pericula adducunt per procelloſas nauigationes, per loca deſerta, ac inuia: In ſignis fixis per præcipitia, ruinas verſorum. In tropicis, & Æquinoctialibus ex ægritudinibus, ex queſtu alimentorum, pauperie, neceſſitate. In humanis ♊ ♍ ♒ & prima medietate ♐, & extra Zodiacum cum Perſeo, Cepheo Auriga, Andromeda, pericula ex latronum incurſibus, violentia Principum, ſeditionibus, ac huiuſmodi. In terreſtribus ♈ ♉ ♌ ♐ ♑ ♒ & extra Zodiacum, Lepore, Serpentibus Canibus ex ferarum incurſibus, terremotu, terræ concuſſionibus.

Si cum maleficis adfuerit Mercurius, adducet pericula per ea, quæ in ſublimi fiunt; fulgura, tempeſtates, ventos; vel Mercurialia, accuſationes, ſcripturas; ictus venenatorum, reptilium.

Generaliter malefici in ſignis aqueis dant pericula ſubmerſionis. In terreis præcipitij ex alto. In quadrupedibus proſternari ab Equis: In tropicis, & æquinoctialibus Nati patientur in victu, & neceſſarijs. In humanis tribuunt pericula ex hominibus, latronibus, & huiuſmodi.

Cauſas itinerum Aſtrologi extrahunt ex domino nonæ, vel tertiæ, aut ſeptimæ, in quibus fuerint Sol, Luna, Mars, vel Pars fortunæ; ex qualitate dominantis in illis locis, ac qualitate domus, in qua fuerit hic dominus repertus, exempli gratia. Sit Saturnus dominus 9. itinera erunt cauſa rerum, vel perſonarum Saturninarum, vt agriculturæ ædificationis, nauigationis, hæreditatis, mortuorum, & ſimilium; cauſa ſenum, agricolarum, & perſonarum decretarum à Saturno.

Si dominus fuerit Iuppiter cauſa religionis honoris, iuriſprudentię beneficij eccleſiaſtici, cauſa Magnatum, nobilium diuitum, Præfectorum.

Si Mars ratione rei bellicæ, ac Martialium; ſicque in alijs Planetis ex ſuis ſignificatis alibi explicatis.

Ex domibus etiam in quibus fuerint dominatores locorum itinerum, Recentiores ſignificationes colligunt. Vt ſi fuerint in prima, itinera decernuntur ſpontanea. In ſecunda cauſa diuitiarum. In tertia cauſa religionis, vel conſanguineorum. In quarta cauſa ſtabilium, ſeniorum domus. In quinta ratione filiorum, voluptatum, negotiorum commiſſorum. In 6. ratione ægritudinis, damnaque decernunt in beſtijs, & à ſeruis. In 7. cauſa contentionum, litigiorum, vxoris, mulierum. In 8. cauſa mortuorum, hæreditatis. In 9. cauſa ſcientiarum, religionis. In 10. cauſa dignitatis, honoris opificij. In 11. cauſa amicorum, rerum ſperatarum. In 12. cauſa inimicorum, moleſtiarum.

Sciendum, quod qui erunt cauſæ itinerum, erunt etiam ſignificatores qualitatis ex qua detrimentum vel vtile conſurgent ex itinere. Sol ſi erit cauſa itinerum, damna, vel proficua conſurget ex ſuis ſignificatis, vt honoribus Patre. Si Luna ob animi affectiones, deſiderium videndi nouas regiones, ob Matrem, vxorem, fœminas, & alia à Luna ſignificata continget vel diſplicentia, vel proficuum. Si ſors fuerit demonſtratrix itinerum; bona, aut mala, quæ contingent omnia erunt cauſa diuitiarum. Si Mars propter ſignificata Martialia, rixas, lites, luctos, bellum; aliaque de natura Martis.

Sic coniectandum de dominis eorum, qui itinera demonſtrant, Solis ſcilicet, Lunæ, Partis fortunæ, & Martis, in quibuslibet figuræ Cæleſtis domibus ſumen-

Digitized by Google

ſumendo ſignificata ex ſignificatis domorum, vt ſuperius.

Tempora itinerum habentur ex directionibus Aſcendentis, vel etiam medij cæli ad corpora, vel radios Solis, Lunæ, Martis, & multoties Mercurij, & Parte m fortunæ: Aliquando ex profectionibus, quando aderunt magna itinerum ſignificata; paſſim autem ex annorum reuolutionibus; cùm Mars, Sol, Luna, aut Pars fortunæ fuerint in domibus Cadentibus.

DE MORTE, ET QVALITATE mortis. Cap. XXXIV.

DIximus cap. de Vitæ ſpatio quinam ſint vitæ humanæ ſignificatores; quæ loca Aphetica, in quibus conſtituti Aphetæ poſſint vitam decernere: quique Anerete, ſiuè abſciſſores, ſeu interfectores; & tunc mortem contingere cùm directione Apheta impinxerit in Aneretam, nullis ex tribus conditionibus a liituantibus poſitis à Ptolemęo, quæ prohibent, ne Anereta in occurſu Aphetæ interimat. Remanet indiſcuſſum, nec ab alijs accurate tractarum, ideſt de qualitate mortis, cui hoc modo conſulimus ſilentium in poſterum huic negotio tam arduo imponentes.

Occurſus Aphetæ cum Anereta, vt diximus, interimit, & tunc mors ſuccedit: qualitas autem mortis aliunde petenda eſt; non enim dependet omnino ab Anereta; nam ſi abſolutè ab Anereta procederet, idem eſſet author mortis, & mortis qualitatis; quod eſt abſurdum, cum inter ſe differant; nam Iuppiter, & Venus vt benefici mortem non decernunt, mortis verò qualitatem vt inferius explicabimus; Pro quibus hunc ordinem ſeruandum eſſe contendimus.

Pro decernenda mortis qualitate primò conſiderandus eſt locus Aneretícus, & locus illi proxime ſuccedens, ideſt ſuccedens gradibus in quibus cadit directio quadrati, oppoſiti, coniunctionis, aut alterius maleficorum; ſiue ille locus ſuccedens fuerit radius, vel corpus alicuius Planetæ, aut ſtellæ fixæ, & ſi non adfuerit aliquis in loco ſuccedenti, accipiendus eſt proximè antecedens, atque Planeta, vel radius, vel ſtella fixa. Secundò conſiderandus eſt dominus terminorum loci, in quo cadit directio. Tertiò ſignum Aneretícum, in quo cadit eadem directio. Quarto conſiderandi ſunt Planetæ configurati cum illo loco ſuccedente, vel antecedente Aneretícum.

Sciendum mortem, quæ terribilium omnium eſt extremum, dupliciter contingere; vel naturaliter, & ab intrinſeco extincto calore natiuo; vel de populato humido radicali. Vel violenter, & ab extrinſecus aduenienté, vt ferro, igne, caſu, laqueo, veneno, & huiuſmodi; ad quod poteſt etiam reduci mors repentina. Ambæ qualitates decernuntur ex Planetis à Ptolemæo vocatis Piothanatis, ideſt qualitatem mortis decernentibus, qui ſcilicet fuerint ſuccedentes, vel antecedentes loco directionis, vel aſpicientes dictum locum, vel domini terminorum directionis; & loci Aneretici.

Mors naturalis contingit, & è vita diſcedimus ſine violentia, & ex morbo aliquo abſque violentia, quando Planetæ dicti ſignificantes qualitatem mortis, fuerint reperti in locis conuenientibus ſuæ naturæ, ac in proprijs dignita-

L tibus

Digitized by Google

tibus eſſent talibus à ſtellis maleficis radijs quadratis, aut oppoſitis non afflicti: hocq; miri moriendi genere decedunt ex directione Aphetæ ad Aneretam, vt diximus, abſumpto humido radicali, vel depopulato calore natiuo, vel ex debilitate, vel ſuffocatione; qualitatem cæterum mortis Planetæ indicant.

Saturnus, qui dominatur auditui dextro, veſſicæ, ſpleni, melancholiæ, pituitæ crudæ excrementitiæ, dentibus, cartilaginibus, ligamentis natura frigidus, & ſiccus, quando fuerit dominus qualitatis mortis, eam portendit ex frigidorum humorum redundantia, ex fluxionibus, ex humoribus crudis infarctis in cauitatibus membrorum; qui ex melancholico ſucco, proficiſcuntur, quartanis febribus, chronicisque, podagra, chyragra, paralyſi, lepra, vitijs cutis exortis ex melancholicis ſuccis, cancro, ſcirrho, vlceribus malignis, icteritia, nigra, hydrope, tabe, cachexia, aſthmate, obſtructionibus partium naturalium hepatis, lienis, vteri; hemorroidibus, hernia, calculo, alijſq; vitijs veſſicæ, & tandem affectibus omnibus ex frigiditate, & humorum cruditate prouenientibus.

Iuppiter, qui dominatur pulmoni, ſanguini, hepati, carni, humoribus icoroſis, mortem affert ex pleuritide peripneumonia, angina, apoplexia originem ducente ex ſanguinis plenitudine; conuulſionibus, variolis morbillis, tumoribus obortis ex ſanguinis redundantia, inflammatione hepatis, doloribus capitis ex ſanguine, alijſque ex ſanguine morbis.

Mars præeſt auditiui ſiniſtro, renibus, felli, bili, inteſtinis, ſedi; mortem affert ex morbis, qui ex bile, aut torrefacto ſanguine ducunt originem, febribus ardentibus, continuis, tertianis, hæmorragia ſanguinis quacumq; phrenitide, mania, phtyſi, colera, ictetitia flaua, diſſenteria, eriſipelate, exantematibus, tumoribus, ac vlceribus ardentibus, hæmicrania, doloribus capitis ex bile, affectibus renum, fiſtulis, ac huiuſmodi.

Sol dextrum poſſidet oculum, cor, arterias, ac in eis contentum ſanguinem; mortem accelerat ex ſincope, cardialgia, cholera rubra, optalmia, ac morbis oculorum, palpitatione cordis, affectibus ſtomachi; ſicut capitis ex humore calido.

Venus, quæ dominatur guſtui, olfactui, ſemini, vaſis ſeminarijs, pudendis ſexus vtriuſque, atque ventriculo, mortem decernit ex affectibus matricis, ſtomachi; ex omnibus morbis ex ſuperfluitate humorum proficiſcentibus, lienteria, lue gallica, vlceribus ſerpentibus, fiſtulis morbis genitalium, abſceſſibus ædematoſis, inſania ex amore, affectibus ex humiditate, doloribus cholicis, iliacis.

Mercurius præeſt menti, neruis, rationi, ſpiritibus digitis; mortem affert ex cerebri affectibus, mania, delirio, æpilepſia, phthiſi, tuſſi, ſputi redundantia, vomitibus, defluxibus à capite, morbis melancholicis, oppilationibus fellis; animi affectibus, & morbis ex ſiccitate exortis.

Luna dominatur cerebro, oculo ſiniſtro, pituitæ naturali; producit affectus ſoporiferos, comam, catalepſim, grauedines, diſtilationes, lienterias, hydropem, apoſtemata phlegmatica, morbos ex oppilatione; paraliſim epilepſiam, morbos ex humiditate, & frigiditate, lumbricos errores in menſibus eijciendis, & ſimilia.

Affectiones, quæ contingunt ratione ſignorum indagandę ſunt capite de

Vitijs,

Vitijs, & morbis corporis.

Circa mortem violentam duæ ſunt conſtitutiones ex Ptolemæo.

Prima quando ambo malefici Saturnus, & Mars imperabunt Pitohanato ideſt dominanti loco antecedenti, vel ſuccedenti Anereticum, ſeu directionem; vel illum locum reſpexerint de quadrato, aut oppoſito, vel ibi fuerint præſentia ideſt in loco antecedenti, vel ſuccedenti dicto directionem, dummodo illi loco dominentur.

Secunda quando maleficæ afflixerint vel dominentur locis luminarium, quod poteſt multis modis contingere.

Primò; quando vna malefica afflixerit ambo Luminaria, ideſt vel dominetur locis luminarium; ſed non ſit cum lumina[illegible]naria benefico aſpectu intueatur; vel eadem luminaria aſpexerit de quadrato, aut oppoſito.

Secundò. Quando vna malefica afflixerit vnum luminare; altera alterum.

Tertiò. Quando ambæ maleficæ afflixerint vnum luminare.

Quartò. Quando vna malefica afflixerit vnum luminare; altera verò Piothanatum.

Quintò. Quando vna, & eadem maleficia afflixerio vnum luminare Piothanatum; In his omnibus decernetur periculum mortis violentę.

In prima conſtitutione contingit mors violenta; ſed non publica & euidens In ſecunda aderit publica, cum adſit mixtio luminarium; & luminaria patiantur, ex quibus conſpicua mors producitur afflictus à maleficis.

Pro qualitate mortis publicæ notandum; quod non vbique locorum eodem modo homines necantur; nam pro varietate regionum vario plectuntur; ſic pro ratione conditionis hominum, ſuſpendio, rotis, palo alijſque modis diuerſis. Sic Principes relegantur in exilium, & propter idem delictum vir vilis conditionis à carnifice in quatuor partes diſcinditur; hinc ſupplicia videntur inuenta pro miſeris, conditionemq; ſequi perſonæ, non peccata.

Conſpicuitas, & magnitudo mortis publicæ, quæ coram populis accidit decernitur ex luminaribus; genus verò eiuſdem mortis ex aſpectibus ſtellarum ad Piothanatum, vel ad luminaria, vel maleficas aſpicientes luminaria; quemadmodum ex ſignis intra, vel extra Zodiacum in quibus malefici, vel luminaria fuerint conſtituta, vel ſicut fuerint conſtituti Piothanati.

Mortis violentæ qualitates, ex Saturno, ex quarto, quadripart. Ptolemæi in 11. *Caſus.*

Primus caſus. Saturnus Soli in ſignis fixis iunctus, oppoſitus, vel quadratis radijs configuratus, lapidatiouem, ſtrangulationem; vel ſuffocationem igne, vel aqua portendit. Comprehenditur ſub hoc Aphoriſmo capitis amputatio, moti ex ictu machinæ, ſagittarum confoſſione, ſuſpendio, Cruce, furcis, arboribus, laqueo, & ſimilibus.

Secuudus. Saturnus Soli in feralibus eodem modo configuratus ſupra à feris dilaniandos; Comprehenditur cadere ab equis, morderi à canibus, vrſis, lupis, & huiuſmodi.

Tertius. Saturnus cum Ioue imperante Saturno, vel quadrato aſpiciente Saturnum expoſitos publicè feris. Cum hic mos ſit abolitus comprehenditur dilacerari à quatuor Equis, Palo infigi, in ſui rotis, & ſimiliter.

 Quar-

Quartus. Saturnus Soli, aut Marti in tropicis iunctus, vel oppoſitus in Cæli Medio ſignificat ab alto præcipitandos. Comprehenditur cadere ex curru in f[illegible]eam.

Quintus. Saturnus Soli, aut Marti in Tropicis iunctus, aut oppoſitus ruina opprimendos. Comprehenditur ex ictu machinæ, obrui cæno, viuos ſepeliri.

Sextus. Saturnus Mercurio iunctus, aut oppoſitus, aut de quadrato in ſerpentibus, aut terreſtibus mori ex venenatorum ictu. Comprehenditur acu pungi, ſagitta venenata, vel alio ferro venenato.

Septimus. Saturnus occidens Lunam ſequens (Arabes legunt præcidens) ſuffocatos igne, vel aqua. Comprehenditur cadere in foueam, obrui cæno, nimbis, niue, [illegible], carbonibus, in domo noua, calce.

Octauus. Saturnus vt dictum eſt Mercurio, ac Veneri congrediens ex veneficio, vel fæminarum dolis. Comprehenditur mori ex venenis.

Nonus. Saturnus Lunæ in aqueis ſignis, vel Virgine configuratus aquis ſuffocandos. Comprehenditur apoplexia, ex multa copia Vini, ex defluxu humorum præcipiti, & violento.

Decimus. Saturnus in Argo Lunæ configuratus naufragio mergendos Comprehenditur in Naui, nauali prælio.

Vndecimus. Saturnus in occidente Soli, vel Lunæ oppoſitus mortem in carceribus denunciat. Comprehenditur non ſolum manu Carnificis; verùm etiam pedore, inedia, veneno, timore, tormentis. Sic relegari in exilium, quod idem eſt; ſolumque diuerſum ex diuerſitate perſonæ.

Notandum: quod per configurationem intelligenda eſt coniunctio, oppoſitio, radius quadratus, ſextilis, & trinus, qui habeant vim quadrati, Antiſcia Imperantia, & obedientia.

Qualitates mortis violentæ Significatæ à Marte.
In nouem Aphoriſmis.

Primus, Mars Soli, aut Lunæ tetragonis, aut oppoſitis radijs configuratus in ſignis humanis, ſeditione, bello, aut propria manu Natos interficiendos decernit.

Secundus, Mars Soli, aut Lunæ vt ſupra configuratus in ſignis humanis cum teſtimonio Veneris, fœminarum cauſa occidendos.

Tertius. Mars vt ſupra in humanis cum teſtimonio Mercurij, à latronibus, Piratis, aut maleficis.

Quartus. Mars in mutilatis vt iuxta Caput Meduſæ cum Sole; vel Luna capite plectendos.

Quintus. Mars vt ſupra in Cæli Medio; vel Imo Cruci affigendos, præcipuè circa Cephæum, & Andromedam.

Sextus. Mars Soli, aut Lunæ vt diximus configuratus in Scorpione, vel Sagitario; vſtionibus, ſectionibus, aut Medicorum reuulſionibus.

Septimus. Vt ſupra Mars in occaſu, viuos comburendos.

Octauus. Mars vt ſupra in occaſu in quadrupedibus, diſtractos, vel ruina oppreſſos.

Nonus.

Nonus. Mars vt ſupra; ſi male Iuppiter diſpoſitus teſtifacetur, illuſtri mortis genere perituros per iram Principis, aut Regis, capite multandos vel aliter.

Sciendum ex Ptolemæo quod malefici ſi fuerint coniuncti, vel oppoſiti, vel de quadrato ſe intuentes, affligentes locum Aneteticum, ac luminaria potentius agunt ad mortis qualitatem acerbam decernendam. Cum verò opp ugnent ambo malefici; in hoc caſu mortis malitia deſumetur ex domino loci Anetetici. Quando autem fuerint dominantes ambo in loco Anetetico, accipiemus principaliorem, ac potentiorem in illo loco. Ob malignitatem tanti influxus cum non poſſint malefici aliud peius decernere, efficiunt vt corpora orbata ſepultura deſerantur in patibulis, feris, vel auibus dilaniando, prout fuerint malefici in ſignis auium vel quadrupedum; quod contingit quando exiſtent ſupra terram, & aliquo aſpectu non irradient locum interemptorium.

Ptolemæus. Peregre moriuntur, & extra patriam, in quorum Genituris domini loci Anetetici, & ſuccedentes loco Anetetico fuerint in domicilijs cadentibus ab angulis.

Circa mortis violentę genera plurimi extant Aphoriſmi Antiquorum, inter hos hi præcipuè transferuntur vndecim.

Primus Ambo luminaria in ſignis violentis, diuerſis, nec contiguis mortem violentam portendunt. Signa violenta ſunt ♈ ♎ ♏ ♑ ♒. Sic dicta quod malefici domum, vel exaltationem obtinent in illis.

Secundus; Vtrumque luminare in ſtellis fixis violentis intra diſtantiam quinque graduum, mortem violentam minantur.

Stellæ violentæ hoc anno 1652.

Pallilitium oculus Tauri	♊	4	59	Nat. ♂
Antares, ſeu Cor Scorpij	♐	4	59	Nat. ♂ ♃
Caput Algol, ſeu Meduſæ	♉	21	2	Nat. ♃ ♄
Hercules, ſeu Pollux	♋	18	29	Nat. ♂ ♄

Hæ duę regulæ effectum ſortiuntur, quando dominus Aſcendentis, vel domus octauæ iungitur corpore alteri luminari; vel alterum luminare dominium obtinuerit in Aſcendente, vel octaua.

Tertius. Alterum luminare in ſignis violentis; alterum cum ſtella violenta violentum exitum portendunt. Cum hoc tamen quod luminare vna malefica; altera dominum octauæ infeſtet.

Quartus. Ambo luminaria ab vtroque malefico læſa, ita vt alterum luminare, & alteruter maleficus ſint in ſigno violento, vel fixa violenta: Idem decernunt quando ambo luminaria ab vnico malefico infeſtantur, altero malefico læſo, vel verſante in ſigno violento, & dominium in octaua poſſidente.

Quintus. Coniunctio Saturni, & *M*artis in angulo præcipuè Medio cæli in ſigno violento; aut alterum luminarium infeſtans decernit violentiam. Idem facit coniunctio, oppoſitio, vel quadratus in alijs ſignis, quàm violentis, ex angulis tamen; altero eorum dominante in octaua.

Sextus. Malefica in octaua in ſuo detrimento, vel caſu, vel in ſigno violento vel cum ſtella violenta: luminarium altero infeſtato à maleficis. Idem demonſtrat dominus octauæ in ſuo detrimento, vel caſu à maleficis afflictus con-

ſtincto altero luminare, vel altero maleficorum in ſigno violento.

Septimus. Dominus octauæ in Aſcendente peregrinus, vel in ſigno violento, vel cum ſtella violenta; dummodo vnum luminare fuerit afflictum.

Octauus. Dominus Aſcendentis in ſigno violento, vel afflictus à maleficis. Hoc modo oportet dominum Aſcendentis, aut diſpoſitorem luminaris vtroque in commodo laborare: ſi alter beneficus, alter maleficus oportet vt beneficus laboret duplici in commodo, ideſt eſſe in ſigno violento, & eſſe afflictum à maleficis; & maleficum in ſigno violento eſſe afflictum ab altero malefico.

Nonus. Dominus Horoſcopi in octaua maleficus, & damnatus; quod ſi non ſit maleficus: tamen in ſigno violento, & afflictus à maleficis.

Decimus. Diſpoſitores domus octauæ, & primæ ideſt domini: ſi ſint diſpoſitores vtriuſque luminaris: altero eorum dominorum verſante in ſuo caſu, vel detrimento; altero de natura malefico, ac damnante alterum luminare conſtitutum in ſigno violento.

Vndecimus. Luna in 7. in ſignis, quæ habent ſtella violenta ♉ ♊ ♐ ♋ à Sole hoſtili radio irradiata; vel malefica ſtella octauam domum occupante, vel domino octauæ, ita vt ſimul occupent ſignum violentum, dat ſignum exitus violenti.

Alij plurimi Aphoriſmi obſeruati ſparſim reperti de exitu violento; quorum aliqui ex ſupradictis deſumuntur.

Mars, & Saturnus in Aſcendente vitiatis luminibus violentum exitum decernunt non obſtante auxilio niſi eo maximo.

Mars in angulo in quadrato Saturni, vnuſque eorum aſpiciat luminare quadrato, aut oppoſito.

Sol cum Marte, Saturno, & Mercurio in 12. Luna poſita in 3. abſque aſpectu Iouis, minatur violentiam ex facinoribus.

Sol in Aſcendente, Saturnus, & Mars partiliter in duodecima in Lunæ oppoſito, violentiam, & captiuitatem decernunt.

Luna cum Mercurio in octaua; Saturnus in medio cæli, Sol in 7. idem.

Luna Solitaria in 7. afflicta à maleficis, violentiam, vel vitam breuem.

Mercurius cum Capite Meduſæ in quadrato Martis.

Luna in 12. in radio maleficorum dominantium in ſeptima.

Luna in 8. afflicta à Saturno, & Marte.

Saturnus in Natiuitate noturna in 8. abſque aſpectu beneficorum.

Saturnus, Mars, & Mercurius in quarta coniuncti.

Saturnus in quarta in ſigno fixo ſemper mala decernit.

Malefici in 8. cum domino octauæ abſque beneficis.

Poſita malefica in angulo, dominus Aſcendentis cum Cauda Draconis.

Mars cum Cauda Draconis afflicto Luminare.

Influxus maleficus in decima à Potentibus tribuit pericula. In duodecima ab animalibus, aut inimicis occultis. In 7. ex apertis. In tertia ex conſanguineis. In 6. à ſeruis.

Signa ignea dant pericula ex igne aut ignitis. Aerea, caſu ab alto, ſuſpendio, ſtrangulatione. Terrea ex ruina. Aquea ſubmerſione; Humana ab homine; Venenata venenis.

Violen-

Violentię aut plurimum à Venere, & Marte; vel enim propter rixas, & ſimilia, vel cauſa fęminarum.

PAENA CAPITIS. Cap. XXXV.

LVminaria cum Capite Meduſæ, & dominus luminaris conditior ıtij in quadrato, aut oppoſito Martis, abſque aſpectu beneficorum, qui præſunt octauæ, capite plectendum demonſtrant.

Mars cum Cauda Draconis in 8. abſque beneficis; vel ferro.

Luna noctu cum Marte in angulis, afflicto Mercurio, vel Ioue; Luna abſque beneficorum auxilio.

Luminare afflictum, & Saturnus dominus 8. afflictus ab oppoſito Martis manu Regis occidendum.

Luna cum Marte in 8. cum prauo aſpectu Mercurij, ex facinoribus.

Mars cum Mercurio in quinta; Lunaque cum Saturno in vndecima.

Apheta in 7. afflictus; Marſque dominus ſeptimæ afflictus.

Malefici cum Hydra, Luna cum Capite Algol; Sol cum ſplendida ♒.

Infortuna cum ſplendida Aquarij. Luna cum Capite Algol.

Maleficus cum Capite Algol. Luna cum ſplendida Aquarij.

Sol, & Mars cum Canicula, Luna cum Vulture cadente in ſublimi & ſupra terram ex Magiſtratibus.

Mars in humanis cum teſtimonio Mercurij domini loci Martis, iuſſu Principis, vel à latronibus.

Infortuna cum Hydra, Luna cum Capite Meduſæ, Sol cum lucida Aquarij capite plectendus etiam ſi Rex.

Maleficus cum Capite Meduſæ, Luna cum lucida Aquarij.

PERICVLA SVSPENSIONIS. Cap. XXXVI.

SAturnus in Medio cæli in oppoſito luminaris conditionarij abſque auxilio tribuit pericula ſuſpenſionis.

Saturnus Anereta in ſignis fixis in quadrato, aut oppoſito Solis.

Mars, & Saturnus in Aſcendente in oppoſito Solis, & Mercurij; ac prętęrea membrorum lacerationem.

Saturnus, & Mars de die in ♊ ♓ oppoſiti Soli; de nocte oppoſiti Lunæ abſque beneficis; Marte, & Saturno conſtitutis in Aſcendente.

Iuppiter cum Andromeda; Saturnus cum Luna, vel Marte; vel Mars cum Lunæ aſpectu malefico.

Mars cum Mercurio in 7. vel 10. in coniunctione, vel quadrato, vel oppoſitione Lunæ idem.

Mars in prima 4. 7. 12. cum Corde Scorpij. Luna cum oculo Tauri.

Mars in 4. cum Cauda Draconis affligens luminare; Vel Mars in 8.

Sol Mars, Saturnus, & Mercurius in 7. in tropicis, dant exitia magna.

Mercurius, & Sol in Aſcendente in oppoſito Saturni, & Martis.

Saturnus in medio Cæli, Mars in 4. Luna in Aſcendente ſine beneficis.
Infor unarum altera in medio cæli, altera in quarta, luminare afflicto.
Satu nus, & Luna in Aſcendente; Mars in quarta, vel occidente.
Satu nus Iuppiter, & Venus cum Cauda Draconis pericula abſque cauſa.
Satu nus in 7. cum Cauda Draconis.

PERICVLA EX FERRO. Cap. XXXVII.

MArs in decima, Luna in 7. abſque auxilio beneficorum decernunt pericula ab inimicis.

Luna in 7 cum infortunis; ſol infortunatus in 7. iuſſu Principis.

Dominus 7. & gradus ſeptimæ afflictus à Marte ferro.

Luminaria cum Capite Algol cum radio malefico Martis, membrorum abſciſſionem decernunt.

Mars, & Saturnus in 7. vel 4. cum radio prauo Lunæ.

Mars in medio Cæli, Luna in Scorpione, ſi in angulis non fuerit beneficus mala ab inimicis, vel latronibus.

Saturnus, Iuppiter, & Mercurius in 7. cum radio Martis, bello.

Iuppiter dominus octauæ in oppoſito Martis, pericula iuſſu Principis.

Mars dominus 4. in 4. in quadrato Aſcendentis, vel luminaris, ferro.

Mars in humanis in quadrato, aut oppoſito Solis, aut Lunæ.

Mars in medio Cæli ſi non habuerit dignitatem in Aſcendente; mala ſemper pericula violentię, tarò vitam longam ſignificat.

Mars in 8. in humanis, vel prima facie ♌, aut 3. ♉ circa Pleiades ferro.

Mars in ♌ in 4. in quadrato Aſcendentis abſque auxilio.

Dominus Aſcendentis in 8. vel cum domino octauæ; vel è contra cum maleficis, vel radio maleficorum.

Mars in ♑ in quadrato Aſcendentis.

Venus cum Pleiadibus, Luna cum Marte, & Mercurio, à latronibus.

Dominus Aſcendentis in 7. ſine aſpectu Lunæ, afflictus a Marte, pericula ex ſe ipſo.

Dominus 8. in humanis; Mercurius, & Mars in Aſcendente ferro.

Mars, & Mercurius in humanis in quarta.

Luna in 4. cum Marte, vel quadrato, aut oppoſito.

Sol in 7. cum domino Aſcendentis in humanis afflictus.

Luminaria infortunata in angulis.

Sol in medio Cæli oppoſitus Marti, Cor Scorpij in Aſcendente.

Luna in 8. cum Marte, Sol in ſeptima, Saturnus in angulo.

Malefica cum Cingulo orionis; Luna cum dorſo Pegaſi.

Mars inter Pleiades abſque auxilio, à multitudine.

Luna cum Pleiadibus; Maleficus cum Corde ♌ oculi effodientur.

Venus impedita a Saturno, Marte, & Sole, ac Mercurio abſque auxilio beneficorum virilia abſcindenda; & ſi aliquis fuerit dominus 8 ex his mortem.

Luna cum Marte, & Sol cum domino Aſcendentis ſine aſpectu beneficorum ambo in ♉ ♈ ♌ ♓, & alter eorum dominus 8. abſciſſionem membrorum.

Mars in Aſcendente dat vulnera in facie. Idem Mercurius cum Marte.

Male-

Malefici in 7. in ſignis aeteis, vel humanis, gladio.
Mars in 12. de die. Vulnera, aliquando ſuis manibus.
Mercurius in 6. cum *Marte*, vel Saturno pericula à ſeruis.
Hercules cum *Marte* ex violentia graſſatorum.
Pleiades cum Luna afflicta à *Marte*, ſeditione, vel inſania Vulgi.
Saturnus cum Cane maiore, vel dextro Humero Orionis ex inſidijs inimicorum.
Saturnus in 7. in quadrato, aut oppoſito Lunæ. Damna in genitalibus.
Malefici inter ſe oppoſiti, vel ex quadrato in angulis oriente, occaſu lędentes luminaria, vel conditionarium; exiſtente luminare, vel malefico in ſigno humano, & obtinente dignitates in Aſcendente dat ictiones in capite.
Mars in ♈ in Medio cæli quadrato Iouis in ♑ domini Aſcendentis dat vulnera.
Mars in Medio cæli in ♏ aſcendente ♒ Saturnus in ♌ dant vulnera.

PERICVLA IN AQVIS. Cap. XXXVIII.

Saturnus in ♏ ♉ ♓ ♍ cum Sole vel Marte, vel in illorum quadrato vel oppoſito decernit pericula ſubmerſionis.
Saturnus in 8. in ſigno aqueo pericula ex aquis.
Saturnus in ♊ ♍ ♒ in quadrato, aut oppoſito luminaris.
Sol in fixis cum Saturno, vel eius quadrato, aut oppoſito.
Sol in 7. in ſigno aqueo cum domino Aſcendentis afflictus.
Coniunctio, vel oppoſitio luminarium cum participatione Saturni.
Mars, & *Mercurius* in Aſcendente; dominus 8. in ſigno aqueo, ex aqua calida, vel medicina laſſatiua.
Venus in ♋ ♏ in 4. afflicta decernit ſubmerſionem, vel oppreſſionem ab humoribus.
Saturnus in 10. luminare in quarta in ſigno humido, vel ♌ abſque benefica in octaua.
Saturnus in 4. in ſigno mobili cum radio malefico *Martis*.
Saturnus, Mars, & Luna in Medio cæli in ſigno aqueo.
Dominus 4. in 7. afflictus à maleficis in ſigno aqueo.
Sol in ♋ cum Nodo, vel *Marte*, vel Saturno.
Luna in ♋ ♏ infortunata, preſertim in octaua.
Aſcendente Delphino minatur ſubmerſionem.
Pallilitium cum *Marte*, naufragium, vel periculum in tempeſtate.
Maleficus cum lucida Hydræ. Luna cum ſplendida ♒.
Infortunæ cum ſplendida ♒. Luna cum Cingulo orionis.
Luna cum Arcturo. *Mars* cum Hercule in prima 9. 7.
Maleficus cum Capite Gorgonis, Luna cum lucida Hydræ aquis, aut veneno morituros.

PERI-

PERICVLA EX IGNE, ET IGNITIS.
Cap. XXXIX.

MArs in Scorpione, aut Sagitario cum oppoſito, aut quadrato Solis, vel Lunæ pericula tribuit ex igne, aut ignitis.

Luna cum Marte in 8. in ſigno igneo abſque auxilio beneficorum.

Anereta in ſigno igneo abſque auxilio.

Luna domina ſeptimæ, & mars cum Sole in 7. cum radio Lunæ Natus comburetur.

Luna in angulis, aut ſuccedentibus cum aſpectu maleficorum, & omnes in ſignis igneis.

*M*ars dominus octauæ; in octaua ♈ cum radio *S*olis, aut Lunæ malefico.

*M*ars in quarta, vel cum domino quartę in ſigno igneo.

*M*ars in 7. vel Aſcendente in ſigno igneo oppoſitus *S*oli.

Mars cum *S*ole in quarta, Aſcendente ♌ vel ♋. igne, vel gladio.

*S*ol in ♌ cum domino Aſcendentis Marte, & benefica nulla in octaua.

Luna noctu infortunata à Marte in ſignis igneis.

Dominus 8. in ſignis igneis, Mars, & Mercurius ſub ſole, vel in Aſcendente.

Saturnus cum Hercule; pericula ex globo tormentario.

Mars cum dextro Humero orionis aſcendens, bombarda, vel calamitoſum exitum.

Mars author mortis in ♉, vel [illegible], combuſtione, vel cruciatu.

Sol dominus Aſcendentis in ♌ cum Marte non potente in Aſcendente, nec benefica in octaua.

Mars cum Vmbilico Pegaſi; Luna cum Canicula, ex iaculo ignito.

Sol cum domino Aſcendentis in ♌. & præcipue Marte abſque benefica in octaua.

Dominus Aſcendentis, vel loci Lunæ cum Sole in ♌ ♐, cum radio Martis, vel cum ſtella Martiali.

Dominus Aſcendentis infortunatus à Marte, & sole, & vnus his ex fuerit dominus mortis.

Luna cum arcu ♐ ex ignito iaculo.

*M*ercurius, & sol in principio, vel fine ♐ Aſcendente ♊ vel ♍.

PERICVLA VENENI. Cap. XL.

SAturnus cum Sole vel Marte in ſignis, vel ſtellis venenoſis, vel in eorum quadrato, aut oppoſito pericula ingeret veneni.

*S*aturnus dominus 8. infortunatus in quadrupedibus, ex ictu ſerpentis.

*S*aturnus in quarta, vel cum domino quartæ in venenoſis ex toxico vel infirmitate ventris.

Venus domina octauæ cum Saturno, vel domo Saturni; vel in Scorpione cum radio Saturni.

*M*ercurius in octaua, vel quarta cum Cauda Draconis.

Mercu-

Mercurius afflictus à Saturno in medio cæli, Aſcendente ♌ vel ♋.

Luna in quarta, vel octaua cum Cauda Draconis, veneno, vel me[illegible]icina laxariua.

Luna in ♌ cum Cauda Draconis, veneno aſſumpto in Medicinis.

Dominus octauæ peregrinus in [illegible] ♋ ♓ in paruo aſpectu malefici.

Venus in octaua afflicta à maleficis, veneno ex Medicinis; vel à [illegible]ulieribus.

Venus domina octauæ infortunata, & ſignum octauum infortunatum ſicut Venus, veneno, vel ebrietate.

Venus in octaua afflicta à Saturno.

Saturnus in quinta in Scorpione, afflicto altero [illegible]; in tripudijs, conuiuijs.

Iuppiter in medio cæli afflictus, aſcendente ♌ ♋ inter menſas, vel pocula moriturum.

Cor Scorpij cum luminaribus venenum, vel cruentam mortem ſi lumina alligantur.

Lucida Hydræ cum Anereta.

Lucida Coronæ Gnoſſiæ cum domino octauæ, aut maleficis.

Aculeus Scorpionis cum domino Geniture; potionandum Natum.

Saturnus in ſignis venenoſis, aut tortuoſis afflictus.

Saturnus, Sol, & Mars cum Venere in ſignis venenoſis.

Luna, vel Mercurius afflicti in octaua cum Cauda Draconis.

Stella in Hydra; In Cauda Scorpij, Caput Serpentarij. Stellę de natura Veneris, & Saturni; de natura Veneris Mercurij, & Lunæ. De natura Lunę & Saturni. De natura Saturni, & Martis. De natura Mercurij, & Saturni cum luminaribus, vel Aſcendente, vel domino Aſcendentis.

Infortuna cum ſplendida Aquarij; Luna cum lucida Hydræ.

PERICVLA EX ANIMALIBVS.
Cap. XLI.

Dominus octauæ in Scorpione cum radio maleficorum, afflicto domino Aſcendentis periculum decernit ex morſu venenati, vel canis rabidi.

Aſcendente ♈ [illegible] ♑ ♒ dominus Aſcendentes in duodecima, Morſus canis.

Mars, vel Saturnus dominus 12. in 7. abſque beneficis. Morſus canis.

In Quadrupedibus Saturnus; & in 8. ſignum quadrupede. A beſtijs.

Saturnus, vel Mars in ♐ afflictus, e xequo.

Saturnus cum Mercurio in ♌ [illegible] cum Cauda Draconis, ex venenoſis.

Malefica cum Vmbilico Pegaſi, Luna cum Canicula dant pericula ex feris, vel iaculo ignito.

Saturnus, & Mars in 12. offenſiones à beſtijs.

Saturnus in octauo in ♐ ex equo.

Mars in ſuo caſu afflictus dat caſum ab equis, vel morſu Canis rabidi.

Mars cum Sole cum Vulture cadente vel ſyrio morſum rabidi ſimiliter canis.

PERICVLA RVINAE, ET CASVS AB alto. Cap. XLII.

SAturnus peregrinus in octaua, & dominus octauę afflictus minatur pręcipitium ex alto.

Iuppiter peregrinus in ſecunda, vel duodecima, poſita Luna in angulo vel ſuccedente.

Saturnus dominus octauæ in medio cęli.

Saturnus in medio cæli oppoſitus luminari.

Luna in medio cæli oppoſita maleficis.

Mars cum Ioue in occidente.

Saturnus, vel Mars in octaua in ſignis terreis.

Saturnus in Tropicis cum Sole, aut Marte, vel in eorum oppoſito, aut quadrato; In ſignis humidis ruina, In 9. 10. 11. præcipitio.

Saturnus cum Marte in ſeptima in ſignis bicorporeis decernit violentiam; vel periculum præcipitij ex ſe ipſo.

Saturnus infortunatus in quarta in ſignis terreis; Natus obruetur.

Saturnus, vel Mars dominus ſeptimæ, aut octauæ in oppoſito Aſcendentis.

Saturnus in octaua dominus Aſcendentis.

Luna, Sol, Mars, vnus eorum in quarta; Saturnus in medio cæli.

Dominus ſeptimæ in tertia, aut nona cum radio maleficorum.

Dominus vel ſeptimæ, vel octauæ in ſeptima, aut octaua infortunatus.

Maleficus in Aſcendente in 4. 7. 9. 11. 12. cum oculo Tauri; Luna cum Corde Scorpij ſignificat iaculo, vel ruina moriturum.

Dominus Aſcendentis, vel octauæ in oppoſito Aſcendentis maleficus moriturum ex præcipitio; vel in periculo.

Saturnus cum Cauda Draconis in ſecunda.

Saturnus in quarta in Tauro cum radio luminaris malefico.

Succulæ cum Saturno decernunt præcipitium; quod Natus obruetur lapidibus, vel in clade generali.

Luna in medio cæli oppoſita maleficis, ſignificat vitium mentis, ex quo pręcipitium.

MORS SVBITANEA. Cap. XLIII.

SAturnus in quarta in ſigno mobili cum prauo Martis aſpectu ſignificat aqua ſuffocandos, vel materia fluente à capite in partes ſpirituales.

Saturnus Mars, & Caput Draconis in quarta afflicto luminare, vel domino Aſcendentis ſubitam mortem minantur.

Mars in domo Lunæ affligens luminare, & dominus Aſcendentis afflictus.

Luna noctu in octaua in oppoſito maleficorum.

PERI-

PERICVLA OCCASIONE MVLIERVM. Cap. XLIV.

VEnus in ſexta infortunata adducit pericula occaſione mulierum.

Venus, & Luna peregrinæ in ſeptima cum radio maleficorum.

Mars iunctus vel oppoſitus vel in quadrato Solis, aut Lunæ cum participatione Veneris, vel in domo Veneris; vel in ſeptima.

Venus in ſexta aut duodecima cum Marte retrogrado.

Venus in octaua afflicta à maleficis.

Mars in quarta affligens Venerem, vel Lunam.

Venus in 12. ſemper difficultates, vel moleſtias tribuit cauſa muli eru m[illegible] ſicut multoties in domo Solis.

PERICVLA MVLIERIBVS IN PARTV. Cap. XLV.

SAturnus, & Mars cum Luna in Aſcendente; Sol & Mercurius in ſeptima decernit abortum, vel in partu lacerationem, & pericula.

Mars in ſexta, vel duodecima in quadrato, aut oppoſito luminarium.

Luna in prima afflicta; *Saturnus* in ſecunda cum radio *Solis*; & *Mars* in duodecima.

Sol, aut Luna cum *Marte* in duodecima, vel cum *Saturno*; ſignificat præterea etiam carceres.

Venus afflicta in ſexta, aut duodecima.

CARCERES, ET CAPTIVITAS. Cap. XLVI.

APhoriſmi.

1. Alterum luminare ab altero malefico lęſum coniunctione oppoſitione, aut quadrato; ita vt luminare vtrumque, vel alterum lędatur à malefico in domo maleficorum vel in ♉ ♊ ♋ ♐; altera malefica in ſignis oppoſitis, vel ♋ ♌ captiuitatem decernit.

2. Luminarium alterum cum maleficis in duodecima.

3. *Mars*, vel *Saturnus* occupans ſeptimam, vel duodecimam in ſignis ♈ ♉ ♏ ♌ ♑ ♋, altero luminarium lęſo.

4. *Mars*, vel Saturnus extra ſuas dignitates domini ſeptimæ, vel duodecimæ coniuncti, oppoſiti, vel in quadrato luminarium.

5. Mars, & Saturnus ex ſuis dignitatibus oppoſiti, vel in ſignis permutatis, & alter occupet 7. 8. alter dominus octauæ.

6. Dominus duodecimæ in 7. afflictus à maleficis in dignitate Martis.

7. Dominus duodecimæ in ſuo detrimento, vel caſu afflictus.

8. Luna, vel Sol in octaua extra ſuas dignitates.

Aliæ

Digitized by Google

*Me*rcurius, & Saturnus in 6. 8. 12. impediti.

Saturnus in medio Cæli extra ſuas dignitates.

Mars in 7. 12. in ♈ ♉ ♏ ♌ ♋ ♒ læſo altero luminarium.

Dominus aſcendentis in 4. 6. 8. 12. infortunatus, poſito domino duodecimæ cum domino aſcendentis.

*S*aturnus, & Mars coniuncti, vel in quadrato, vel oppoſito Lunæ, *Mars* in aſcendente cum aſpectu malefico Lunæ.

*S*aturnus, Mars, & Mercurius in occidente combuſti, & dominus aſcendentis eos aſpexerit malo aſpectu.

Mars, & Mercurius in 4. 7. infortunati, Marſque ſit dominus 12.

Mars retrogradus cum Venere in 12. Carceres occaſione mulierum.

Luna in domo *M*artis, *S*aturnuſque in 12. in eius quadrato, vel oppoſito Dominus nonæ in angulo combuſtus in itinere Carceres.

Luna, *M*ars, Iuppiter, *S*aturnus in 12. infortunati; & quilibet eorum.

*S*aturnus in occidente in oppoſito luminaris dat mortem in carcere.

Luna, vel *M*ercurius in 12. vt plurimum dant carceres.

Liberi a carceribus Nati ſunt in quorum Genituris benefici, vel eorum radij benefici fuerint in duodecima, abſque aliqua noxa maleficorum.

Sic quando prima domus, & dominus Genituræ ſeu Almuten ſunt liberi à maleficis.

Sic quando dominus duodecimæ fortis, dictam domum, vel primum aſpiciat benefico radio.

EXILIA. Cap. XLVII.

SOl in medio cæli in ſuo, aut Iouis domicilio. *M*ars in 7. in quadrato, aut oppoſito Lunæ, exilia, carceres, & pericula adducunt violentiæ.

Sol in 12. afflictus exilia, ſeruitutem.

*M*ercurius in 7 cum *M*arte, vel in *M*artis oppoſito.

*M*ercurius in domo *M*artis, & in eius quadrato, vel oppoſito.

Dominus aſcendentis in ſuo caſu afflictus à maleficis.

Cauda Draconis in decima dat itinera coacta.

Saturnus, Sol, & *M*ercurius in medio cæli in quadrato, vel oppoſito *M*artis faciunt fugitiuos, ſicut homicidas, fures.

*M*ars affligens luminaria ex prima.

*M*ars de die in decima.

*M*ars in oppoſito *M*ercurij, qui ſit in domo *M*artis; ſicut etiam in quadrato.

INFORTVNIA PLVRA. Cap. XLIIX.

SOl cum Luna partiliter infortunatus, etiam Regibus tribuit infortunia, & inconuenientia.

*S*ol cum *M*arte, & *S*aturno in Aquario infelicem fortunam tribuit in honoribus, vita, & diuitijs.

*S*ol cum *S*tellis de natura *S*aturni; vel *S*aturnus cum Boote, aut ſpica Virgi-

nis

nis magna adducit incommoda.

Luna in Solis quadrato; & Iuppiter cum Saturno pericula magna minantur ſicut inimicos.

Luna, & Iuppiter infortunati; quocumque modo, figura, & Planetæ aptentur ſemper tribuunt infelicitatem.

Saturnus, vel *Mars* in linea aſcendentis, aut ſeptimæ adducunt ſemper calamitates.

Saturnus, & *Mars* partiliter iuncti decernunt magna infortunia.

Luminaria in 6. 8. 12. Saturnus, & *Mars* inter ſe oppoſiti morbos incurabiles adducunt.

Si fuerit *Mars* cum Ioue; vel Sol cum *Luna*; vel Saturnus cum Venere, aliquod infauſtum expectandum.

Saturnus cum Iaculo ♃ infortunia adducit præcipuè iunctus *Lunæ*.

Saturnus cum Arcturo, vel ſpica Virginis infortunia parat, præcipuè mendicitatem.

Mars ſupra terram cum *Leone*, & Aſello erumnas decernit.

Luna, & *Mercurius* in 6. & Saturnus in decima perpetua dabit incommoda.

Mercurius in 7. afflictus mala ex inimicorum aſtutia decernit, & præterea vxores vitiatas.

Capite de Vitæ ſpatio plura diximus de Aneretis præcipuè quando non interimant & alia; aliqua hic addimus.

Cum in Genituris multoties plures adſint Aphætæ & potentes in Vita, vt præcipuè Aſcendens, & aliquod ex luminaribus; quando fuerit vnus tantummodo ſignificator, & debilis; & directio eius fuerit ad malefici Saturni, aut *Martis* corpus, vel eius quadratum, oppoſitum, Imperans, vel obediens; & maleficus fuerit contrariæ naturæ, & in loco valido potens, & fortis; tunc maximum periculum mortis adducet, præcipuè verò ſi nec adfuerit auxilium aliquod Veneris, aut Iouis.

Si ſignificator Vitæ fuerit mediocris validitatis; & Anereta potens in angulo Orientalis, curſu velox, in Apogeo, in ſuis dignitatibus, & præcipuè iuxta ſuos Nodos, vbi nullam habet latitudinem, etiam maximum afferet vitæ diſcrimen.

Si vis Aneretæ fuerit aliquo pacto geminata, vel ex ſuo aliquo ſignificato, vel per alium Planetam, aut Stellam fixam maleficam, & Anereta ſit potens idem demonſtrabit.

Periculum ingens etiam decernit ſi directio infauſta incidat in annum, climatericum, & ſecundum aliquos in nouenalem.

Similiter ſi directio incidat in terminis Planetæ Aneretæ, nam vis malefica plurimum augetur.

Si directio incidit tempore alicuius conſtitutionis generalis, vt epidimiæ, morbi graſſantis maximum affert periculum.

Si tempore infauſtæ directionis, contingant profectiones ſignificatores Vitæ maleficæ, ad corpora, quadrata, vel oppoſitiones Saturni, aut Martis; vel ad domus octauam, ſextam, & duodecimam; afferent etiam periculum.

Anno directionis infauſtę, videnda eſt reuolutio, ex qua omne iudicium poterit dependere; rariſſimè enim contingit, quod quando adeſt periculoſa

dire-

directio ;on appareat in reuolutione inditium; ſicut ſi augeatur; vel minuatur ejuſde ı directionis effectus; & vtrum benefici adiuuent radijs, qui ex reuolutione . unt ſumendi, non ex Natiuitate.

MC ꝟ repentina de qua diximus eſt media inter mortem mitem, & naturalem, c violentam; & contingit quando ſignificationes violentię fuerint imperfectę; & aliquid defuit; Vt cum Luna eſt iuncta Soli in ſigno violento ſed non infeſtata à maleficis: Vel quando ambo luminaria fuerint infeſtata à maleficis: ſed vnum eorum tantum reperitur in ſigno violento, tunc enim non violentiam ſignificant, ſed corruat Natus caſu repentino.

Cęterum pro pręciſo tempore periculi in vita demonſtrati ex directione obſeruandi ſunt tra...... .o.is, Martis, & Saturni ſuper locum directionis ex Efemeridibus & etiam ſuper quadratum, aut oppoſitum loci directionis.

Pro vero tempore periculi manente directione periculoſa in vita vera preſuppoſita figura Natiuitatis rectificata ex accidentibus, multiſque experimentis comprobata videt.

Anno quo directio contingit erigenda eſt figura reuolutionis, vt aſſolet; Poſtmodum ex loco Lunæ poſito in dicta reuolutione erigendæ ſunt duodecim figuræ reuolutionis, quolibet menſe quemadmodum vſurpatur ex loco Solis. Et ſic aderunt tredecim reuolutiones vna primaria Solis, & duodecim Lunæ. Deinde facto diligenti ſcrutinio videndum eſt vtra earum 13. fuerit infelicior pro vita, habito reſpectu ad figuram Natiuitatis, directionem, & alia ſingula, quæ ſunt neceſſariò conſideranda pro vita. Selecta peiori reuolutione, in oppoſitione, & quadratis eiuſdem Lunæ in dicta reuolutione erigendæ ſunt etiam figuræ; & ex his quatuor figuris; reuolutionis nempè quadratorum, & oppoſitionis, ſeligenda eſt infauſtior exactè. Quo firmato in iſta figura tranſitus Planetarum maleficorum indagandi, vel eorum radij malefici ſuper locum directionis, vel Aſcendens Natiuitatis, vel locum ſignificatoris vitæ in Natiuitate, vel locum Solis, vel Lunæ; & dies exactiſſimè habebitur effectus malefici directionis, & etiam aliquando ad horam. Hac via Spurina mortem Cęſaris prædixit ad diem & Aſcletarion Domitiani ad diem, & horam; ſolum dubium emergit in ſcienda vera directione aneretica & periculoſa.

DE TEMPORVM DIVISIONE.
Cap. XLIX.

PLurima allata ſunt ex Ptolemæi, & Antiquorum placitis in hac Genethliaca materia, de vitæ ſpatio, animi, & corporis affectionibus, diuitijs, honoribus, Nati actionibus, vxore, filijs, amicis, inimicis, ſeruis, itineribus, de morte, qualitate mortis, alijſque. Conſentaneum eſt tandem vt explicemus, quando accidentia quæ in illis contingent experiemur: quando ſcilicet aduenient diuitiæ, fruemur honoribus, ducemus vxorem, procreabimus filios, aderit periculum ægritudinis, mortis, aut alterius periculi infauſti; cognitio namque accidentis tempore ſiue proſperi, ſiue infauſti, Dei optimi Max. auxilio, & prudentia animi faciliter dominabimur Aſtris.

Diuiſiones temporum, quibus accidentia Natis contingunt quatuor numerantur

Digitized by Google

rantur à Ptolemæo, prima per ætates; ſecunda per directiones; tertia per profe-ctiones; quarta per tranſitus.

Explicat omnes Ptolemæus exactiſſimè, multaque eſſe conſideranda præcipit in prædictionibus conſtruendis, & inter alia Regiones; inſulſum enim eſſet tribuere Æthiopi albedinem, & nigredinem Germano; ſic vanum decernere cœlo ſororis matrimonium, quod fas eſt apud Aegiptios, Perſas, & Iudęos.

Prima igitur diuiſio temporum eſt per ætates, & neceſſaria; inſcitia enim eſt prædicere puero nuptias, ſiue ſeptuagenariæ mulieri procreationem filiorum; Aetates ſeptem numerant, quæ ſunt infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, virilitas ſenectus, decrepitas, ſeù vltimum ſenium, decretas à Planetis ſeptem dominantibus in humano corpore ordine eorum orbium viciniorum, vel remotiorum à terra; tribuendo infantiam Lunæ; pueritiam Mercurio; adoleſcentiam Veneri; iuuentutem Soli; virilitatem Marti; ſenectutem Ioui; & Saturno vltimum ſenium.

Infantiæ, & quatuor primis annis dominatur Luna, cum hoc temporis ſpatio, & paulo differentius redeat Luna ad eumdem locum in epicyclo, & paruo orbe; adducatque ſingula, quæ Lunares affectiones cenſentur; humiditatem quippe in illo corpuſculo, imbecillitatem, ſubita incrementa, valetudinis inconſtantiam, & in animo inchoata omnia, & inemendata.

Proximè ſuccedit Mercurius in pueritia, regitque annis decem pro medietate ſui parui orbis reuolutionis, quæ completur in annis viginti; quo tempore incipit intellectum ad intelligentiam, & rationem componere, ſeu veluti fingere; diſciplinarum ſemina, & elementa inſerere; conditiones morum, & ſtudiorum patefacere; animumque exercitijs, & doctrina excitare.

Succedit tertio venus pro adoleſcentia octo annis gubernans, etiam pro annorum numero quibus regreditur ad eumdem locum epicycli; quæ ſeminales meatus incipit mouere, & implere, atque ad Venereos congreſſus ſtimulare: quo tempore inſania quadam, & intemperantia agitantur, & cupidine efferueſcunt, & in errore, & cæcitate etiam apertis oculis verſantur homines.

Iuuentutem quarto regit Sol annis vndeuiginti, qui dominium, ſuique iuris vſum animo concedit, rei familiaris, & honorum cupiditatem inijcit, vt & ſuæ vitæ modum habere deſideret; & puerili vanitate, & inconſtantia, peccatiſque amotis ſeſe ad iuris pudorem, & honeſtatis amorem recipere.

Mars virilem ætatem gubernat quintus annis quindecim pro ſpacio ſui circuitus; hic vitæ triſtitiam, & malitiam adducit; curis, & doloribus animum, & corpus afficit, cogitationes inſtillans ætatis deflorеſcentis, & inſtigans ad memorabile aliquod operum laborioſe ante obitum perficiendum.

Senilem deinde ætatem iuxta peculiarem circuitus rationem nanciſcitur Iuppiter annis duodecim; & laborioſum, atque periculis expoſitum mundi genus paulatim declinare iubet, & decentius, quietiuſque capeſſere; Amplius nihil præcipitanter agere, alios admonere, & conſolari; honoris tunc maximè, laudis, & libertatis ſtudioſus eſſe cum pudore, & grauitate.

Confertam, & extremam ætatem ſortitur Saturnus vſque ad id quod ſupereſt vitæ, cum refrixerint, & impeditę ſunt corporis, animique motiones, & vires; languida natura in concitationibus cupiditatibus, & voluptatibus neruis deſtituitur; vita iam conuulſa, miſera, & infirma expoſita offenſis; & ad omnes

promotu; moroſa, ac virium ignauia.

Hę diuiſio eſt neceſſaria pro affectibus proportionatis in ętatibus pręſagiendis, dicit enim Ptolemęus, vanum eſſe prædicere puero nuptias, & mulieri ſeptuagenarię filiorum procreationem vt ſupra.

Secunda temporum diuiſio eſt per directiones, quibus ſingula, & omnia accidentia tam fauſta, quam improſpera, quę in humana contingunt, eliciuntur directis ſignificatoribus ad maleficos, aut beneficos; qui quinque ſtatuuntur ex Ptolemęo tantũmodo, credimus, ne multiplicarer entia; & iſti videlicet.

Medium Cæli, quod dirigitur pro honoribus, opificio, actionibus, amicitijs, matre, & filiorum procreationibus.

Aſcendens pro corporis affectionibus, & itineribus.

Sol pro dignitatibus, honoribus, gloria, Patre, potentia vitali.

Luna pro animi, & corporis affectionibus, matre, vxore.

Pars fortunę pro diuitijs.

In his ſignificatoribꝰ quilibet ſuo munere potitur, nec alieno; nec ſignificat accidentia alterius ſignificatoris;& vt aſſerit Ptolemęus aliquando aliquis in lecto decumbens ſignificatum ab Aſcendente conſequitur dignitatem eodem tempore.

Cęterum experientia etiam alij Planetę ſunt conſtituendi ſignificatores, & ad maleficos directi, decernunt mala, aut bona in ſuis ſignificatis; Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, Mercurius; ſic ſecunda domus; & ſi reliquę dirigantur domus vera plurima in ſuis ſignificatis apparebunt.

Saturnus dirigitur pro hęreditatibus, ſtabilibus, Patre; & ad beneficos bona in his, ad maleficos mala; ſicût ad maleficos multoties ęgritudines longas, fluxiones humorum frigidas, dolores, pericula caſus,in aquis, carcerum, & ſimilium moleſtiarum.

Iuppiter bona decernit directione ad beneficos in honore, gloria, laude, diuitijs; Ad maleficos remittitur eius beneficentia, & aliquando difficultates, & oppoſitiones ſuſcitat, licet cum fęlici exitu; ad maleficos etiã multoties tribuit ęgritudines ex ſuperfluo ſanguine, & inflammatione, vt pleuritidem,anginam, variolas, morbillos.

Mars ad beneficos bona decernit à perſonis Martialibus, & in ſignificatis ſuis, vt negotijs publicis, adminiſtrationibus, litibus, bello, ludis, ſeruis. Ad maleficos in aliquo ex his mala;& multoties rixas, ęgritudines calidas, pericula ex animalibus, carceres; exilia; itinera infauſta.

Venus ad beneficos ſignificat voluptates, amores, nuptias, delitias, bona ex fęminis,in matre vxore, ſororibus. Ad maleficos mala in horum aliquo, aliquando morbos ex corruptione in genitalibus, pudendis, & cauſa Venerea.

Mercurius ad beneficos decernit propiria ex opificio, ſcripturis, ſcientijs, mercibus, negotijs, litibus, ſeruis, fratribus minoribus. Ad maleficos mala.

Domus cęleſtes diriguntur pro ſuis ſignificatis nec cum ſucceſſu ſpernendo.

Prima dirigitur & Aſcendens pro vita, moribus, ingenio.

Secunda pro diuitijs.

Tertia pro fratribus ſororibus.

Quarta pro Patre, hæreditatibus, ſalutibus.

Quinta pro voluptatibus, filijs, & negotijs commiſſis; ſexta pro familia, & ęgri-

ęgritudinibus. Sic alię domus pro earum ſignificatis.

Tertia temporum diuiſio, qua accidentia innoteſcunt fit per profectiones ſeu æqualē deuolutionem regularem, ſeu inceſſionem Solis, & aliorum ſignificatorum, & Planetarū ſecundùm ordinem ſignorum; quæ triplex ſtatuitur, annua quippe, menſurna, & diurna.

In profectione annua cuilibet anno Solari tribuitur vnum ſignum, & ſumitur à reditu Solis in idem fermè punctum, in quo erat in principio primi anni; & ſic omnium annorum principio profectiones ſunt æquales in eiſdem gradibus ſignorum. Vt ſi profectio primi anni ſit Sole. V. g. verſante in gr. 20. ♌. Secundi anni erit in gr. 21. ♍ anni tertij in gr. 21. ♎ & ſic deinceps, quo vſque anno 13. iterum deuoluatur ad gr. 21. ♌ quem ordinem perpetuò retinebit ſingulis annis 12. regrediendo ad primum locum; vt vides ſequenti exemplo Geniture Alexandri Magni.

In hac profectione cum adſit intercapedo vnius ſigni in toto anno, ſingulis gradibus competunt dies 12. cū quadam minima portione, & ſignificator proficiſcitur ſingulo menſe duobus gradibus cum dimidio, quod cum clarum ſit: exemplo tamen illuſtremus in Genitura ſequenti die 12. Auguſti ante Chriſtum ann. 355. hor. 16. 46. P. M. Sol erat in gr. 24. 57. ſigni ♌ Mars in gr. 25. 9. ♎. Differentia eſt duorum ſignorum gr. 0. m. 12. Sol igitur proficiſcetur ad Martem in ſecundo anno completo poſt Natiuitatem, & diebus duobus circiter, & anno 353. ante Chriſtum die 14. Auguſti quo anno & menſe, & forſan die Alexander ægrotauit; cum incidat profectio ante Chriſtum etiam 341. 329. 317. ſingulis annis duodecim.

In profectione menſurna vnicuique menſi tribuitur ſignum vnum; ita vt ſignum profectionis annuæ ſit ſignum primi menſis; & hoc modo annus ſolaris diuidetur in 13. partes. Exempli gratia in præfata Genitura ſignum profectionale Aſcendentis eſt gr. 20. 30. ♌, quod eſt ſignum profectionis etiam primi menſis: ſecundi menſis gr. 20. 30. ♍. tertij menſis gr. 24. 30. ♎, & ſic deinceps in alijs menſibus anni, vt poteſt hauriri ex tabellis poſitis in noſtris Ephemeridibus diligentiſſimis; In hac profectione menſurna tribuitur cuilibet diei 1. grad. 1. 4ʹ. 4ʹʹ. & ſic in diebus 365. totus circulus completur vt in Tabella.

In profectione diurna tribuitur ſignum vnum pro diebus duobus, & tribus horis, & min. 52. & ſic menſis profectionalis ſubdiuiditur etiam in 13. partes. In hac profectione tribuitur ſingulis diebus gr. 13. 53ʹ.

Additis enim gr. 13. 53ʹ. profectioni primæ diei conſurget profectio diei ſecundæ, & ſic deinceps, vt conſpicietur in noſtri tabulis profectionum.

Quarta temporum diuiſio ex qua accidentia venamur eſt per reuolutiones annorum; & reditum Solis quolibet anno ad idem ferme punctum eclipticę, in quo fuerat tempore Natiuitatis; quo tempore conſtructa figura cæleſti cum Planetis, ſingula quæ illi contingent demonſtrantur; de quibus tractatum partiale inferius condidimus.


Quinta diuiſio eſt per tranſitus: cum ſcilicet Planetę ſuis motibus veris tranſeunt ſuper loca Geniturę; nam malefici mala, benefici bona portendunt in ſignificatis locorum, ſuper quę tranſierint. Vt ſi Iuppiter, vel Venus tranſierint ſuper medium cæli, honores decernēt, ſicut ſi ſuper Aſcendēs optimam valetudinem; quorum contraria decernent ſuper dicta loca tranſeuntes Saturnus &

M 2 Mars;

Mars; quod idem intelligendum eſt de tranſitu Planetarum ſuper loca Solis, Lunę, Partis fortunę in ſignificatis ab iſtis.

Spectandi maximè ſunt etiam tranſitus in annis in quibus cadit directio fauſta vel infauſta, nam ſi adfuerit directio infauſta pro vita, notandi ſunt tranſitus Saturni, & Martis ſuper locum directionis, vel quadratum, & oppoſitum, loci directionis, ſicut ad loca Solis, Lunę, Aſcendentis, vel eorum radios maleficos, nam ſępè exitium producunt, & accelerant effectum directionis. E contra ſi adſit directio benefica pro honoribus, tranſeuntes Iuppiter, vel Venus ſuper medium cęli, vel eius radios beneficos, vel Solis effectum citius, & potentius producent in honoribus, de quibus plura in annorum reuolutionibus diſſerimus.

GENITVRA ALEXANDRI MAGNI.



Profectiones in Genitura Alexandri Magni.

☉	☾	M. C.	Aſc.	⊗	♄	♃	♂	♀	☿									
24 57	9 20	11 56	20 30	4 52	2 30	27 14	25 9	13 40	29 10	*Anni*	*d.* 12.	*Aug.*	*h.*	16	46	*P.M.*		
♌	♉	♉	♌	♉	♊	♎	♎	♋	♌	1	13	25	37	49	61	73	85	97
♍	♊	♊	♍	♊	♋	♏	♏	♌	♍	2	14	26	38	50	62	74	86	98
♎	♋	♋	♎	♋	♌	♐	♐	♍	♎	3	15	27	39	[illegible]	63	75	87	99
♏	♌	♌	♏	♌	♍	♑	♑	♎	♏	4	16	28	40	52	64	76	88	100
♐	♍	♍	♐	♍	♎	♒	♒	♏	♐	5	17	29	41	53	65	77	89	101
♑	♎	♎	♑	♎	♏	♓	♓	♐	♑	6	18	30	42	54	66	78	90	102
♒	♏	♏	♒	♏	♐	♈	♈	♑	♒	7	19	31	43	55	67	79	91	103
♓	♐	♐	♓	♐	♑	♉	♉	♒	♓	8	20	32	44	56	68	80	92	104
♈	♑	♑	♈	♑	♒	♊	♊	♓	♈	9	21	33	45	57	69	81	93	105
♉	♒	♒	♉	♒	♓	♋	♋	♈	♉	10	22	34	46	58	70	82	94	106
♊	♓	♓	♊	♓	♈	♌	♌	♉	♊	11	23	35	47	59	71	83	95	107
♋	♈	♈	♋	♈	♉	♍	♍	♊	♋	12	24	36	48	60	72	84	96	108

DE IVDICIO DIRECTIONVM. Cap. L.

De Directione Aſcendentis.

ASCENDENS, Horoſcopus, ſeu linea orientalis dirigitur pro vitæ periodo; pro corporis affectionibus, & itineribus. Si peruenerit ad beneficos optimam decernit valetudinem, ad maleficos malam.

Benefici ſunt Iuppiter, & Venus, & Mercurius bene affectus; malefici Saturnus, & Mars, & Mercurius malè conſtitutus.

Radij benefici ſunt ſextilis, & trinus. Malefici quadratus, & oppoſitus. Coniunctio beneficorum eſt benefica; maleficorum malefica.

Antiſcia ſe habeant ſicut corpora. Contra antiſcia, ſeu Imperantia, & obedientia ut oppoſitiones, licet debiliori ſignificatione.

Radij ſextiles, & trini maleficorum Saturni, & Martis non nocent; quemadmodum parum iuuant quadratus, & oppoſitio beneficorum.

Aſcendens directione ad corpus, vel quadratum, aut oppoſitum Saturni, ægritudines longas minatur, chronicas, fluxiones, diſtillationes, aliaſque imperfectiones corporis ex frigidis humoribus exortas, affectiones lienis, febres quartanas; vel pericula Saturnina, ut Caſus ab alto; in aquis, carceres. Infeſtat inſuper animum curis melancholicis, anxietatibus, reddit Natum hebetem, & tardum in actionibus, inuidum, malignum; actiones decernit irritas ſine conſilio, & finis intentione productas,

Si Saturnus fuerit in ſignis igneis ♈ ♌ ♐ bilis producit redundantiam,morboſque bilioſos parit; & Natum reddit audacem, temerarium, imperioſum. In ſignis terreis ♉ ♍ ♑ atram excitat bilem, & melancholiam aduſtam, vitioſoſq; humores producit, corporis dolores, apoſtemata maligna, cancros, Antraces, tuſſes moleſtas; & pericula, caſus ab alto. In ſignis aereis ♊ ♎ ♒ mala portendit ex ventoſitate dolores cholicos, iliacos, & etiam præcipitia,& caſus ab alto. In ſignis aqueis ♋ ♏ ♓ ægritudines decernit ex putridis humoribus, ſic dolores articulares ſcabiem, herniam, hemorrhoidas, fiſtulas, morbos veſicæ: Natumque reddit pigrum in omnibus; & animi mores tunc temporis tribuit malos, & de natura Saturni; Si directio fuerit abſque auxilio beneficorum periculum vitæ portendit.

Aſcendens ad Saturni ſextiles radios, aut trinos, commercium cum perſonis Saturninis decernit, mediocrem animi, & corporis tranquillitatem; bona ex Saturni ſignificatis, quibus reddit Natum intentum, ſtabilibus, hæreditatibus mortuorum, agricultura, ædificijs, & huiuſmodi. Si verò Saturnus in Natiuitate luminare aliquid afflixerit, vel Aſcendens, aliquam ægritudinem minatur ex humore melancholico, & frigidorum humorum redundantia.

Aſcendens ad Antiſcium, aut contra Antiſcium Saturni, effectus decernit infauſtos ſicut ad corpus, quadrata, vel oppoſitum, licet imbecillius.

Aſcendens ad terminos Saturni animo tribuit melancholiam, triſtitiam,inertiam, inuidiam, taciturnitatem; & aliquando non omnem tribuit optimam valetudinem præſertim in principio Libræ.

Aſcendens ad corpus, radios ſextiles, aut trinos Iouis, pollicetur animi, & corporis tranquillitatem, gaudia, laudes, gloriam, honores, diuitias, bona ex Eccleſiaſticis ſignificatis, & perſonis Iouialibus, potentibus, in dignitate conſtitutis, religioſis; Natumque reddit hilarem propenſum ad deuotionem, & virtutes morales, & qui actiones feliciter exequetur.

Aſcendens ad quadratum,aut oppoſitum Iouis contentiones, lites,& oppoſitiones ſuſcitat, & difficultates ob inuidiam à Iouialibus, Eccleſiaſticis, Iuriſperitis, religioſis,Iudicibus, diuitibus, potentibus; ſic inſidias, & dolos; quamuis tandem cum honore & fine honorifico.

Ad terminos Iouis bona in animi, & corporis affectionibus pollicetur, ſicut in honore, & diuitijs, quamuis exili ſignificatione in honore & diuitijs.

Ad Antiſcium Iouis producit effectus proſperos ſicut ad corpus, ad contra Antiſcium ſicut ad oppoſitum, quamuis debilius.

Aſcendens ad Martem, eius quadratum, oppoſitum, Antiſcium, & Contra Antiſcium bilioſas febres accendit, tertianas, continuas, inflammationes, ebullitiones humorum, eryſipelata, vlcera bilioſa, aliaſq; ex cholera ægritudines; Accendit bilem in cerebro, minatur rixas, vulnera; pericula violentiæ, damna ex igne, aut ignitis, ex animalibus, exilia, carceres, itinera coacta, vel moleſta cum periculis; atque huiuſmodi infortunia ex Marte; & mortis periculum abſque auxilio beneficorum.

Ad ſextiles, aut trinum Martis, inclinat ad Martialia ſignificata, motus, itinera, & cum fortuna; reddit Natum animo forti, audacem, intrepidum, imperioſum, magnanimum, honoris cupidum, facilem ad rixas; tribuit adminiſtrationes cum authoritate, in his honores, & aliquando honorum inſignia à Principibus

Digitized by Google

cipibus ob res fortiter geſtas.

Aſcendens ad terminos Martis Natum reddit iracundum, cholericum, facilem ad contentiones, & aliquando nec optimam valetudinem; inclinatque ad motus.

Aſcendens ad corpus Solis honores pollicetur à Principe, authoritatem, & aliquod dominium impertitur, vel dignitatem: verum dubitandum de calida corporis diſcraſia, vel oculorum affectibus.

Aſcendens ad ſextiles, aut trinum Solis optimam tribuit valetudinem, diuitias, honores, nouas Principum familiaritates, itinera honorifica, aliquando iuſſu Principum, lucra, tempus fauſtum pro vita, honoribus, & actionibus.

Aſcendens ad quadratum Solis minatur odia Principum, oppoſitiones, difficultates, moleſtias, itinera moleſta, multoties pericula carceris, vel exilij, ſi in Natiuitate adfuerit aliqua ſignificatio, & Sol malè affectus, & huiuſmodi infortunia; dat famam commiſſi delicti; mala in oculis; non omnem optimam valetudinem, nec eſt propitia directio pro Patre.

Aſcendens ad oppoſitum Solis ægritudines, & mala in Vita minatur: perſequutiones à Magnatibus, iram Potentiorum, lites, proditiones, itinera coacta, & cum anguſtijs, infauſtumque tempus pro vita, & honoribus.

Aſcendens ad corpus Veneris dat animi, & corporis tranquillitatem, ſalubritatem complexionis; inclinat ad ſolatia, voluptates, amores, amicitias mulierum, luxum, aliquando vxorem ducendam, nuptias, delectationem delitiarum, & rerum pulchrarum, conſuetudinem cum Muſicis pictoribus, & artificibus voluptuoſis, & ſimilia.

Ad ſextiles, vel trinum Veneris ad actiones omnes Venereas, & voluptuoſa tempus præbet idoneum; luxus, choreas, conuiuia, Muſicam, & ſimilia; multoties tribuit diuitias, & bona præcipuè ex parte Eccleſiaſtica.

Aſcendens ad quadratum, aut oppoſitum Veneris, moleſtias tribuit, & diſplicentias cauſa luxus, amoris, & voluptatum, vel Zelotypiæ; dat diſpendia & damna horum cauſa, & fæminarum; lites, contentiones, rixas ex dictis cauſis; multoties ægritudines ex humorum corruptione in pudendis; vel ex repletione, & vino; Directio eſt nimium infauſta ob mulieres, vel voluptates.

Aſcendens ad Antiſcium, vel Antiſcij oppoſitum Veneris, eadem decernit quæ in oppoſitione Veneris licet debilius.

Aſcendens ad Veneris terminos animum inclinat ad voluptates, & Venerea, licet debilius; adducit tamen amicitias plures, & nouas; & eſt propitium pro corporis conſtitutione, & actionibus.

Aſcendens ad corpus Mercurij propellit ad ſtudia, ſcripturas, artem oratoriam, poeſim, eloquentiam, Mathematicas, aliaſque ſcientias; pollicetur officium ob ingenium, & dotes animi, adminiſtrationes, & munus; fortunam in mercibus, litibus, actionibus, contractibus; ex Procuratoribus, literatis, fratribus minoribus, ſeruis, & alijs ſignificatis à Mercurio; & exinde diuitias.

Ad ſextiles Mercurij, aut trinum inclinat ad ſcientias addiſcendas, & in illis cum profectu, ſicut in opificio: fortunam tribuit in mercibus, negotijs commiſſis cum honore; honores ob ingenium, & opificium, laudes, gloriam, ex quibus diuitias, quemadmodum ex Nati induſtria; fortunamque præſtat in omnibus Mercurialibus; ſicut aliquando honorifica itinera ob legationes, &

negotia commiſſa.

Aſcendens ad quadratum, vel oppoſitum Mercurij reddit Natum à ſtudijs abhorrentem, pigrum in dotibus ingenij: dat impedimenta in actionibus, moleſtias, difficultates; ſuſcitat lites cauſa ſcripturarum, mercium, opificij, contractuum, contentiones cum Mercurialibus, fratribus minoribus, ſeruis; damna ex illis, vel dedecus; aliquando pericula carcerum, itinerum cum infortunijs, vel coactorum, & damna in diuitijs, depoſitionem ab officio; annumq; ad actiones omnes infauſtum, & capitis affectiones.

Aſcendens ad terminos Mercurij inclinat ad ſignificata Mercurialia, ſcientias, ſtudia, merces, negotia, cum fortuna, vel infortunio prout Mercurius in figura cæleſti fuerit benè, aut malè conſtitutus.

Aſcendens ad Antiſcium Mercurij ſignificat quæ ad corpus; ad Contra antiſcium quæ ad oppoſitionem, licet non tam valida.

Aſcendens ad corpus Lunæ Natum ſignificat multa negotia, etiam publica tractantem, & abſoluentem cum felicitate, proſperitatem in negotijs dictis, & actionibus; inclinat ad amicitias mulierum, tractatus cum plebe, & populo; ad itinera fortunata; ſi Luna fuerit feliciter conſtituta; nam malè poſita omnia in dictis ſignificatis parum euenient propitia. Hęc directio ægritudines minatur; & ſecundum aliquos mortem ſi non adfuerint auxilia beneficorum Iouis, aut Veneris.

Aſcendens ad ſextiles, aut trinum Lunæ reddit Natum plurimum negotijs intentum, & cum fortuna in eorum abſolutione; charum populo, & mulieribus; propenſum ad nouitates, hiſtorias audiendas; dat commercium cum fœminis, in ſolutis aliquando verba de matrimonio, laudes, honores, officium, utilia, bona in fœminis Nati; inclinat ad itinera præcipuè ob ſolatia, & videndas nouas regiones.

Aſcendens ad oppoſitum, vel quadratum Lunæ, dat iurgia, lites, contentiones cum diſpendijs, & dedecore cauſa mulierum; diſplicentias à Matre, vxore, vel amica ob Zelotypiam: itinera infauſta, ægritudines ex humoribus frigidis, & humidis; affectus capitis, oculorum, præcipuè ſiniſtri; mala in complexione, pericula in aquis; & in omnibus difficultates, & inconſtantem fortunam.

Aſcendens ad Caput Draconis Lunæ propitiat animum, & corporis; quamuis ſecundum aliquos corpori noceat vt diximus Cap. de Anareticis; amicitias tribuit cum Eccleſiaſticis, diuitibus, Iouialibus, & Venereis, honores, & laudes, & fauſta ſignificata diuitiarum, & hæreditatum.

Aſcendens ad Caudam Draconis annum decernit inutilem, & inſalubrem; minatur ægritudines, febres peſtilentiales, dyſſenteriam, colicos, gonorrheam, herniam, venena, morboſque ex corruptione humorum, affectus oculorum; atque animi diſplicentias, & pathemata.

Aſcendens ad Partem Fortunæ benè collocatam incrementum decernit diuitiarum præcipue ex labore, & actionibus nati; cum teſtimonio Iouis ex Principibus perſonis Eccleſiaſticis, potentibus, diuitibus; cum teſtimonio Veneris cauſa fæminarum; ſi Pars fortunæ fuerit malè affecta damna decernit pro ratione Planetæ; ſi afflicta à Marte ex rixis, ludis, furtis, ſeruis, & Martialibus; Si à Saturno ex ſenibus, Ruſticis, ſaturninus perſonis, & rebus; ſi à Ve-

Digitized by Google

à Venere cauſa fœminarum, & voluptatum; ſi à Mercurio ex litibus, mercibus, Mercurialibus. Si fuerit Pars fortunæ combuſta ex odio, & ira Principum. Quod contrario modo ſi ab his Planetis beneficè reſpiciatur coniectandum; nam proficua adducet.

Aſcendens ad Cuſpidem domus ſecundæ decernit vtilia ex rebus mobilibus, lucra ex propria perſona, ſupellectilia, nummos, & huiuſmodi, ſi ſecunda fuerit fortunata à Planetis beneficis. Si fuerit malè conſtituta, & cum noxa maleficorum, damna, & diſpendia ſignificabit.

Aſcendens ad tertiam inclinat ad motus, & itinera; quæ erunt fauſta, vel improſpera pro dominio, & radijs beneficorum; ſic erit in conſanguineis ſtatus. Natum etiam inclinat ad deuotionem, & res Eccleſiaſticas.

Aſcendens ad domum quartam inclinat ad ſtabilia, hæreditates, ædificationem, agriculturam, conſtruendam ſepulturam, teſtamentum condendum, ad abſcondita perquirenda, & aliquando Theſauros. Verùm directio hæc ad quartam, quam vocant foueam, pluries vitam abſcindit experientia, & Aegyptiorum placitis.

Directiones Aſcendentis ad aliquas ſtellas fixas.

Aſcendens ad Pallilitium ſeu oculum Tauri magnit. 1. naturæ Martis, effectus Martiales decernit in vita, abundantiam humoris calidi, ex hoc aliquando ægritudines, periculo Martialia, cum ſit ſtella violenta; aliquando (ſi aderit aliqua ſignificatio) tribuit honores Martiales, adminiſtrationes, itinera honorifica cum diuitiarum acceſſione.

Aſcendens ad Pleiades producit humores cholericos, dat pericula martialia, vulnera in capite, ægritudines calidas, affectus oculorum, pericula violentiæ ex multitudine, carceres, exilia, mala à Tribunalibus ob cauſas criminales, tormenta, & ſimilia, ſi adfuerint aliqua ſignificata in Natiuitate, cum ſint ſtellæ de natura Martis.

Aſcendens ad Cor Leonis, ſeu Regulum magnitud. 1. naturæ Iouis, & Martis honores decernit à Principibus, apud illos authoritatem; fortunam in diuitijs, & honoribus, inimicorum oppreſſionem; verùm pericula acutæ, & calidæ ægritudinis, cum ſint etiam propè termini Martis.

Aſcendens ad ſpicam Virginis magnitud. 1. naturæ Veneris, & Mercurij honores ſemper impartitur, præcipuè Eccleſiaſticos, laudes, diuitias, exiſtimationem apud Magnares, & gloriam ob animi qualitates, & ingenium. Idem decernit Aſcendens ad fundum vaſis ſtellam beneficam eiuſdem naturæ

Ad Canem maiorem, ſyrium magnitud. 1. naturę Iouis, & Martis accendit bilem præſertim in cerebro; Natum Martialibus actibus implicat, rixis, & contentionibus, eumque reddit ſagacem callidum, ſicut ſcientiarum, & ſapientiæ amatorem; tribuit diſpendia cauſa libidinis cum aliquali ignominia, & damna ex ſcripturis mercibus, furtis, ſeruis.

Aſcendens ad Cingulum orionis magnit. 2. naturæ Saturni, & Veneris propellit ad libidines, Venerea, amores cum paruo decore; tribuit bona ex Eccleſiaſticis, vel ex hæreditatibus, & cauſa mortuorum.

Ad lucidam ſtellam in Argo, magnitud. 3. naturæ Iouis, & Saturni bona pollicetur à Saturninis, & Eccleſiaſticis ob Iouem, ex ſtabilibus, & hæreditatibus ob Saturnum; inclinatque multoties ad itinera honorifica.

Aſcendens

Digitized by Google

Aſcendens ad Aſellos magnitud. 4. naturæ Martis, & Solis, minatur affectus oculorum, ægritudines calidas, rixas, mala ab animalibus, aut præcipitijs.

Ad lucidam in lance Auſtrali libræ magnitud. 2. naturę Martis, & Saturni ſemper mala adducit, pericula Martialia, vel alia infortunia de natura Martis, & ęgritudines, ſicut rixas, & diſcordias.

Aſcendens ad Arcturum magnitud. 1. naturę Iouis, & Martis, honores tribuit, & fortunam, verùm non abſque difficultatibus.

Ad ſtellam in Ceruice Leonis magnitud. 3. naturę Martis, & Saturni; mala adducit in vita, vel ex violentia, vel ex ęgritudinibus: affert multoties rixas, & inimicorum inſultus.

Aſcendens ad ſtellam ſub genu Leonis magnitud. 2. naturę Saturni, & Mercurij adminiſtrationes decernit, & gubernia cum poteſtate vitę & necis, & diuitiarum affluentia.

Aſcendens ad Herculem magnitud. 3. naturę Martis; Martialia tribuit ſignificata in corpore, & animo, inclinat ad rixas, contentiones, itinera, & Martialia, & ex humore calido non pollicetur omnem optimam valetudinem.

Ad Antares, ſeu Cor Scorpij ſtellam prim. magnitud. de natura Saturni, & Martis violentiam minatur; pericula ex ferro, igne, ignitis, ſanguinis effuſionem aliquando ex rupta vena, aut alio modo; egritudines acutas, aliquando tamen adminiſtrationes, & honores Martiales; Si adfuerint aliqua ſignificata in Natiuitate.

Ad lucidam Hydræ magnitud. 2. naturæ Saturni; & Iouis, inclinat ad ſtabilia, agriculturam, ædificationem, hæreditates; quamuis non ſine moleſtijs laboribus, & diſpendijs; & pericula veneni minatur.

DIRECTIONES MEDII CAELI. Cap. LI.

MEdium Cæli, angulus Meridianus, ſeu domus decima dirigitur pro nati actionibus, opificio, honoribus, dignitatibus, amicitijs, Matre.

Medium Cæli ad corpus Saturni, vel eius quadratum, vel oppoſitum mala oſtendit ſaltem in aliquo ex his ſignificatis, irritat Magnates, & potentes contra natum, & eius actiones; iacturam decernit honoris, aduerſitates, oppoſitiones, difficultates; diſplicẽtias à ſubditis, ſeruis, agricolis, & Saturninis; minatur carceres, & ſimiles anguſtias ex carceribus prouenientes, & ſceleribus, depoſitionem ab honoribus, & dignitatibus, & mala in Matre, amicitijs, opificio, & actionibus.

Ad Sextiles, aut Trinum ſeueritatem, & grauitatem influit in actionibus, amicitias tribuit cum Saturninis, ſenioribus, & alijs ſuo loco numeratis, à quibus vtilia, & honores aſſequetur; ſic inclinat ad Saturnina, agriculturam, ædificationem, hæreditates, diuitias cumulandas, & cum fortuna.

Ad Saturni Antiſcia, Imperantia, vel obedientia eadem demonſtrat, quæ in directionibus ad corpora, vel oppoſita; quamuis multoties minora.

Medium Cæli ad terminos Saturni difficultates in actionibus, & contrarietates adducit, ſicut nec propitia pro Matre, & amicitijs.

Medium Cæli ad Iouem, & Iouis Sextiles, trinum, aut Antiſcium honores

Digitized by Google

res, & dignitates impartitur præcipue Eccleſiaſticas, magiſtratus, Prælaturas, honorificas, Principum familiaritates, laudes, gloriam, fortunam in opificio, & actionibus, ſobolem in natis proportionatis, & matri proſperitatem; Natum reddit negotijs magnis intentum, præcipuè Eccleſiaſticis deuotioni, religioni, virtutibus moralibus, & huiuſmodi, perſpicuum apud magnates dignitate, & honoribus, & omnia in fauſtum euenient.

Medium Cæli ad oppoſitum, quadratum, & contra Antiſcium Iouis excitat odia magnatum, Prælatorum, religioſorum, Iuriſperitorum, & ſimilium Iouialium contra natum, qui ſicut Iudices coniurabunt contra actiones, & honores nati ob inuidiam, cum aliquo damno; quæ tandem omnia bonum, & honorificum finem ſortientur.

Ad Iouis terminos propitia ſemper demonſtrat in actionibus, & opificio, & eſt fauſta etiam directio pro filiorum procreatione, & matre.

Medium Cæli corpus, quadratum, oppoſitionem, Antiſcium, & contra antiſcium *Martis*, rixas tribuit cum martialibus, iras potentiorum, iacturam honoris, & dignitatis poſſeſſæ, pericula carceris, exilij, itinera coacta, vel infortunata; oppoſitiones in actionibus, & opificio, damna in diuitijs; Natum martialibus implicitum, & inſuper matri nocet hæc directio infauſta.

Ad Sextiles, vel Trinum *Martis* honores pollicetur, præcipuè in re militari, guberna, adminiſtrationes, honores à Principibus; Natum oſtendit magnanimum, imperioſum, formidabilem, intentum martialibus, vt bello, armis; Equis, haſtiludijs, ac ſimilibus; plus etiam ſolito ludis, & itineribus.

Medium Cæli ad terminos *Martis* tribuit propenſionem etiam ad martialia propitia, vel infauſta prout in figura Celeſti Mars fuerit benè, aut malè conſtitutus; inclinat etiam ſæpe ad itinera, & motus, & aliquando nocet matri.

Medium Cæli ad Solis corpus, eius ſextiles, aut trinum, aut Antiſcium amicitias, & familiaritates demonſtrat cum Principibus; ab illis honores gloriam, laudes, dignitates, officia, adminiſtrationeſque; munera publica impartitur: Natum reddit magnis rebus intentum, magnanimum, elatum honores affectantem; qui Principum negotia adminiſtrabit cum gloria, & diuitiarum acceſſione, & omnium laude.

Medium Cæli ad oppoſitum, quadratum, vel contra Antiſcium Solis, Principum, & Magnatum minatur indignationem, & contrarietates, iacturam dignitatis, depoſitionem ab officio, mala inopinata, aliquando carceres, exilia; tempus ad omnia infauſtum; quæ directio etiam nocet Parentibus, cum Medium Cæli ſignificet Matrem, & Imum Cæli, quod æqualiter affligitur Patrem.

Medium Cæli ad Venerem, eius ſextiles, trinum, aut Antiſcium, inclinat ad luxum, Venerea, & voluptates, choreas, cantus, iocos, delitias, ad vxorem ducendam. amicitias cum mulieribus, & commercium, indulgentiam genio, conuiuia, & gaudia; pollicetur dignitates, publica munera, promotionem ad officium cum honore, & diuitijs, honores in actionibus; patrocinium nobilis Matronæ, ſobolem ſi fuerit venus benè conſtituta; ſin minus omnia erunt minora.

Medium Cæli ad oppoſitionem, quadratum, vel contra Antiſcium Veneris, diſplicentias, infamiam, damna portendit cauſa fœminarum, amores cum Zelotypia, & honoris detrimento; lites, iurgia, & ſimilia; Mala in Matre, vxore,

Digitized by Google

vel fœminis Nati, aliquando earum mortem.

Medium Cæli ad Veneris terminos reddit Natum propenſum dictis voluptatibus, & delitijs, ac Venereis; aliquando bene Venere collocata, vel domina medij cæli fauet honoribus.

Medium Cæli ad corpus, ſextiles, trinum, Antiſcium Mercurij Natum propenſum reddit ad Mercurialia, ſtudia literarum, ſcripturas, ſupputationes, merces, negotia, opificium. Tribuit ingenij ſolertiam, & dotes, ob quas aſſequetur Natus honores, & lucra; officium, dignitatem; legationem, & proficua ex opificio, litibus, negotijs, & actionibus.

Medium Cæli ad quadratum, oppoſitum, & contra Antiſcium Mercurij, demonſtrat perſecutiones excitatas ob inuidiam, inimicitias Mercurialium, damna in honore, actionibus, & opificio, depoſitionem ab officio, & dignitate, implicationes, & impedimenta in omnibus additis litibus.

Ad Mercurij terminos Natum intentum reddit mercurialibus dictis ſcientijs, mercibus, negotijs, adminiſtrationibus, & opificio.

*M*edium Cæli ad corpus, ſextiles, trinum Antiſcium Lunæ, honores impartitur à populo, & plebe, amicitiam cum mulieribus, earum cauſa honores, & diuitias; decernit honores: adminiſtrationes publicas, negotia muliebria; inſolutis aliquando coniugium, nuptias, filios; conſuetudines, & amicitias cum mulieribus.

Ad oppoſitum, quadratum, & contra Antiſcium Lunæ odia popularia decernit, rixas cauſa mulierum, impedimenta in actionibus, aduerſitates, odia mulierum, lites, & diſpendia earum cauſa; aliquando mortem, aut mala *M*atri.

*M*edium Cæli ad Caput Draconis, dat fortunam in actionibus, proſperitatem in negotijs, proficua in opificio, honores, laudes, bona ex Iouialibus, & Venereis.

Ad Caudam Draconis mala decernit, oppoſitiones, difficultates, & ignominiam in actionibus, iacturam honoris, odia magnatum, carceres, exilia, itinera coacta, contrarietates in negotijs, mala in marre, aliquando mortem.

*M*edium Cæli ad Partem fortunæ inclinat Natum ad diuitias cumulandas, rerum mobilium incrementum, & ſupellectilia; & in his fortunam, ſi fuerit Pars fortunæ optimè conſtituta; ſi malè non omnia finem cupitum obtinebunt, quamuis inclinatio negare non poſſit, & anxietas.

*M*edium Cæli ad cuſpidem domus vndecimæ decernit aliquam ſtatus Nati conditionem circa honores, & in melius; amicitias magnatum, honores, ſperatarum rerum conſequutionem, munera, vtilia ex actionibus, & opificio fortunam in negotijs, & eorum perfectionem.

Ad domum duodecimam minatur oppoſitiones, inuidias, difficultates, inimicitias, damna in exiſtimatione, calumnias, amiſſionem gratiæ Principis, diſplicentias cauſa amicorum, pericula carcerum, ſi in Natiuitate adfuerit aliqua ſignificatio; & tempus parum fauſtum in actionibus.

*M*edium Cæli ad lineam Aſcendentis omnia erunt fauorabilia; honores enim decernit, authoritatem ſuper alios; ſolatia cum affinibus, fortunam in negotijs, & actionibus; felixque tempus ad omnia, ſi Planetæ malefici corpore, aut radijs maleficis non obſtiterint.

*M*edium Cæli ad cor Leonis honores ſolito maiores pollicetur, adminiſtrationes

ſiones honorificas cum incremento diuitiarum, & Principum familiaritates.

Ad ſpicam Virginis dignitates demonſtrat præcipuè Eccleſiaſticas, & diuitias, & Natum reddit intentum religioni, & eccleſiaſticæ rei negotijs, ac directioni.

Ad Pallilitium, vel cor Scorpij inclinat ad res martiales, & cum honoribus; dat patrocinium Principis martialis, & cum honoribus erunt complicatæ diuitiæ, & adminiſtrationes cum authoritate.

Ad Canem maiorem Syrium authoritatem præbet, adminiſtrationes cum honoribus; & arduis negotijs Natum reddit implicitum.

Ad Humeros orionis inclinat ad martialia, in quibus demonſtrat honores; multoties etiam contentiones adducit, & rixas.

Ad Rigel dat bona à ſenioribus; honores à Principibus, fauores ab Eccleſiaſticis; & Natum decernit negotijs magnis intentum cum honore, & optima apud alios exiſtimatione.

Ad Pleiades implicationes minatur, lites, contentiones, & itinerea infauſta, niſi adſit auxilium beneficorum præſentia, aut radijs. Si tamen adfuerit aliqua ſignificatio in Natiuitate, adminiſtrationes magnas impartitur.

Ad Caput Meduſæ pericula, & impedimenta adducit: pericula ob delicta, carceres, & mala in exiſtimatione, & in corpore.

Medium Cæli ad Canopum, patrocinio Principum gloriam, diuitias, & nouos honores Natum conſequuturum ſignificat.

Ad lucidam in Argonaui amicitias Principum, honores & diuitias Saturninorum, vel Iouialium; & inclinat ad itinera.

Ad lucidam in Lance Auſtrali Libræ adminiſtrationes magnas pollicetur, licet non ſine implicationibus.

Ad Arcturum honores tribuit, & etiam authoritatem ſuper alios; & adminiſtrationes, ſicut negotia Principum.

Ad Herculem ad Martialia propellit, & cum honore, licet aliquando periculis implicitos.

Ad Stellam in Leonis Ceruice, difficultates parit, diſplicentias in actionibus & parum fauſta in honoribus.

Ad Caudam Draconis ſemper bona pollicetur in honoribus fauore Principum, & religioſorum.

DE DIRECTIONIBVS SOLIS. Cap. LII.

SOl dirigitur pro vitali potentia, vita, honoribus, dignitatibus, & Patre.

Sol ad corpus Saturni, eius Antiſcium, vel contra Antiſcium, radios oppoſitos, vel quadratos, oppoſitiones, & contrarietates decernit à Principe Saturnino, & alijs Saturninis; perſequutiones excitatas ob inuidiam cum detrimento honoris, & diuitiarum, honoris depreſſionem, dignitatis iacturam, damna à ſeruis, ruſticis, & Saturninis: Vel ægritudines chronicas, melancholicas, quartanam; affectus ſtomachi, oculorum, aliaſque ex humorum deflu-xibus; Vel pericula Saturnina, caſus ab alto, ruina, in aquis, carceres, & ſimilia infauſta de natura Saturni; & eo magis ſi Sol ſit ſignificator Vitæ, & Aphetæ; nocetque hæc Directio Patri.

Sol

Sol ad ſextile, vel trinum Saturni. grauitatem tribuit in actionibus, & conſilijs, prudentiam, circumſpectionem in rebus agendis; pollicetur bona & honores à Principe, & Magnatibus; dat bona etiam ratione Saturninę ſignificationis, vt hæreditatis, ſtabilium, nauigationis, agriculturæ, fabricationis, nauigationis, & ſimilium; Natumque reddit ſolito ſeueriorem; aliquando tamen influit etiam Saturnus ſuſpicionem frigidi humoris, nec optimam exinde corporis valetudinem.

Sol ad terminos Saturni, vel corpus moleſtat ex humore dicto; vel difficultat actiones, & honores, & moleſtat Patrem.

Sol ad corpus Iouis, ſextiles, trinum, vel Antiſcium corporis optimam præbet valetudinem, animi tranquillitatem, laudes, honores, gloriam, dignitates: gratiam apud Principes, eorum familiaritatem intimam, ſicut magnatum diuitum, Iuriſconſultorum, in dignitate conſtitutorum, eccleſiaſticorum, & ſimilium Iouialium; & ex ſignificatis Eccleſiaſticis magna pollicetur in honoribus, & diuitijs.

Sol ad contra Antiſcium, quadrata, vel oppoſitum Iouis perſequutiones demonſtrat à Iouialibus, Prælatis, Iudicibus, Iuriſperitis, religioſis, ac huiuſmodi ob inuidiam; inimicitias cum potentibus, difficultates; quamuis omnia cum fine honorifico; Et ſi Iuppiter fuerit benè conſtitutus, præter quod abiectionem inimicorum decernat, tandem poſt labores aliquam Natus dignitatem, vel honorem conſequetur.

Sol ad terminos Iouis propitium præſtat tempus ad honores, & animi, corporiſque tranquillitatem; & fauet ſignificatis eccleſiaſticis.

Sol ad corpus Martis, eius Antiſcium, Imperantia, obedientia, vel quadratum, vel oppoſitum Martis, inconſtantiam tribuit in actionibus, & conſilijs, damna in diuitijs; ægritudines acutas, febres bilioſas, inflammationes, capitis affectus, ſtomachi, vel oculorum; pericula vulnerum; ex igne, aut ignitis, rixas, inſidias inimicorum, ſeditiones, lites, & contentiones cum Martialibus; odia Principum, aduerſitates, difficultates in honoribus, pericula ex animalibus, carceres, exilia; & ſimilia infortunia de natura Martis in corpore, vel exiſtimatione, & aliquod ex his dictis, & Patri aliquomodo nocebit.

Sol ad Sextiles, vel Trinum Martis affert promptitudinem, & efficaciam in negotijs tractandis, & actionibus, magnanimitatē, amicitias cum Martialibus honores, & dignitatem à Principe, adminiſtrationes cum authoritate, præcipuè Martiales, potentiam contra inimicos, & bona in diuitijs ex ſignificatis à Marte.

Sol ad Martis terminos turbat corpus aliquo modo, vel animum ex humore cholerico, & qualitate Martiali, nec iuuat Patri.

Sol ad Sextiles proprios, trinum, & Antiſcium, honores generaliter, & dignitatem experientia pollicetur patrocinio Principum, & in his ſolito maiora, præcipuè ſi in figura cæleſti fuerit benè conſtitutus, tribuit diuitias, & corporis optimam valitudinem, ſicut Patri ſi vixerit cum honoribus.

Sol ad Quadratum, vel contra Antiſcium, iram, & odia ſuſcitat Principū, inſidias, anguſtias difficultates, iacturam honoris, ægritudines, & vitæ diſcrimen ſi directio exceſſerit gradus ſeptuaginta quinque.

Sol ad corpus Veneris, eius Antiſcium, Sextiles, vel Trinum natum Vene-

Digitized by Google

ris ſignificatis reddit intentum, ludis, iocis, muſicæ, tripudijs, conuiuijs luxui, & alijs voluptatibus; tribuit honores, laudes, dignitatem cum diuitiarum acceſſione; aliquando vxorem; & multoties mortem matris in Genitura diurna.

Sol ad Quadratum, vel contra Antiſcium Veneris dat iurgia, lites, anguſtias ex amore, & Zelotypia, difficultates, & mala in honore; damna cauſa fœminarum, infauſtaque plurima pro Veneris ſignificatis; nocetque hæc directio matri, vxori, & fœminis nati.

Sol ad terminos Veneris reddit natum nimis Veneri propenſum ob Solis caliditatem; honoribus tamen, & laudibus eſt propitius.

Sol ad corpus, Sextiles, Trinum, vel Antiſcium Mercurii propellet natum ad mercurialia, ſtudia, ſcripturas, merces, & ſimilia. Ob dotes ingenij dat honores, laudes, officia, tractationem negotiorum Principum, adminiſtrationes, legationes cum diuitiis, bonaque ex opificio, & actionibus.

Ad Quadratum, & contra Antiſcium Mercurii, accuſationes criminales portendit, infamiam, lites, iurgia, animi pathemata, oppoſitiones in opificio, difficultates in actionibus, & negotiis.

Sol ad Mercurij terminos fauet opificio, & honoribus, & natum reddit intentum Mercurialibus, negotiis, ſcripturis, mercibus, litibus, ſtudiis, & ſimilibus.

Sol ad corpus Lunæ flegmaticas, vel acutas minatur ægritudines, ſtomachi & capitis affectiones, aliquando mortem, ſi non adfuerit auxilium beneficorum; & matri, vxori, & fœminis nocet.

Sol ad Sextiles, aut Trinum Lunæ tribuit itinera, tractationem negotiorũ Principum cum honore, & lucro; dat legationes, magiſtratus, authoritatem ſuper alios, officia publica, bona à plebe, & populo.

Sol ad Quadratum, vel oppoſitum Lunæ perſecutiones minatur, damna, lites, & ſimilia cauſa mulierum; itinera moleſta, affectus cerebri, fluxiones, mala in oculis, ægritudines; nec fauſta pro mulieribus nati.

Sol ad Caput Draconis amicitias magnatum impartitur, publica præmia, & honores cum diuitiarum incremento.

Sol ad Caudam Draconis contraria tribuit in dignitatibus, iacturam honoris, & fortunarum, ægritudines melancholicas; mala in oculis præcipuè dextero.

Sol ad Partem Fortunæ diuitias tribuit, verùm diſpendia cauſa honoris, & magnanimitatis.

Sol ad Aſcendens pacem decernit cum inimicis, authoritates ſuper alios, & honores ſolito maiores, bonaque in Vita, cum corroboret vitalem potentiam.

Ad domum ſecundam diſpendia decernit cauſa honoris; verùm ſi ibi fuerint benefici diuitias elargitur.

Ad tertiam breuia ſignificat itinera, quæ erunt fauſta, vel improſpera pro ratione Planetarum conſtitutorum in dicta domo, vel in illa dominantium.

Ad quartam honores tribuit; ſicut natum propenſum ad ædificia, agriculturam, aliquando ad abſcondita cum fortuna. Verùm ſi malefica fuerit in quarta, vel ibi fuerint radij maleficorum, mala minatur in ſtabilibus, & Patre, & etiam pericula Vitæ, cum quarta vocetur fouea.

Ad quintam propenſionem affert ad voluptates, luxus, conuiuia, & reliquas

& ſi

Digitized by Google

& ſi in quinta fuerint benefici fortunam tribuit ad ſobolem, filios, nepotes; ſi adfuerint malefici in his mala portendit.

Ad ſextam bona decernit in paruis animalibus, & familia; verum tremenda eſt Patris, aut Nati ægritudo.

Ad ſeptimam conculcationem affert inimicorum, inclinationem ad vxorem ſed periculum ægritudinis Nati, vel vxoris, vel rixæ cum vxore.

Ad octauam dat ſollicitudines cauſa dotis, vel hæreditatis, aliquando tamen luctus ob mortem conſanguinei.

Ad nonam inclinat ad itinera ad Principes, vel cauſa religionis, aut deuotionis; in his fortunam, vel infauſta pro ratione dominantium Planetarum, vel manentium in dicta domo.

Ad decimam pollicetur honores à Principe, Magiſtratus, & dignitates, præcipuè ſi ibi ad fuerint benefici. Si verò malefici, oppoſitiones, & difficultates in honore portendet, aliquando carceres, exilia, & ſimilia infortunia ob Principum indignationem.

Ad vndecimam affert magnatum amicitias, honores, diuitias, & ſperata Natus obtinebit.

Ad duodecimam inuidias, & inimicos portendit; & pericula carceris, vel exilii, vel diſplicentias ob carceratos, tempuſque infauſtum.

Sol ad Canem Syrium, adminiſtrationes, & honores impartitur in rebus martialibus, verùm non abſque implicationibus, & diſpendijs.

Sol ad Cor Leonis honores pollicetur conſpicuos, nominis famam illuſtrē apud exteros, dignitates, diuitias; verùm aliquando calidæ ægritudinis periculum.

Ad Cor Scorpij tribuit adminiſtrationes cum authoritate, & honore; verū à martialibus damna, vel mala in oculis præcipuè dextro, & humore calido.

Ad pedem ſiniſtrum orionis diuitias impartitur; ſed pericula minatur ex rixis vel delictis, ad quæ maximè inclinat Natos.

Ad Pallilitium amicitias tribuit cum Principibus, & bona ex martialibus perſonis, & ſignificatis, & omnia in initio cum felici fortuna; quæ ſine auxilio beneficorum finem tragicum ſortiuntur.

Ad oculum Auſtralem Tauri de natura Martis, inclinat etiam ad martialia, & præcipuè ad cumulandas diuitias; verum minatur pericula & inimicorum inſidias, & inſultus.

Ad lucidam in lance libræ, accendit bilem, dat moleſtias, et pericula, febres, Naufragia, nocetque Patri, et etiam Nato in honore; inclinat ad martalia & cum fælicitate.

Ad Spicam Virginis magna decernit in honoribus (præcipuè Eccleſiaſticis) tribuit dignitates, Magiſtratus, Prefecturas, Epiſcopatus in religioſis, diuitias, et tranquillitates.

Ad Pleiades difficultates, ignominiam, mala in honore decernit, et in Patre; aliquando oculorum affectus.

Ad Præſepe; in pectore Cancri inclinat ad flagitia, homicidia, rixas, lites; dat eapropter pericula violentiæ, ex ferro, igne, ignitis, carceribus, ex iræ Principum; et cum ſint ſtellæ nebuloſæ, mala adducit in oculis.

Ad

Ad Aſellos ſtellas etiam nebuloſas infauſta magna portendit; nocet honoribus, & diuitijs; dat pericula vitæ, inſultus inimicorum; mala ex Iudicibus, ſicut ex martialibus; nocet ſemper oculis, & aliquando tribuit veneni; vel veneuatæ materiæ ſuſpitionem.

DE EXISTIMATIONE POST MORTEM. *Cap. LIII.*

IN hac materia ſciendum, quod prout Nati in Vita exiſtimationem aliquam magnam tetinuerint alicuius eminentis virtutis, dignitatis, honorum, felicitatis, bonorumque animi, corporis, vel fortunæ; vt plurimum famam conſequuntur pro qualitate, & rei magnitudine; quæ ſimilia contingunt in exiſtimatis in vita ob delicta, vitia, & ſimilia.

Generaliter attendendæ ſunt ſtellæ fixæ in Medio Cæli, & Imo Cæli; quæ enim in *M*edio Cæli exiſtentes homines extollunt ad dignitates, honores, & altiora, (quarum aliquas numerauimus capite de honoribus) eædem in Imo Cæli ob actiones, monumenta operum, literarum, ac aliarum actionum inſignia famam in poſteros relinquunt pro ratione ſtellæ regiæ, aut ſtellæ alterius conditionis, & ratione eius qualitatis beneficæ, aut maleficæ; præcipue verò fama magna emerget ſi luminaria fuerint in angulis, & Planetæ. Et ſi ſtellæ fuerint cum ſole famam, & gloriam decernent diutiſſimè duraturam; exiſtimationem enim maiorem afferent.

Sol per ordinem; deinde Luna; poſt Imum Cæli; & deinceps Planetæ, ſi cum ſtellis dictis fuerint.

Sol ſignificator omnis honoris famam pollicetur; & gloriam ex honoribus, dignitatibus, potentia, *M*agiſtratibus; Luna ob bonam fortunam; Saturnus ob induſtriam, labores; Iuppiter ob probitatem, iuſtitiam, virtutes, bonitatem, dignitates Eccleſiaſticas. Mars ob *M*artialia, fortiter geſta, victorias, crudelitatem. Venus ob formam corporis; *M*ercurius ob ingenium, memoriam, ſcientias & huiuſmodi.

Hora mortis ſi Sol fuerit in *M*edio Cæli gloriam, & famam diutiſſimè duraturam ſignificat.

Planeta beneficus benè affectus ſi fuerit in octaua, vel præfuerit octauæ decernet quod mortuis funus, & ſepulchrum maxime honorabitur. Sic benefici Planetæ cum præclaris ſyderibus fixis.

Planetæ malefici, vel domini, vel conſtituti in octaua funus, & ſepulchrũ ſine decore oſtendent; & ſi fuerint cum fixis maleficis, aliquando cadaueri eſludetur; & memoria mala relinquetur.

Fomahand ſtella primæ magnitudinis in extremitate fuſionis aquæ Aquarij quæ mediat Cælum cum grad. 7. Piſcium conſtituta in Medio Cæli, vel Aſcendenti dat nominis immortalitatem.

Planetæ in quarta domo dant gloriam poſt mortem, vel malam famam prout fuerint benefici, aut malefici.

DIRECTIONES LVNAE. Cap. LIV.

Dirigitur Luna pro animi, & corporis affectionibus, pro Vita, Matre, vxore, fœminis.

LVna ad Saturni corpus, quadratum radium, oppoſitum, eius Antiſcium, Imperans, vel obediens tribuit meſtitias, luctus, triſtitias, triſtes cogitationes, curas graues, quæ animum perturbant; febres flegmaticas, melancholicas, fluxiones humorum à capite, & ſimilia; vel infortunia aliqua, damna à ſeruis, ruſticis, furta; pericula demonſtrata à Saturno, ut caſus ab alto, in aquis, carceres, diſplicentias ſimiles; vel mala in Matre, vxore, aut alijs fæminis Nati; Natumque reddit pigrum in actionibus ſingulis, & cum timore.

Ad ſextiles, aut trinum Saturni pronum decernit Natum ad ſignificata Saturni; ut ædificationes, agriculturam, nauigationes, res hæreditarias, opes cumulandas, vel conſortium cum Saturninis; bona pollicetur ex perſonis, vel rebus ſignificatis à Saturno; aliquando tamen humoris frigidi aliquam ſignificationem profert.

Ad Saturni terminos vel corpus, vel animum moleſtat ex humore frigido, vel alio ſignificato Saturni.

Luna ad corpus Iouis, eius ſextiles, trinum, vel Antiſcium, animi tranquillitatem affert, & corporis optimam valetudinem; & præterea fortunam in diuitijs, honores, officium, iuriſdictionem, beneficia, bona eccleſiaſtica, vel ex eccleſiaſticis, ſicut honores, & vtilia à populo; Reddit inſuper Natum intentum deuotioni, & virtutibus moralibus; & aliquando demonſtrat coniugium, & ſobolem.

Luna ad quadratum, oppoſitum, aut contra Antiſcium Iouis, Natum ſignificat arduis negotijs implicitum; difficultat honores, dat oppoſitiones à Iouialibus, Prælatis, religioſis, Principibus, potentibus, in dignitate conſtitutis, Iuriſconſultis, Iudicibus; ſed tamen poſt difficultates; quæ bonum finem ſortientur, Natus honoribus, vel dignitate potietur.

Ad Iouis terminos tempus adducit fauſtum pro affectibus animi, & corporis honoribus, diuitijs, & fœminis.

Luna ad corpus Martis, eius quadratum, oppoſitum, Antiſcium, Imperans, aut obediens; vel acutas producit ægritudines, & humorum inflammationes, & affectus ex cholerico humore; vel diſſidia, lites, contentiones, rixaſque cum martialibus, hinc pericula vulnerum ex ferro, igne, ignitis; vel carceres, exilia, & itinera infortunata, vel coacta, vel pericula ex animalibus, mala in oculis, & vitæ diſcrimina.

Ad ſextiles, aut trinum Martis Natum reddit audacem, agilem, imperioſum deditum ſignificatis martialibus; pollicetur adminiſtrationes cum authoritate, honores, officia, gubernia, dignitates ex martialibus, aut rebus publicis; inclinatque ad itinera, vel ad animi motus violentos, & contentiones.

Ad Martis terminos infeſtat corpus, vel animum qualitate martiali, dat itinera vel impetus animi cholericos.

Luna ad Solem ſi eſt Apheta periculum decernit in vita, affectus oculorum,

aut

aut mala in fœminis Nati. Idem decernit ad Antiſcium, aut contra Antiſcium ſed debiliter.

Ad quadratum, aut oppoſitum Solis demonſtrat lites, aut rixas cum fœminis, plebe, aut nobilibus; vel cauſa fœminarum, quibus improſpera minatur; vel demonſtrat ægritudinem acutam, affectus capitis, aut oculorum.

Luna ad ſextiles, aut trinum Solis Principis patrocinia, aut magnatis mulieris honores pollicetur, ſicut bona, & honores à populo, & plebe, officium videlicet,& adminiſtrationes cum lucris;ſicut Principum familiaritatem, vel in dignitate conſtitutorum.

Ad corpus, ſextiles, trinum, aut Antiſcium Veneris, Natum intentum decernit Venereis ſignificatis, ſolatijs, gaudijs, & voluptatibus omnis generis, tranquillat animum,optimam tribuit corporis valetudinem,tribuit nouos amores, eſt propitia pro vxore ducenda, & filiorum procreatione.

Luna ad quadratum, oppoſitum, aut contra Antiſcium Veneris, illecebras tribuit voluptates, & infauſtas, lites,iurgia, contentiones cauſa mulierum;cauſa voluptatum damna in diuitijs, & exiſtimatione;aliquando ex cauſa Venerea, aut repletione ægritudines ex corruptione humorum, mala in pudendis, & ſimilia infortunia.

Luna ad Veneris terminos inclinat ad voluptates; & animi, & corporis bona pollicetur, niſi malefici adſtiterint.

Ad Mercurij corpus, ſextiles, trinum, Antiſcium Natum reddit ſolito calidiorem, eloquentiorem, & ſagaciorem; intentumque ſtudijs, ſcripturis, computis, mercibus, adminiſtrationibus, alijſque ſignificatis à Mercurio cum honore, & lucro.

Luna ad quadratum, oppoſitum, vel contra Antiſcium Mercurij demonſtrat Natum à ſtudijs deuium, & Mercurialibus, dat inſtabilitatem mentis; damna ex ſermone, ſcripturis, litibus, contractibus, mercibus, adminiſtrationibus; & diſplicentias ex ſeruis, ſeditione populari, & ſimilibus cum detrimento honoris, & diuitiarum.

Ad Mercurij terminos inclinat ad mercurialia, ſcientias, merces, ſcripturas, & ſimilia.

Luna ad ſuum ſextilem, trinum, aut Antiſcium,varia negotia indicat Natum tractantem, & cum fortuna abſoluentem; inclinat ad itinera; & fauet ſemper honoribus, adminiſtrationibus, fœminis, & ſignificatis à Luna.

Luna ad ſuum quadratum, vel contra Antiſcium itinera ſignificat parum fauſta, ſicut lites cum mulieribus, aut plebeis; minaturque frigidam ægritudinem, vel fluxiones humorum, aut affectus oculorum; nocetque fœminis Nati.

Ad Caput Draconis fauſta eſt pro exiſtimatione, & diuitijs, ſicut pro corporis conſtitutione, cum caput ſit de natura Iouis, & Veneris.

Ad Caudam Draconis de natura Saturni, & Martis lites ſuſcitat, & iurgia cum Saturninis, vel Martialibus;dat periculum ægritudinis melancholicę,flegmaticę, affectionis oculi ſiniſtri; & ſemper vel animum vel corpus moleſtat.

Ad Partem fortunæ vtilia adducit ſi non fuerit malè affecta.

Luna ad Aſcendens, ſeu primam domum experientia nocet complexioni, & ſecundum aliquos poteſt interimere ob naturam contrariam.

Ad domum ſecundam bona pollicetur in mobilibus,& lucris,ſi dicta domus

fuerit à Ioue, Venere, aut Luna benè affecta: è contra mala in his decernit.

Ad tertiam breuia tribuit itinera, fauſta verò, aut improſpera pro ratione corporum, vel aſpectuum Planetarum beneficorum, aut maleficorum.

Ad quartam dat propenſionem ad res ſtabiles, agriculturam, ædificia, effodiendos puteos, piſcinas, condenda ſepulchra, tractandum de teſtamento, redeundum in patriam. Et ſecundum aliquos hæc directio eſt Aneretica; ſicut nocet Matri, vxori, & fæminis Nati.

Ad quintam gaudia demonſtrat ex filijs, inclinat ad genio indulgentiam, voluptates; multoties dat negotia commiſſa, & legationes.

Ad ſextam fortunata Luna tribuit vtilia à ſeruis, & animalibus, infortunata mala; ſemper autem eſt nocua complexioni.

Ad ſeptimam inimicos decernit, rixas, diſcordias cum vxore; mulieribus, vel earum cauſa, nec omnem optimam valetudinem.

Ad octauam dat anxietates, & cogitationes circa res hæreditarias, dotem, vel mortem aliorum; mortis timorem, vel luctus ex aliorum morte.

Ad nonam inclinat ad itinera propitia, vel infauſta pro ratione ſtellarum dominantium beneficarum, aut maleficarum; propellit etiam ad res eccleſiaſticas & religionis, ſicut ad ſcientias.

Luna ad decimam honores decernit à Principe, vel muliere magnate, vel à plebe, vel opificio, & actionibus; ſicut bona in Nati mulieribus.

Ad vndecimam nouos conciliat amicos, vel ſocios; bona demonſtrat cauſa filiorum, amicorum, & rerum ſperatarum.

Ad duodecimam inimicos ſuſcitat, quorum cauſa timenda ſunt diſpendia, & damna in actionibus; dat pericula carcerum exilij, ex animalibus, vel alterius infortunij.

Luna ad Vulturem cadentem bona pollicetur, diuitias, honores, officium, aliquando vxorem vel filium.

Ad Regulum honores ſemper impartitur, & magnatum familiaritatem, verum periculum calidæ ægritudinis, cum etiam ibi adſint termini Martis.

Ad cor Scorpij fauet honoribus licet non abſque difficultatibus, & implicationibus; minatur etiam pericula martialia, ex igne, ignitis, animalibus inimicorum incurſibus; nec propitia Matri, aut vxori.

Ad Herculem ſtellam martialem inclinat ad delicta criminalia, & cum periculis, & anxietatibus, nocetque fœminis.

Ad lucidam Coronę Borealis ſemper pollicetur honores à magnatibus, & eorum familiaritates.

Ad lucidam in lance Auſtrali Libræ ad martialia propellit, nec abſque periculis, vel abundantia humoris cholerici.

Ad ſtellam nebuloſam in Orione affectus tribuit oculorum, & excalefacit cerebrum, & corpus.

Ad ſtellam in oculo Sagittarij nocet oculis, & capiti: Aliquando pericula adducit ex inimicis, vulnera, pericula ex animalibus; & cum ſit nebuloſa ſi Luna fuerit Apheta minatur materiam venenatam.

Ad ſpicam Virginis honores pollicetur, & diuitias præcipuè ex parte eccleſiaſtica, & religionis.

Ad lucidam Hydræ minatur pericula veneni; inclinat ad ſignificata Venerea;

Digitized by Google

rea; nocet fœminis Nati, eſt tamen propitia pro hæreditatibus licet non ſine difficultatibus.

Ad Pallilitium dat adminiſtrationes cum honoribus, & itineribus; ſemper tamen auget humorem cholericum.

Ad caudam Cygni inclinat ad Venerea, & voluptates, nec ſine aliqua diſplicentia; tribuitque animum duplicem.

Ad ſtellas in Serpentario minatur pericula materiæ venenatę, vel chronicæ ægritudinis.

Ad pedem ſiniſtrum Orionis, dat odia magnatum ſeniorum, nocet fœminis Nati, nec omnem tribuit optimam valetudinem.

Ad humerum dextrum Bootis dat pericula carceris, vel alterius infortunij, nocet fœminis, aliquando dat hæreditates ex mortuis.

Luna ad Pleiades accendit bilem, minatur periculum aliquod martiale, aliquando ex multitudine; inclinatque ad libidinem.

Ad Arcturum tribuit honores; ſed non ſine difficultatibus.

Ad ſtellam ſub genu Leonis, honores tribuit, adminiſtrationes, cum authoritate ſuper alios, & utilitate.

DIRECTIONES PARTIS FORTVNAE.
Cap. LV.

PArs fortunæ ad Saturnum eius quadratum, oppoſitum, Antiſcium, vel contra Antiſcium damna portendit in diuitijs, bonorum delapidationem, ex furtis, rapinis, inimicitijs, carceribus, vſuris, nauigationibus, & huiuſmodi de natura Saturni perſonis, & rebus.

Ad ſextiles, aut trinum Saturni vtilia promittit ex ſtabilibus, terræ fructibus, hæreditatibus, mortuis, ſenioribus, ædificijs, & ſimilibus.

Ad terminos Saturni damna etiam adducit, & difficultates.

Ad Iouem, eius ſextiles, trinum, vel Antiſcium diuitias pollicetur ex beneficijs eccleſiaſticis, donis, Principibus, Iudicibus, Iuriſconſultis eccleſiaſticis, in dignitate conſtitutis, & fortunam in omnibus.

Ad quadratum, oppoſitum, vel contra Antiſcium Iouis difficultates adducit in honoribus, diuitijs, & actionibus, odia Iouialium, diſplicentias, lites, damna cauſa religioſorum; ſed tandem cum exitu felici.

Ad terminos Iouis bona demonſtrat, licet minora, quàm in corpore, & aſpectibus beneficis dictis.

Pars fortunæ ad corpus, quadratum, oppoſitum, Antiſcium, Imperans, vel obediens Martis ex martialibus ſignificatis damna portendit; ex bello rixis, litibus, ludis, militibus, inimicitijs, furtis, equis, itineribus, delictis, carceribus, fiſco, & rebus, aut perſonis martialibus.

Ad ſextiles, vel trinum Martis vtilia præbet ex bello, armis, adminiſtrationibus, litibus, furtis, Equis, militibus, negotijs publicis, & itineribus, & his quæ ſupra diximus.

Ad Martis terminos damna affert ex ſupradictorum aliquo; licet debilius, nec magnifaciendum.

Pars fortunæ ad Solem, aut Antiſcium diſpendia decernit cauſa magnanimitatis, Principum, aut aliquando fiſci.

Ad quadratum, oppoſitum, & contra Antiſcium Solis detrimenta decernit ex litibus, perſequutionibus, calumnijs, querelis, indignatione Principis & ſimilibus.

Ad ſextiles, aut trinum Solis ex honoribus, dignitatibus, Principibus diuitias condonat.

Pars fortunæ ad Veneris corpus, Antiſcium, ſextiles, aut trinum, dat diuitias cauſa mulierum, amicorum, dote, donisq; & in his fortunam magnam præcipuè Venere benè affecta.

Ad quadratum, oppoſitum, & contra Antiſcium Veneris damna portendit ex mulieribus, meretricibus, luxu, voluptatibus omnis generis; ex rixis, aut Zelotypia cauſa mulierum, & ſimilibus.

Ad terminos Veneris vtilia ſemper demonſtrat præcipuè cauſa fœminarum, vel amicorum.

Pars fortunæ ad corpus Mercurij, Antiſcium, ſextiles, vel eius trinum, vtilia pollicetur ex opificio, actionibus, mercibus, ſcripturis, litibus, ſolertia, labore, ſeruis, fratribus minoribus, procuratoribus, artificibus.

Ad oppoſitum, quadratum, vel contra Antiſcium Mercurij; decernit mala in ſupradictis, ſcripturis, moneta adulterina, ludis, fœnore, & reliquis mercurialibus.

Ad Mercurij terminos bona, aut mala ſignificat pro ſtatu Mercurij benefico, vel malefico: ſed minora ſupradictis.

Pars fortunæ ad Lunam, eius Antiſcium, ſextiles, vel trinum pollicetur diuitias ex cauſa mulierum, itineribus, negotijs, plebe, populo, legationibus, honoribus, mercibus, nauigationibus, piſcinis, molendinis, & ſimilibus.

Ad oppoſitum, quadratum, Antiſcium, aut contra Antiſcium Lunæ mala & damna cauſa mulierum decernit, à plebe, mercibus, itineribus.

Pars fortunæ ad caput Draconis patrocinio Iouialium, vel Venereorum vtilia adducit, & propitia eſt directio.

Ad Caudam Draconis damna à martialibus, vel Saturninis minatur, furtis, rapinis, incendio, litibus, rixis, carceribus, perſequutionibus; & moleſtijs.

Pars fortunæ ad lineam Aſcendentis dat lucra, & diuitias ſuo labore, quibus natus erit deditus ad accumulandum illo anno.

Ad ſecundam præbet vtilia ex ſupellectibus, & diuitijs mobilibus, ac lucris.

Ad tertiam lucra ex patruis itineribus, conſanguineis, vel parte eccleſiaſtica.

Ad quartam ex ſtabilibus, antenatis dat diuitias; & Patri lucra, & optimam valetudinem.

Ad quintam fęlix tempus pro negotijs commiſſis, legationibus, voluptatibus, & filijs.

Ad ſextam tribuit bona ex ſeruis, animalibus, patruis.

Ad ſeptimam damna decernit ex litibus, inimicis, publicis, rixis, mulieribus & mala ex his.

Ad octauam dat diuitias ex hæreditatibus, & dote.

Ad nonam lucra ex itineribus, ſcientijs, vel parte Eccleſiaſtica.

Ad decimam vtilia ex honoribus tribuit, opificio, ex Principibus, actionibus.

Ad

Digitized by Google

Ad vndecimam bona tribuit ex amicis, ſtipendijs Principum, & rebus ſperatis.

Ad duodecimam bona ex animalibus magnis, carceratis, & huiuſmodi.

Quod intelligendum, ſi Parsfortunæ fuerit benè affecta in figura Cæleſti, ſin minus omnia ruent in contrarium, & malum.

Parsfortunæ ad Spicam Virginis diuitias impartitur; præcipuè ex parte Eccleſiaſtica, & honoribus.

Ad Cor Leonis ex honoribus dignitatibus, & Principibus præbet diuitias.

Ad lucidam in lance Auſtrali Libræ damna demonſtrat ex furtis, rapinis militibus, rebus Martialibus, rixis, igne.

Ad Pleiades, Pallilitium, & Cor Scorpij ſemper damna affert in diuitijs licet aliquando ex *M*artialibus, & adminiſtrationibus proficua.

Pars fortunæ ad reliquas ſtellas ſi quis diriget mala, vel vtilia ex qualitate Planetarum quorum fuerint naturæ (Vt ſi dirigatur, verbi gratia ad præcedentem in Cauda Cæti naturæ Veneris bona decernet cauſa fæminarum, vel amicorum) ſi ad Præcedentem in Tuba Cæti de natura Saturni bona, vel mala demonſtrabit ex Saturninis ſignificatis, ſtabilibus hæreditatibus, & alijs prout in figura cæleſti Saturnus fuerit malè, vel benè conſtitutus, & ſic in omnibus fixis obſeruandum.

Contendit Ptolemæus ex quinque Solis Hylegijs ſole nempe, Luna, Aſcendente, Medio Cæli, & Partefortunæ omnia, & ſingula accidentia poſſe demonſtrari in vita humana, diuitijs, honoribus, Parentibus, & reliquis; credimus ne multiplicaret entia; verùm experientia, & continuis obſeruationibus (pace tanti Viri) res ſe ſic non habet, cum plurima, & etiam inſignia tam fauſta, quàm improſpera colligimus ex directionibus aliorum quinque Planetarum Saturni, Iouis, *M*artis, Veneris, & *M*ercurij; quorum nec vmbratilis quidem cognitio ex dictis Hylegijs conſpicitur, & rationi etiam conſonū eſt; cum enim hi Planetæ in Metheorologicis ſint ſignificatores; ratio non conuincit cur eaſdem vires obtinere nequeant in Genethliacis. Nos ſumma felicitate ſemper eorum directiones in Genituris compilàuimus, ſicut etiam ſecundæ domus pro diuitijs, & ſi profeſſores aliarum domorum cuſpides dirigerent, nec ſpernenda reperirent.

Saturnus directione ad beneficos propitia decernit in ſuis ſignificatis in ſtabilibus, terræ fructibus, hæreditatibus, ex mortuis, fænore, nauigationibus, mercatura, ſenibus, anteriatis, fratribus maioribus, clauſtralibus, ſolitarijs, inuidis, lapicidis, figulis, Iudæis, carceratis, taciturnis, melancholicis, & reliquis de natura Saturni; & bona in Patre, præcipuè ſi fuerit Natiuitas nocturna. Ad maleficos mala in aliquo horum. Ad maleficos inſuper minatur periculu ægritudinis chronicæ, longæ, paſſionis melancholicæ, fluxionum humorum, frigidarum deſtillationum, dolorum, carcerum, moleſtiarum, difficultatum, caſus, pericula in aquis, & ſimile his aliquod.

Iuppiter ad beneficos ſignificat honores, dignitates, laudes, gloriam, Principum familiaritatem, virtutes morales, prudentiam, liberalitatem, iuſtitiam, inclinationem ad deuotionem, & has virtutes; diuitias, bona ex Eccleſiaſticis, Principibus, diuitibus, Præfectis, in dignitate conſtitutis: Corporis optimam valetudinem, & animi tranquillitatem. Ad maleficos remittit ſua ſignificata

 bene-

Digitized by Google

benefi[illegible] & diſplicentias aliquando adducit, difficultates, & oppoſitiones vel à magnatibus, vel Eccleſiaſticis, aut alijs, licet ſemper cum exitu honorifico; Inſuper adducit aliquando pericula ægritudinis ex ſuperfluo ſanguine, vt pleuritidem, inflammationem pulmonis, variolas, morbillos, & huiuſmodi.

Mars directione ad beneficos bona pollicetur ex perſonis Martialibus, & ſignificatis, vt bello, litibus, ludis, negotijs publicis, adminiſtrationibus, arte militari.

Ad maleficos mala: Ad maleficos minatur periculum ægritudinis calidæ ex humore cholerico, inflammationes, rixas, contentiones, lites, pericula Martialia, ex ferro, igne, animalibus, carceres, exilia, itinera moleſta, & ſimilia.

Sol ad beneficos (libuir hic replicare) decernit honores, exaltationem, dignitates; honores à Principibus, & ab his bona; corporis ſalubritatem, vitalis potentiæ robur; bona in Patre. Ad maleficos in aliquo ex his mala, difficultates, iram Principum, oppoſitiones in honoribus, dedecora, nec bona in vita, aut Patre.

Venus ad beneficos bona pollicetur in Matre, vxore, ſotoribus, filijs; dat amicitias, & conſuetudines cum mulieribus, luxum, amores, voluptates, iocos, tripudia, choreas, conuiuia, delitias, ornatum corporis, amicitias, aliquando nuptias. Ad maleficos in his diſplicentias, vel mala. Minatur ad maleficos dolores cholicos, Iliacos, ægritudines ex nimia humiditate, vel humorum corruptione, affectus in pudendis genitalibus, & huiuſmodi ex cauſa Venerea.

Mercurius ad beneficos decernit bona ex fratribus minoribus, ſeruis, facundia, ſcripturis, litibus, negotijs, opificio, mercibus, ex literatis artificibus, Procuratoribus, & huiuſmodi: ad maleficos mala

Luna ad beneficos bona adducit in animi, & corporis affectibus, ſalubritatem corporis, & animi tranguillitatem; voluptates, bona in vxore, Matre, fœminis, itineribus. Ad maleficos mala; & animum vel corpus moleſtat, & mala adducir, vel in vita vel fæminis, vel itineribus.

Domus ſecunda ad beneficos bona; ad maleficos mala decernit in diuitijs.

ISA-

ISAGOGE.

Mathematicas facultates, quas iudiciarias vocant, non inutiles, neque deſpiciendas eſſe ijs, puto, innotuit, qui rem cute interius examinarunt; Qui enim ipſas exploſerunt, neque tamen iniuriosè egerunt, cum non vt rem malam: ſed quæ nocere maxime poſſit imperitia tractantium, & credulorum cordium fide nimia, abdicarunt; Cautum ſiquidem Principum lege eſt, ne arma noxia, ne venena domi contineantur; cum venenorum uſus aquè iuuare, & armorum valeat, ſi vti cum temperamento, & ratione quis ſciuerit. Adducunt huius artis eliminatores futura noſci non poſſe Horatij teſtimonio

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetque, ſi mortalis vltra
Fas trepidat.

Et præterea, ſi certa ſit futuri diuinatio, otioſum eſſet, quid futurũ ſit, & miſerum quærere; cum de natur. Deor. lib. 3. dicat Cicero. Effugere enim nemo poteſt id, quod futurum eſt: ſæpè autem nec vtile quidem eſt ſcire, quod futurum ſit: miſerum enim eſt non proficientem angi; nec habere ne ſpei quidem extremum; nihil igitur iuuat, nec quicquam affert ad cauendum ſcire aliquid futurum, quod id certo futurum ſit. Quod cum non de prudentibus Aſtrologiæ profeſſoribus dictum appareat: ſed ijs quibuſdam, qui addicti arti, perſuaſionibuſque pleni, (vt de Tiberio ait Suetonius) omnia fato agi credunt; id retorquebimus, vt his paucis ad hunc libellum præmiſſis, ſacræ fidei cautela initiati ad rem accedamus propitius; nec mentis fluctuemus erroribus. Deum tempus futurum caliginoſa nocte premere æque cum Horatio, & aſſertoribus dicimus: cum reuera aliquid certò mortalibus ſcire haud contingat; cum ipſius Dei arbitrio, quæ coniectura nobis ſunt notiſſima, certaque, ignota fiant, & incerta. Cæterum quæ ſecundis cauſis ipſe tradidit temperanda ſcire homines, & neſcire patitur: ſibi dummodo clauus mutandi cuncta pro arbitrio non excutiatur. Ponit mala in ſyderibus, aut bona, vt inde hominum

num probetur in electione conſilium; fiatque euitati mali maioris meriti quiſpiam; aut prauiſo bono tamquam Equus ad meta ſignum ardore præmij magis inflammetur; quæ enim eſſet mens humana, ſi in facilitate rerum poſita vim ſuam neque per fortunæ, neque per periculorum ambages experiretur. Adtrahebant Sirenum cantus remigum aures, vt ſydera ſollicitant Natos, at Vliſſis prudentia fefellit inſidiantium inter periculum camenas; et ſic cum eius Socij in Circes hoſpitio indulgent, & brutorum metamorphoſi capiuntur, ipſe malefica deridens præſtigia è turpi ganeo tutus, impollutuſque diuertit. Neque ſcire (vt potius moraliter quàm verè dicebat Cicero) & noſcere futura miſerum eſt; cum ex pranotione naſcatur conſilium; vt ſi cui cadendum ſit, minus periculoſè decidat, ſi tempus ad præcauendum manibus, & ad ſuſtinendum magis in caſu corpus, librandumque habuerit. Nobis eſſe moriendum omnino ſcimus, quid? propterea an hoc miſerum? an id nos affligere, deijcereque animo debet? cum eò magis Philoſophi, virique prudentes, ne ignobiliter moriantur, perſuadentur? eſtque iuxta Platonem humanum viuere mortis, exituſque ab hoc caduco carcere meditatio? Quis tam vecors denique, tam à mente eſt alienus, vt ſi periculum immineat, nolit admoneri, Chriſtianorum præſertim, quibus purgandus animus anteà eſt, quàm moriatur, & quos imparatos occumbere inter teterrima genus mortis habetur. Si igitur aliquis futura, quæ prædicuntur non omnino credat: ſed ea Dei arbitrio poſſe tolli, aut mutari fateatur, ſi bona, quæ promittuntur ab Aſtris bonorum quoq; operum ſocietate adiuuet: ſi mala denique prudentiæ remigio tentet aufugere, neque ſyderalis ſcientia contemnenda, neque reſpuenda vix videbitur.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE REVOLVTIONIBVS. Cap. I.

REuolutio eſt Solis reditus ad idem fermè Zodiaci punctum, in quo conſtituebatur tempore alicuius euentus; quæ operatio obſeruatur, vel in annis Mundi cum Sol ingreditur in primum punctum ♈; vel in Natiuitatibus, dum redit ad illud zodiaci punctum in quo erat tempore Natiuitatis; de quo nobis ſermo inſtituendus eſt; Sub illo enim momento conſtruenda eſt figura cæleſtis quo anno libuerit poſt Natiuitatem, ex qua accidentia ſingula illo anno contingentia in vita, honoribus, diuitijs ſincerè indagantur.

Figura hæc reuolutionis à profeſſoribus duplici via conſtruitur; cum verò hæc ſit pars Mathematicæ, quæ conſtat ex veris, & in diuerſitate conſtructionis error aliquis magnifaciendus inoritur; regulam, qua utroq; modo componatur edocebimus.

Primo modo per tabulam reuolutionum, quæ in Ephemeridibus prodit ſub titulo Tychonica, cuius vſus hic eſt. Cognito Solis loco in ſignis, & gradibus tempore Natiuitatis, ingredienda eſt dicta Tabella cum annis completis, quibus reuolutio eſt conſtruenda; & è directo ſigni Solis in Natiuitate proportionaliter pro gradibus ſigni ſunt ſumendæ illæ horæ, & minuta notata; quæ addendæ ſunt horis poſt meridiem conſtitutis in figura Natiuitatis, & ſi aggregatum excellerit horas 24. demptis 24. cum reſiduis horis & minutis conſtruẽda eſt figura cæleſtis, non ſecus, ac obſeruatur in Natiuitate.

Exemplum. ſit Natiuitas anno 1623. die 16. Ianuarij hor. 15. min. 54. poſt merid. ſub altitud. Pol. gr. 45. conſtruenda ſit figura reuolutionis anno completo 29. & Ianuarij 1652. In tabella è directo annorum 29. ſub ♑, & proportionaliter grad. 26. 53^{l}. 17^{ll}. in quibus reperitur Sol in Natiuitate inter ſignum ♑ & ♒ venabimur hor 0. 49. quæ addita horis 15. 54^{l}. Natiuitatis, conſtituũt hor. 16. 43^{l}. ſub quibus figura conſtruenda venit; hinc cum horis 19. 56^{l}. correſpondentibus in tabula loco Solis gr. 26. 53^{l}. ♑ conſtituunt horas 36. 39^{l}. demptis 24. horis 12. 39. reſpondent in tabula domorum Pol. 45. gr. 11. circiter ſigni Libræ; quo reperto ſigna in alijs domibus collocanda, & Planetæ ſolito more.


Secundus modus exactior ſine errore, & à rationalibus ſequendus, anno & die, qua reuolutio eſt conſtruenda ex ephemeridibus conſpiciendum, quot minutis, & ſecundis diſtet locus Solis à poſito in Natiuitate, & notandus eſt eadie motus diurnus Solis. Deinde in tabella motus horarij proportionalis Solis, reperto in ſumitate horario motu; & è directo differentia minutorum & ſecundorum inter locum Natiuitatis, & repertum in Ephemeride, à latere multiplici ingreſſu ſi fuerit opus, reperientur horæ & minuta poſt meridiem, quibus ea die Sol redit ad idem punctum Natiuitatis.

Exemplum. Anno 1652. die prædicto 16. Ianuarij Sol reperitur in gr. 26. 9^{l}. 34^{ll}. ♑ diſtat à loco in Natiuitate ideſt gr. 26. 53^{l}. 17^{ll}. minutis 43^{l}. 43^{ll}. Mo-

tus

Digitized by Google

tus diurnus Solis die 16. Ianuarij illius anni eſt gr. 1. 1'. 10''. In tabula horarij motus Solis minuta 43, & ſecunda 43. dant à latere h. 17. 9'. Et loco gr. 26. 53'. in tabella domorum reſpondent h. 19. 56'. ſimul erunt hor. 37. 5'. Ablatis 24. remanet hor. 13. 5'. quibus reſpondet in Medio Cæli gr. 17. 38'. ♎ cum alio modo ſuperius reſpondeant gr. 11. ♎. Videant igitur profeſſores quantum interſit hanc ſcientiam nobiliſſimam rationabiliter tractare. Figura hæc eſt huius reuolutionis.



Remanet aliud dubium in conſtituendo loco Partis fortunæ, quam multi ex antiquioribus extrahunt a diſtantia Solis à Luna in figura Natiuitatis, & proijciunt ab Aſcendente reuolutionis, & in hac reuolutione hoc pacto.

Locus Solis in Natiuitate eſt gr. 26. 53'. ♑. Lunæ gr. 2. 9'. ♌ diſtantia eſt ſign. 6. grad. 5. m. 16. quæ numerata ab Aſcendente reuolutionis gr. 21. 34'. ♐. Pars fortunę eſſet in gr. 26. 50'. Geminorum. Videant nunc Mathematici ſi in figura appoſita Horizon Lunæ quod eſt idem, ac Pars fortunæ eſt in Geminis, an in Piſcibus. Nos rationalem modum nunquam deſeruimus, & cum obſeruationibus congruentem in ſucceſſibus, ſumendo diſtantiam Solis à Luna ex Reuolutione, non Natiuitate, quicquid antiquiores fabulentur.

Conſtructa figura reuolutionis cum illa radicis, ſeu Natiuitatis comparanda,

da, & proferenda circa eam iudicium non ſecus ac in Natiuitate; quemadmodum enim in Natiuitate præſagiuntur accidentia, quæ contingent in totius vitæ curriculo,ſic ex reuolutione ſingula quæ in vno anno accidere poterunt;eſtque reuolutio ferè Natiuitas vnius anni.

In reuolutionis prognoſtico omnes ſignificatores conſiderandi ſunt non ſecus ac in Natiuitate pro his, quæ poterunt contingere illo anno.

Aſcendens pro corporis affectionibus; Luna pro his, & affectibus animi, & fœminis. Sol pro vitali potentia, & honoribus; Pars fortunæ pro diuitijs; Medium Cæli pro actionibus, opificio, honoribus, amicitijs Matre; & pro eorum decretis fauſtis, aut infauſtis prout benè, aut malè fuerint conſtituti iudicium afferendum; conſiderando eorum profectiones, directiones, quæ in illo contingent anno, & tranſitus.

Eodem modo generalitates omnes, quæ vſurpantur in iudicio Natiuitatis; in reuolutione etiam ſunt obſeruandæ. Vt conſtitutio Planetarum in domibus Cæleſtibus, conſtitutiones domini Aſcendentis, & aliarum domorum in alijs domibus;coniũctiones,oppoſitiones,& radij Planetarum inter ſe, vel cum alijs; defluxus Lunæ;& ſingula non ſecus ac ſi eſſet iudicanda Natiuitas;aliqua enim habentur ex reuolutionibus quorum nec vmbra quidem habet ex figura Natiuitatis illo anno. Nunc verò primò ingreſſus Planetarum ad loca propria, vel aliorum cum ſignificatis obſeruatis ab antiquioribus,& à nobis repertis congruis conſideremus.

DE INGRESSIBVS PLANETARVM IN REVOlutione ad loca propria in Natiuitate, vel aliorum. Cap. II.

SAturnus in reuolutionis figura cæleſti ad locum, in quo fuerat in radice,ſeu Natiuitate benè conſtitutus, vt orientalis, in angulo, aut ſuccedente, in aliqua ex ſuis dignitatibus, in Apogeo, cum aliquo aſpectu beneficorum, liber à combuſtione,& noxa Martis (quæ intelligantur cum Planetas alios benè affectos, & conſtitutos vocamus) renouat ſua ſignificata benefica,quæ demonſtrauerat in radice, & etiam accreſcit; decernit bona in ſuis ſignificatis, vel in illorum aliquo, vt ſtabilibus, terræ fructibus, hæreditatibus, mortuis, Patre;& eſt fauſtus etiam ratione domus,in qua fuerat conſtitutus, vt in Medio Cæli ex actionibus, honoribus, Principibus, & ſignificatis à Medio Cæli; in ſeptima ex mulieribus, litibus, & ſignificatis ſeptimæ domus, ſicque in alijs domicilijs pro ratione earum ſignificationum; quæ (ne eadem ſæpius repetamus, militant ratione domorum circa proſpera, vel infauſta in alijs Planetis. Malè affectus Saturnus, vt occidentalis, peregrinus, combuſtus, in cadentibus, in Perigeo, afflictus, ſine auxilio beneficorum, in ſupra dictis contraria minatur, corpuſque vel animum turbat humore melancholico, omniaque difficultat, vel impedit. Cæterum potens Saturnus in Aſcendente, vel loco Lunæ laborioſam vitam ſemper portendit intentam curis, ſtabilibus, hæreditatibus, opibus cumulandis, & ſimilibus.

Saturnus ad locum Iouis in Natiuitate propiria in ſuis ſignificatis pollicetur, quem admodum magnatum familiaritates, proficuaque ex amicis ob Iouis beneficen-

neficentiam, ſi Saturnus fuerit potens in Natiuitate, aut reuolutione, vt dominus Aſcendentis Medij Cæli, aut Partis fortunæ; E contra non potens in illis locis, vel malè affectus nocuus erit in ſuis ſignificatis, contrarietates afferet in actionibus, diſcordias cum amicis, difficultates, & diſpendia.

Saturnus ad locum Martis benè affectus oſtendit bona à fratribus, & amicis, cum illis ſuauia commercia; verùm Mars tribuit Nato iracundiam, & rapacitatem; Si fuerit Saturnus malè conſtitutus adducit oppoſitiones, contrarietates, anxietates; contentiones cum fratribus, & amicis, difficultates in negotijs, & actionibus, & aliquid ſpernendum in corpore, & vita.

Saturnus ad locum Solis difficultat honores, & actiones, ſicut fortunam cum Magnatibus, & impedimenta adducit, ſic nec propitia Patri, & etiam potentiæ vitali ſignificatis à Sole; ſecundum aliquos minatur mortem alicuius mulieris; quod qua ratione dictum adhuc non didicimus.

Saturnus ad locum Veneris improſpera affert Matri, vxori, fæminis, impedimenta in Matrimonio, ſi adfuerit tractatus, refrenationem, & impotentiam coitus: aliquando diſplicentias, aut infamiam ex Venereis, præcipuè ſi Natus fuerit ætate prouectus, aut ſenex.

Saturnus ad locum Mercurij acutum, & induſtrium affert illo anno ingenium; parum tamen eſt fauſtus pro opificio, ſcripturis, litibus, adminiſtrationibus, ſeruis, furtis; & aliquando cerebri parit affectus, & melancholiam.

Saturnus ad locum Lunæ infauſtat Lunæ ſignificata corporis, & animi affectiones, & mulieres, excitat fluxiones humorum à capite, dolores, vel aliud in complexione, minatur caſum, vel periculum in aquis; mala in Matre, vxore, fæminis, vel ſaltem ex cauſa fæminarum diſplicentias.

INGRESSVS IOVIS. Cap. III.

IVppiter ad locũ Saturni in natiuitate; ſi hi Planetæ fuerint benè affecti, reconciliationem demonſtrat, & pacem cum inimicis, & bona ab amicis; ſic bonum ſtatum Patris, fortunam in actionibus, ſtabilitatem, & ampliationem in honoribus, quos Natus poſſidet; verùm Natum decernit ſolito tenaciorem, & auarum; ſi Saturnus, & Iuppiter fuerint malè diſpoſiti difficultates, & impedimenta tribuunt.

Iuppiter ad locum ſuum in Natiuitate perfectionem eorum decernit, quorum aderat ſignificatio in radice; tribuit Magnatum amicitias, honores, propitia in filijs, & diuitias, etiam ex parte, ex qua non ſperabat.

Iuppiter ad locum Martis benè conſtitutus fortunam pollicetur cum Principibus, & Martialibus, bona in fratribus, vel alijs loco fratrum, adminiſtrationes, negotia publica, propitia in itineribus, ludis, litibus; Si malè affectus minatur diſſenſiones, contrarietates, lites, damna, & diſpendia.

Iuppiter ad locum Solis tribuit honores, & Principum familiaritatem: Combuſtus tamen eſt pro vita infauſtus, & quouſque eo anno fuerit ſub radijs.

Iuppiter ad locum Veneris demoſtrat voluptates, laudes, gloriam, gaudia, famam optimam, & negotia, tractatuſque cum mulieribus, fauetque ſignificationi filiorum.

Iuppiter ad locum Mercurij reddit Natum prudentem, ſagacem in negotijs,

tijs,

tijs, bona in actionibus, expertum, intellectus acuti, & ob id honores & in exiſtimatione apud alios conſtituendum.

Iuppiter ad locum Lunæ, animi, & corporis præbet tranquillitatem fauetque honoribus, filijs, & mulieribus.

Iuppiter ad locum Capitis Draconis fauſta adducet in honoribus, diuitijs; & Principum familiaritatibus.

Iuppiter ad Caudam Draconis contrarietates adducet, & difficultates.

DE MARTE. Cap. IV.

MArs ad locum Saturni reddit Natum pigrum, tardum; & impedimenta decernit in negotijs, tractatibus, adminiſtrationibus, & reliquis ſignificatis a Marte. Si Mars fuerit potens in anno breuia affert itinera, & amicorum multiplicationem, ſicut aliquando fratrum. Si fuerit potens in anno Saturnus nocet aliquo pacto in complexione, & corpore: & ſi Saturnus fuerit in loco radicali Martis tribuit inimicos, itinera coacta, vel aliud infortunium.

Mars ad locum Iouis ſua ſignificata illuſtrat, adminiſtrationes, negotia publica, itinera, & ex his diuitias impartitur, & fortunam, præcipuè ſi in Natiuitate aliqua adfuerit benefica ſignificatio; amicitias magnatum conciliat, & in Nato decernit omnium in melius mutationem.

Mars ad locum proprium renouat ſignificationem eorum, quæ decernebat in radice; fauſtat omnia ſignificata Martialia, negotia publica, adminiſtrationes, lites, ludos præcipuè bene affectus, & contentiones.

Mars ad locum Solis tribuit diſplicentias a magnatibus; minaturque motus parùm fauſtos, labores, mœrores, triſtitias, & non omnem optimam valetudinem.

Mars ad locum Veneris, implicat Natum Venereis voluptatibus, aliquando cum ſuſpitione ægritudinis ex Venerea lue, in pudendis, genitalibus; vel affectiones ex nimia repletione cibi, & potus; & nocet fœminis Nati.

Mars ad locum Mercurij reddit Natum plurimum intentum Mercurialibus, artibus, opificio, mercibus, & huiuſmodi; verùm mendacem, & deceptorem; minaturque furta, diſplicentias à ſeruis; & vel Nato, vel fratribus aliquid infauſtum.

Mars ad locum Lunæ inclinat ad itinera, & in illis tribuit implicationes; quemadmodum in negotijs publicis, adminiſtrationibus, vel negotijs fœminarum.

Mars ad Caput Draconis fauſtat ſignificata Martialia, adminiſtrationes, publica negotia, lites, ludos, & ſimilia.

Ad Caudam Draconis mala in aliquo ſignificato ex dictis decernit.

DE SOLE. Cap. V.

SOl ad locum ſuum, ſi in radice fuerit in Ariete, contendunt antiquiores decernere itinera fortunata, & bene affectus etiam honores, & amicitias Magnatum; ſicut male conſtitutus afferat diſplicentias, nec itinera omnino cum fortuna.

Sol in Tauro fortunatus vtilia præbet ex negotijs, & tractatibus cum Principibus

pibus malè conſtitutus in illis difficultates, & parua vtilia.

Sol in Geminis fortunatus diuitias elargitur, ſi fuerit præcipuè ſupra terram, & ſecundùm aliquos prolem. Infortunatus affert impedimenta, grauamina, difficultates, & animi pathemata.

Sol in Cancro ſub terra odia minatur, inimicos ex his mala, difficultates, & diſplicentias. Super terram fauſtus eſt, & mala omnia euaneſcunt.

Sol in Leone potens optimam decernit valetudinem, honores, amicitias Magnatum, diuitias. Malè affectus aliquando non eamdem optimam valetudinem.

In Virgine benè affectus, & cum radio Aſcendentis Natum reddit intentum diuitijs, ſcientijs, & reliquis Mercurialibus, & cum fortuna. Malè affectus decernit Natum multa tractantem, nec intentum conſequentem, & cupita.

Sol in Libra honorifica preſtat itinera, diuitias, & honores, ſi fuerit cum Ioue, aut Venere, aut eorum radijs beneficis; E contra decernit, ſi fuerit afflictus à maleficis.

Sol in Scorpione, ſi fuerit fortunatus, & præcipuè in angulo honores, & diuitias decernit ex Principibus, & bona adducit Patri.

Sol in Sagittario benè affectus dat lætitias gaudia, animi tranquillitatem. Infortunatus triſtitias, afflictiones, diſplicentias.

Sol in Capricorno non decernit omnem optimam valetudinem præcipuè malè affectus, ſicut difficultates, infortunia, nec propitia in honoribus.

Sol in Aquario pollicetur amorem conſanguineorum, multiplicationem amicorum, honores cum authoritate ſuper alios benè affectus; eſtque propitius pro coniugio; malè affectus omnia minuuntur.

Sol in Piſcibus tribuit ſollicitudines, difficultates, implicationes.

DE VENERE. Cap. VI.

VEnus benè affecta ad locum Saturni magnum voluptatum affert deſiderium; ſi fuerit malè affecta vitia adducit circa libidinem, ob quam viliſpendia, & dedecora; nocet fœminis, & earum cauſa tribuit damna, & implicationes.

Venus ad locum Iouis Nati amorem decernit ad res pulchras, delitias, & voluptates, hilaritatem ex ſuis diuitijs; Principum intimam familiaritatem, ac matronarum affert, ſicut itinera placida, aut cauſa deuotionis: aliquando tamen, ſi vnus eorum eſt potens in Aſcendente, vel ſexta, minatur affectus gulæ ex inflammatione.

Venus ad locum Martis reddit natum ſalacem, & nimis Venereis procliuem; ſicut mulierum voluntati obſequentem: tribuit lætitias, gaudia, amores, voluptates, venationes, optata à mulieribus; nocet tamen Matri, vxori, & fœminis Nati.

Venus ad locum Solis dat laudes, gloriam, ornamenta, delitias, gratiam apud Magnates, diuitias, ſi fuerit fortunata. Infortunata nocet fœminis, & affert triſtitias, & timores odij Magnatum.

Venus ad locum proprium renouat quæ decernebat in Natiuitate: tribuit laudes, gloriam, voluptates, gaudia, amicitias, animi tranquillitatem, & corporis

poris ſalubritatem præcipuè benè conſtituta, & fauet honoribus, & fœminis; ſicut filijs.

Venus ad locum Mercurij amicitias tribuit cum Muſicis, & artificibus voluptuoſis; & honores, & vtilia ex eloquentia, & ſcientijs.

Venus ad locum Lunæ amicitias conciliat Magnatum, & nobilium fœminarum præcipuè, amores conſanguineorum; tribuit negotia plurima, præcipuè muliebria, & itinera placida.

Venus ad Capitis Draconis locum gaudia, voluptates, laudes, amicitias, fauſta in ſuis ſignificatis omnibus.

Venus ad Caudæ Draconis locum diſplicentias, & mala tribuit ex voluptatibus, & in fœminis Nati.

DE MERCVRIO. Cap. VII.

MErcurius ad locum Saturni inclinat ad Saturnina ſignificata, negotia ſtabilium, hæreditatum, ædificiorum, cumulationis rei, diuitiarum; & ad itinera honorifica, & proficua ſi Mercurius fuerit potens in figura reuolutionis, & Natiuitatis; ſi fuerit potens Saturnus producit in animum Nati inuidiam, perfidiam, deceptiones, direptiones, & malos mores; minaturque difficultates & afflictiones in negotijs, mala à ſeruis, furtis, & aliquando mortem, vel alia mala in filijs.

Mercurius ad locum Iouis dat augmentum ſcientiarum, honores in opificio, aliquando officium, adminiſtrationes cum honore; negotia cum diuitijs, & honore; ſi Mercurius, & Iuppiter tamen fuerint impediti, difficultates adducent in negotijs, & actionibus, & damna ex eiſdem negotijs, ſcripturis, litibus, Aduocatis, Iudicibus, & Iouialibus; rixaſque, & contentiones cum inimicis.

Mercurius ad locum Martis malos animi tribuit mores; inclinat ad ſcripturas falſas, falſas aleas, furta, mendacia, rapinas, falſitates; ſicut ad itineta, venationes, rixas in ludis, & ſimilia Martialia; dat damna ex rixis, vel litibus. Si hoc modo ad locum Martis Mercurius fuerit potens in Aſcendente, & cum Lunæ complicatione pericula affert violentiæ, & extra patriam.

Mercurius ad locum Solis, ſi hi Planetæ fuerint benè collocati portendent honores, gloriam, & propitia admodum in actionibus, præcipuè in Medio Cæli; bona etiam pollicetur ex ſeruis, & familia.

Mercurius ad locum Veneris inclinat ad eloquentiam, poeſim, & ſimilia; ſic ad ſolatia, lętitias, voluptates, ornamenta veſtium, & aliorum, & ad induſtriam, vt Natus ſatisfaciat mulieribus.

Mercurius ad locum Proprium bona ſemper adducit in ſuis ſignificatis, opificio, mercibus, ſcripturis, ſcientijs, ſeruis, fratribus minoribus, litibus, negotijs, ſi fuerit benè affectus. Malè autem conſtitutus dat difficultates, & diſplicentias.

Mercurius ad locum Lunæ inclinat ad itinera, & ſæpè cum contentionibus, vel periculis. Benè affectus plures amicos, & itinera decernit; Malè affecta Luna dat negotia mulierum, & amicorum, itinera; ſed non cum omni fortuna.

Mercurius ad Caput Draconis bona decernit in opificio, & ſignificatis à Mercurio, laudes, honores, aliquando officium, & vtilia.

Digitized by Google

Mercurius ad Caudæ Draconis locum mala demonſtrat in ſuis ſignificatis, difficultates, oppoſitiones, contentiones, depoſitionem ab officio, & ſimilia.

DE LVNA. Cap. VIII.

Vna ingreſſa locum Saturni adducit mæſtitias, timores, animi pathemata, corporis non optimam valetudinem, pericula Caſus in aquis, carceris, & ſimilis infortunij; varia impedimenta in actionibus, & difficultates, implicationes, infortunia ex partibus incogitatis, itinera infauſta, & ſimilia, ſi adfuerint ſignificationes in Natiuitate, aut reuolutione, ſemper tamen, quomodocumque contingat, afferet Luna mala in corporis, vel animi affectibus.

Luna ad locum Iouis pollicetur animi, & corporis tranquillitatem, itinera, ſi ineantur fauſta, amicitias magnatum, ab his honores, & laudem, augmentum diuitiarum. Si Luna fuerit in bona conſtitutione. In mala adducit aliquando lites, controuerſias, diſpendia, aliquid in corpore ex hepatis caliditate; quamuis in his finem bonum.

Luna ad locum Martis potentis, corpus, vel animum turbat qualitate Martiali, accendit bilem; dat rixas, calumnias, vel pericula Martialia ex igne, animalibus, carceris, itineris infortunati, aut coacti, Inſuper tolerantiam laborum, authoritatem, ex qua multi timebunt, amicitias Martialium. Martiales propenſiones. Si adfuerit eo anno directio infauſta Aſcendentis, vel luminarium, pericula afferet etiam non ſpernenda.

Luna ad locum Solis diſplicentias minatur à Potentibus, & in dignitate conſtitutis, parum fauſta pro corporis conſtitutione, & fæminis Nati, atque Parentibus; ſi Sol fuerit optimè conſtitutus pollicetur honores, & dignitatem cum adminiſtratione.

Luna ad locum Veneris bona demonſtrat ex conſanguineis, voluptates, negotia mulierum, propter voluptates diſplicentias, vel mala in complexione. Venus potens libera à maleficis tribuit honores, laudes, & bona, etiam in fœminis.

Luna ad locum Mercurij inclinat ad itinera. Si Mercurius fuerit benè affectus honores, & vtilia decernet ex actionibus, negotijs, opificio, mercibus, & reliquis Mercurialibus. Mercurius malè poſitus dat itinera damnoſa, in illis diſplicentias, & aliquando mala ab inimicis; & in actionibus parum fortunæ.

Luna ad locum proprium in angulo in aſpectu beneficorum corporis decernit valetudinem bonam, itinera propitia, honores, & vitę ſtatum laudabilem.

Luna ad locum Capitis Draconis fouet vitam, & honores, & fæminas.

E contra Luna ad locum Caudæ; cum vel corpus aliquo affectu moleſtet, vel moleſtias adducit; vel nocet fæminis.

DE PROFECTIONIBVS. Cap. IX.

Dmiratione ſemper affecti fuimus, primarios Antiquiores Aſtrologiæ profeſſores tantùm exiſtimaſſe profectiones, præcipuè in Mundi annorum reuolutionibus. verum principium limites à Mundi principe inaſſitum etiam plurimum magnifacerent in Natiuitatibus, & earum conuerſionibus;

nam

nam præter quam quod ex Ptolemæo ſint minimæ inter alias temporum diuiſiones; experientia eorum tam magnifica aſſignata non congruunt cum effectibus; ſi enim profeſſores in Natiuitatibus eas obſeruent, plurimas euaneſcere experiemur: cum rarò pariant effectus, niſi in earum ſignificationibus tunc etiam temporis affuerint aliqua ſignificata directionum. Poſuimus in hoc libello, ne alijs videamur contradicere, cum ad libitum illis profeſſores poſſent vti etiam in Natiuitatibus; & cum aliquando etiam effectus producant, non ſit error obſeruare, quamuis parui roboris.

DE PROFECTIONIBVS SATVRNI. Cap. X.

SAturnus profectione ad ſuum locum in reuolutione, in quo eodem erat in Natiuitate decernit otia, inertiã, mœrores, triſtitias, animi pathemata, difficultates, vexationes, & impedimenta in actionibus, odia, inimicitias, diſplicentias à Magnatibus, damna in ſuis ſignificatis, ſi in Natiuitate non fuerit optime conſtitutus. Quod ſi in reuolutione, vel Natiuitate fuerit afflictus à Martis corpore, vel radijs maleficis, vel à Mercurio, lites, calumnias, contentiones adducet cauſa ſtabilium, hæreditatum, mortuorum, vel rerum antiquarum; ſicut iacturas, diſpendia, accuſationes & ſimilia; Eadem decernet Saturnus licet minora, ſi proficiſcatur ad ſuum Antiſcium, Contra Antiſcium, radios quadratos, aut oppoſitos ratione loci, in quo erat in Natiuitate; profectione verò ad ſextiles, vel trinos non erunt infauſti. Si Saturnus fuerit benefortunatus in Natiuitate profectione ad locum dictum, eiuſque Antiſcium, radios ſextiles, aut trinos bona decernet, quæ ſignificauerat in radice, & Natiuitate, & proficua in ſtabilibus, & alijs ſuis ſignificatis, ſecus profectione ad ſuum contra Antiſcium quadrata, aut oppoſita.

Saturnus ad locum radicis Iouis, vel Iouis Antiſcium, ſeu ſextiles, aut trinos radios (licet minora, quàm ad corpus, quod ſemper in alijs intelligimus) fauorabilia adducet in hæreditatibus, ſtabilibus, contra Rationibus, mercatura, mortuis, lucris ab insperato: ſi proficiſcatur ad quadrata, oppoſitum, vel Contra Antiſcium Iouis, omnia erunt cum difficultatibus. Si Mercurius in reuolutione fuerit in oppoſito, aut quadrato Iouis, aut Saturni, afferet lites, contrarietates, damna in aliquo ex prædictis ſignificatis.

Saturnus ad locum Martis, vel Martis Antiſcium, Contra Antiſcium, radios quadratos, aut oppoſitos annum parum fauſtum decernit; minatur non omnem corporis optimam valetudinem, animi afflictiones, lites, contentiones, contrarietates, inuidias, turbationes, ſeditiones, odia Magnatum, inimicitias, itinera infauſta, timores, mala in Patre, ſeruis, periculum mortis conſanguinei, damna in rebus hæreditarijs, ſtabilibus, & aliquo ex ſignificatis à Saturno. Profectiones ad ſextiles, aut trinos radios Martis non ſunt damnati.

Saturnus ad locum Solis, oppoſitum, aut quadrata, ſuſcitat lites, labores, moleſtias, damna; Capitis, vel ſtomachi affectiones, nec propitia. Ad ſextiles, aut trinos Solis ad multa Saturnus erit fauſtus, & etiam ad honores.

Saturnus ad locum Veneris, Antiſcium, & radios, mala demonſtrat in fæ-

O 2 minis

minis, vel earum cauſa; lites, rixas cum vxore, vel fæminis; vitia libidinis, dolores cholicos, Iliacos, vel huiuſmodi, pericula veneni, ſi adfuerit in Natiuitate aliqua ſignificatio.

Saturnus ad locum Mercurij, vel Antiſcium, Contra Antiſcium, quadrata, vel oppoſitum, actiones impedit, tribuit inimicitias, damna, furta; mala à ſeruis, ſcripturis, fideiuſſionibus, rebus ſecretis; verùm Natum reddit calidum, ſagacem, prudentem.

Saturnus ad locum Lunæ, vel Antiſcium, & radios maleficos, dat negotiorum turbationes, impedimenta in negotijs, timores, calumnias, animi afflictiones, pericula frigidæ ægritudinis, caſus in aquis, affectus oculorum, veſicæ, neruorum, & nocet Matri, vxori, & fæminis Nati.

Saturnus ad locum Capitis Draconis propitiat aliquo pacto ſua ſignificata.

Saturnus ad locum Caudæ Draconis decernit infauſta, damna, aliquando pericula caſus.

Saturnus ad locum Partis fortunæ, benè conſtitutus vtilia pollicetur ex ſuis ſignificatis; male affectus damna, & difficultates.

DE PROFECTIONIBVS IOVIS. Cap. XI.

IVppiter ad locum Saturni in Natiuitate, eius Antiſcium, quadrata, oppoſitum, vel Contra Antiſcium, itinera ſignificat infauſta, moleſtias à domeſticis, ſeruis, odia, inimicitias cum affinibus, amicitias inſtabiles; parum fauſta in honoribus, & diuitijs, difficultates; reddit tamen Natum prudentem, conſultum, licet tardum, & pigrum in omnibus.

Iuppiter ad locum proprium (ſuum Antiſcium, ſextiles, vel trinos, inclinat ad deuotionem, pietatem, virtutes morales, eccleſiaſtica, & religionis; Bona pollicetur à Potentibus, & amicis; corporis optimam valetudinem, animi tranquillitatem; negotiorum inceptorum perfectionem, laudes, honores; felicitat aliquando ſignificata filiorum. Verùm, ſi tunc temporis Sol fuerit afflictus à Marte, vel Saturno, adducit implicationes, difficultates, & contrarietates.

Iuppiter ad locum Martis, Antiſcium, Contra Antiſcium, quadrata, oppoſitum; diſplicentias, calumnias, proditiones, & damna minatur à Potentibus; dat itinera, aliquando non optimam valetudinem. Si Mars, & Iuppiter fuerint in Natiuitate benè diſpoſiti, honores, & adminiſtrationes honorificas decernet Iuppiter, & cum diuitijs profectione ad corpus, ſextiles, trinum, aut Antiſcium Martis.

Iuppiter ad locum Solis, Antiſcium, ſextiles, vel trinos fauſta decernit; honores, laudes; Principum familiaritates; corporis ſalubritatem, dignitates, gloriam, diuitias, proficua in Patre: Secus profectione ad Contra Antiſcium, quadrata, & oppoſitionem Solis, nam affert difficultates.

Iuppiter ad locum Veneris, Antiſcium, ſextiles, trinos; inclinat maximè ad delitias, & voluptates; pollicetur honores, Præfecturas, authoritatem, bona ab eccleſiaſticis, fæminis, & amicis, fauetque ſignificatis vxoris, & filiorum.

Iuppiter ad locum Mercurij, Antiſcium, ſextiles, trinos, honores, laudes, vtilia præbet ex actionibus, opificio, ſcripturis, negotijs, litibus; negotiorum perfectionem, & bona in reliquis Mercurialibus. Si Mercurius, vel Iuppiter

piter

Digitized by Google

piter fuerint malè affecti minantur accuſationes, contentiones, difficultates, lites; quæ etiam parit Iuppiter profectione ad Contra Antiſcium, quadrata, vel oppoſitum Mercurij.

Iuppiter ad Lunam animum tranquillat, & dat ſalubritatem corporis, ſicut honores, officium, diuitias, dona à Principibus, bona in Matre, vxore, fæminis, fortunam in procreatione filiorum; Eadem decernit profectione ad Antiſcium, ſextiles, & trinos Lunæ; minora ad Contra Antiſcium; quadrata, & oppoſitionem.

Iuppiter ad Caput Draconis in Natiuitate fauet honoribus, diuitijs, & ſignificatis eccleſiaſticis.

Iuppiter ad locum Caudæ Draconis difficultates, & diſplicentias adducit in diuitijs, & honoribus.

Iuppiter ad locum Partis fortunæ vtilia impartitur, & aliquando non ſperata.

DE PROFECTIONIBVS MARTIS.
Cap. XII.

Mars ad locum Saturni, Antiſcium, contra Antiſcium, quadrata, oppoſitionem, lites ſuſcitat, & contentiones cum Saturninis, turbulentias, diſplicentias cauſa fratrum, aut propinquorum; itinera tribuit infauſta, damnoſa, inimicitias, ex quibus damna, & pericula ex ſeditionibus; mala animi, & corporis ſicut in Patre, & annū turbulentum, & inſalubrem parat; ad ſextiles, & trinos potius fauſta decernit.

Mars ad Iouem, eius Antiſcium, ſextiles, trinum tribuit perfectionem rerum ſperatarum, laudes, adminiſtrationes cum honoribus, & diuitijs; augmentum in ſtatu dignitatis, ſi Mars, & Iuppiter fuerint benè diſpoſiti in Natiuitate, & reuolutione. Sic ad quadratum, oppoſitum, vel contra Antiſcium difficultates pariet, oppoſitiones, contentiones, vel lites.

Mars ad locum proprium in genitura diurna inimicitias decernit, calumnias, damna in ſignificatis Martialibus, negotijs, & rebus publicis, a perſonis Martialibus; ſic profectione ad quadrata, oppoſitum, Antiſcium, & contra Antiſcium.

Mars in genitura nocturna potens ad ſuum locum, aut ſextiles, trinum, Antiſcium reddit Natum intentum Martialibus ſignificatis cum honore, & diuitijs; adminiſtrationibus, rebus publicis cum honoribus.

Mars ad locum Solis, quadrata, Antiſcium, contra Antiſcium, vel oppoſitionem, vel ægritudinem parat, vel aliquod periculum martiale, in itineribus, & rixis, inimicis, animalibus. Si Mars benè diſpoſitus proficiſcatur ad ſextiles, trinos, corpus aut Antiſcium Solis decernit honores, laudes, gloriam; licet ob qualitates Martis non ſine difficultatibus, & impedimentis aliquibus.

Mars ad Veneris locum, & radios dat mala in matre, vxore, fæminis, odia, & inimicitias fæminarum, vel earum cauſa; ſeditiones domeſticorum, amicitias inſtabiles, luxus, Venerea. Malè affecti dant pericula ægritudinis ex cauſa Venerea, vel repletione, & diſplicentias ob mulierum commercium.

O 3 Mars

Digitized by Google

Mars ad locum Mercurij, ſicut Antiſcium, & radios damna affert ex ſcripturis actionibus, mercibus, litibus, depoſitis, debitis. Malè affecti Mercurius, & Mars dant rixas, contentiones, mala à ſeruis, furta, querelas criminales.

Mars ad locum Lunæ, & radios dat lites, contentiones, ſeditiones, timores, inſidias ab inimicis, itinera infauſta, coacta, turbationes populares, mala in Matre, vxore, ab ipſa ſeparationem, vel amica, ægritudinem, affectus oculorum, pericula martialia, igne, ferro, animalibus præcipuè ſi Luna, & Mars fuerint malè affecti. Benè affecti cum aſpectu beneficorum actiones fauſtas decernent & ſingula ſortitura bonum finem. In Genituris fœminarum hæc profectio eſt nocua in partu, & ægritudinibus muliebribus, vel ſignificatis Martialibus vt igne, ferro, ægritudine biliosa.

Mars ad locum Capitis Draconis fauſtus eſt pro ſignificatis Martialibus.

Mars ad locum Caudæ Draconis ſpernendum decernit vel in animo, vel corpore.

Mars ad locum Partis fortunæ prout Mars fuerit benè diſpoſitus diuitias demonſtrat ex Martialibus negotijs, adminiſtrationibus; malè damna, & diſpendia.

DE PROFECTIONES SOLIS.
Cap. XIII.

SOl profectione ad locum Saturni, eius Antiſcium, contra Antiſcium quadrata, aut oppoſitum annum malum denunciat, ſignificat moleſtias, inimicitias, turbationes à Potentibus; vexationes à ſenibus, auaris, Saturninis; in honoribus iacturam, aut difficultates, damna in negotijs, implicationes, accuſationes; non optimam valetudinem, ægritudines ſtomachi, oculorum, vitæ incommoda, itinera moleſta cum diſpendijs, afflictiones, mœrores, mala in Patre, vel alteri loco Patris, damna ex furtis, in patrimonio. Si profectio erit ad ſextiles, aut trinum Saturni omnia miteſcent.

Sol ad Iouem, Antiſcium, ſextiles, trinos; ſalubrem annum, glorioſum, & cum diuitijs adducet; tribuit honores, officia, dignitates, laudes, gloriam, honores à Magnatibus, optimam valetudinem Nato, & Patri; ac euentus propitios in omnibus actionibus, & negotijs. Ad quadratum oppoſitum tribuit difficultates.

Sol ad locum Martis Antiſcium, Contra Antiſcium, quadrata, oppoſitum, mala decernit in ſignificatis à Marte, negotijs publicis, litibus, adminiſtrationibus, dat implicationes, & difficultates in negotijs, odia Potentum, diſplicentias; nocet Patri, oculis, & alijs partibus ex humoribus calidis.

Sol ad proprium locum renouat, quæ ſignificabat in Natiuitate; & pro qualitate Planetarum, cum quibus iungitur, aut configuratur; generaliter tamen fauet honoribus, & vitæ, vitalique potentiæ.

Sol ad locum Veneris, Antiſcium, trinos, ſextiles, decernit bona à Potentibus, amicitias proficuas, laudes, voluptates, delitias, nuptias, ſobolem, honores, bona; reddit Natum propenſum delitijs, veſtibus, gemmis, odoribus, ornamentis, & huiuſmodi, ſic dat diuitias ſimul cum honoribus; nocet tamen

Ma-

Matri, vxori, & fæminis Nati.

Sol ad locum Mercurij, Antiſcium, ſextiles, trinum tempus propitium, & idoneum decernit ad negotia, legationes, officia, lites, merces, & ſimilia mercurialia cum honore, & fortuna: Si verò adfuerint malefici, Mars, aut Saturnus damna minatur, & moleſtias cauſa ſeruorum, litiũ, mercium, ſcripturarum, & huiuſmodi.

Sol ad Lunam, oppoſitum, aut quadrata, & Contra Antiſcia mala adducit fæminis Nati, nec bona in complexione. Ad corpus Lunæ, ſextiles, & trinos tribuit in negotijs proſperitatem, bona à Principibus, & munera, diuitias; inclinat ad vxorum in ſolutis, in quibus aliquando concedit ſobolem.

Sol ad Capitis Draconis locum honores, laudes, & bona inopinata impartitur, ſicut Patri.

Ad locum Caudæ Draconis mala tribuit in honoribus, actionibus, & etiam in Patre, conſiderationis.

Sol ad locum Partis fortunæ dat diſpendia cauſa honoris, & magnanimitatis, aliquando ex fiſco; bene conſtituti honores, & diuitias.

DE PROFECTIONIBVS VENERIS.
Cap. XIV.

Venus ad locum Saturni, radios maleficos, Antiſcium, & Contra Antiſciũ demonſtrat rixas, contentiones cum fæminis, vel earum cauſa iniurias, & dedecus; odia Matris, vxoris, amicæ, conſanguineorum; ignominias cauſa amoris, & Veneris, amicitias infauſtas, inſtabiles, damnoſas: tarditatem in actionibus; pericula ægritudinis in pudendis, ventre, inteſtinis; aliquando pericula veneni, ſi adfuerit ſignificatio in radice, aut reuolutione.

Venus ad locum Iouis, vel eius Antiſcium, ſextiles, trinum, fauſtum annum parat; demonſtrat honores, gloriam, laudes, amicitias Magnatum, & ſuaues cum mulieribus, à quibus honores, & diuitias, ſicut ab eccleſiaſticis, & Iouialibus; pollicetur liberationem ab infauſtis, vt carceribus, exilio, ſeruitute, moleſtijs, vel alia afflictione animi, & corporis; fauorabilis eſt pro voluptatibus, delirijs, amoribus, coniugio, filijs.

Venus ad locum Martis diſplicentias decernit in ſignificatis à Venere; diſplicentias ab vxore, amica, fæminis, ſeparationem, & diſplicentias ab eis; rixas, contentiones, & pericula cauſa fæminarum; inclinationem magnam ad Venereos actus, & potentiam; has actiones cum fæminis ſine differentia, diſplicentias, & inimicitias, ac dedecus cauſa Zelotypiæ: Ægritudines, aut pericula mortis Matris, vxoris, vel alterius fæminæ Nati.

Venus profectione ad locum Solis, laudes, & gloriam, honoreſque impartitur, diuitias, & dona à Magnatibus; Patris animi, & corporis tranquillitatem, lætitias, gaudia, voluptates omnis generis, tempus fauſtum ob delitias; verùm aliquando nocet Matri, & fæminis, ſi adfuerit ſignificatio etiam in reuolutione ex ſitu Planetarum.

Venus profectione ad locum proprium, & ſuos radios beneficos, nouas conciliat amicitias cum Magnatibus, & matronis nobilibus; dat gaudia, laudes, vo-

luptates, domeſticorum amores, & beneuolentiam, & Venerea; Inclinat ad voluptuoſa opificia, muſicam, poeſim, eloquentiam; ſicut ad conuiuia choreas, tripudia, & ſimilia. Si venus fuerit afflicta à Saturno, vel Marte, adducet mala cauſa fœminarum; malaque animi, vel corporis, & aliquando pericula cauſa Zelotypiæ.

Venus ad Mercurium, eiuſque loca alia fauſta tempus aptum decernit ad merces, ſcripturas, conuentiones, contractus, lucra, rationes, eruditionem, eloquentiam, emptionem rerum voluptuoſarum, & delitiarum; ad amicitias, ſocietates cum fœminis, & mercurialibus: prodeſt negotijs, honoribus, correctionibus negotiorum, depoſitis, ad fœdera, & tractatus cum ſeruis, & fratribus minoribus.

Venus ad Lunam laudes demonſtrat; animi tamen inſtabilitatem, in Venereis, & amoribus; dat amicitias inſtabiles cum omnibus; & aliquando odia cauſa fœminarum, prodeſt tamen materiæ coniugij, & filiorum.

Venus ad Capitis Draconis locum in ſignificatis à Venere propitia decernit, dat animi gaudia, & corporis ſalubritatem.

Venus ad locum Caudæ Draconis diſplicentiam adducit cauſa fœminarum, aliquando pericula ex his, & luxu.

Venus ad locum Partis fortunæ bene conſtituta dat vtilia, cauſa fœminarum, & amicorum; Malè affecta dat diſpendia, & damna cauſa mulierum, & voluptatum.

DE PROFECTIONIBVS MERCVRII.
Cap. XV.

MErcurius profectione ad Saturnum, eius radios maleficos, Antiſcium, & oppoſitum Antiſcij in reuolutione mœrores, triſtitias, timorem, impedimenta adducit in actionibus, & negotijs; lites, contentiones cauſa ſcripturarum, mercium, rerum antiquarum, pecuniæ adulterinæ, ſcientiarum, opificij. Nocet filijs, fratribus minoribus, ſeruis; dat furta, accuſationes, delicta, pericula carceris, vel huiuſmodi; aliquando capitis affectiones, cum cerebrum ſignificet Mercurius; & ex his aliquid, ſi adfuerit aliqua communicantia cum Saturno, vel Mercurio maleficus Mars.

Mercurius ad locum Iouis, ſextiles, trinum, vel Antiſcium laudes tribuit, familiaritatem Principum, optimum exitum in negotijs, & tractatibus, vtilia ex ſcripturis, litibus, mercibus, ſcientijs, dotibus ingenij, opificio; mores animi honeſtos, laudabiles, officium, adminiſtrationes, & huiuſmodi. Si verò Mercurius, & Iuppiter fuerint malè affecti, inſtabilem fortunam decernent in omnibus, diſplicentias à ſeruis, domeſticis, & familiaribus; licet in his, & difficultatibus multa corrigat vis ingenij.

Mercurius ad locum Martis, eius quadrata, oppoſitum, Antiſcium, & contra Antiſcium mala minatur, lites, rixas, diſcordias, fideiuſſiones damnoſas, dolos, inſidias, proditiones, facinora, ob hæc accuſationes, & mala; inimicitias, mala à ſeruis, domeſticis, furtis; Vitæ, & honoris diſcrimina, mala in fratribus minoribus, & in opificio, ac actionibus.

Mer-

Mercurius ad locum Solis ex opificio, ſcientijs, eloquentia, & actionibus laudes tribuit; bona à magnatibus, & negotijs prius imperfectis.

Mercurius ad locum Veneris, & Veneris loca benefica nouas conciliat amicitias, reconciliationes cum amica, & fœminis, dat beneuolentiam domeſticorum, propenſionem magnam ad Venerea; bona ex eruditione, eloquentia; & opificio ſicut ex ſtipendijs pro opificio. *M*ale affecti hi Planetæ, vel Mercurius profectione ad quadrata, vel oppoſitum Veneris tribuit diſplicentias, & implicationes in Venereis, & cauſa fœminarum.

*M*ercurius ad locum proprium, & loca eius benefica benè conſtitutus proficua pollicetur ex ſuis ſignificatis, ſcientijs, facundia, mercibus, litibus, ſeruis, fratribus minoribus, opificio, adminiſtrationibus. *M*alè affectus & profectione ad loca infauſta in aliquibus ex dictis mala adducet.

*M*ercurius ad locum Lunæ benè affectus dat honores, laudes à plebe, & popularibus negotia plurima, & ex illis diuitias; fortunam in itineribus, & cum fœminis; malè conſtitutus, mala adducet, & difficultates in actionibus.

*M*ercurius ad locum Capitis Draconis ſua ſignificata fouet cum honoribus, & diuitiarum acceſſione.

*M*ercurius ad locum Caudæ Draconis diſplicentias in negotijs, implicationes, & mala adducet in mercurialibus omnibus.

*M*ercurius ad locum Partis fortunæ beneficè conſtitutus in Natiuitate, & reuolutione vtilia decernit ex ſuis ſignificatis; è contra malè affectus damna, difficultates, & implicationes.

DE PROFECTIONIBVS LVNAE. Cap. XVI.

LVna ad corpus Saturni, & ſua loca alia infauſta annum varium, & inſalubrem demonſtrat; minatur ſenſuum imperfectiones, oculorum, & inteſtinorum; defluxus à capite, dolores, & ſimiles ægritudines ex frigidis humoribus, pericula caſus in aquis; retardat actiones, impedit negotiorum perfectionem; mala minatur in Matre, vxore, fœminis, & itinera parum fauſta decernit.

Luna ad locum Iouis, ſextiles, trinum, Antiſcium, animi, & corporis pollicetur tranquillitatem; proſperitatem in actionibus, & negotijs; ad quæ affert aptitudinem magnam, & fortunam; honores, lucra, laudes; vtile à fœminis, & Eccleſiaſticis; dat vxoratis ſobolem; alijs vxorem; alijs gaudia, & ſolatia; bona Matri, & fœminis Nati, & tempus fauſtum ad ſingula in vita.

Luna ad locum Martis, & Martis loca infauſta, pericula minatur Martialia, vt vulneris, ex igne, caſu ab animalibus; vel ægritudinem ex calidis humoribus, ſeditiones domeſticorum, accuſationes ob delicta criminalia, inimicitias populares, diſplicentias ab vxore, vel amica; mala in fœminis, vel earum cauſa, & conſiderationis moleſtias.

Luna ad Solem, eius quadrata, vel oppoſitum, vel corpus, vel animum moleſtat, dat perturbationes, implicationes domeſticas, difficultates, impedimenta in actionibus, non omnem optimam valetudinem; Ad ſextiles, aut trinum

verò

verò aliquando bona adducit, nuptias, diuitias, adminiſtrationes, honores.

Luna ad Venerem & eius radios, benè ambę conſtitutæ propellit ad ſolatia gaudia, delitias, Venerea, & cum fortuna; dat laudes, honores, vtilia, familiaritatem Magnatum, & nobilium Matronatum, aliquando vxorem, vel ſobolem. *Malè* affectæ dant mæſtitias, animi pathemata, infortunia cauſa fœminarum, vel Zelotypiæ, inimicitias cum vicinis, vel affinibus; nec optimam valetudinem, ſed ægritudines ex nimia humiditate.

Luna ad Mercurium, bene ambo affecti, vel ad Mercurij Antiſcium, ſextiles, trinos tempus idoneum decernunt ad negotia, & res agendas, ad tractatus cum fœminis, ad itinera, præcipuè cum auxilio beneficorum; & omnia cum fortuna. *Malè* affecti, & profectione ad loca malefica dant lites, difficultates, contrarietates, damna cauſa ſcripturarum, mercium, rerum publicarum; & itinera infauſta, & cum diſpendijs.

Luna ad locum proprium benè conſtituta proſperum annum affert, felicem, & iucundum; dat honorifica itinera, & cum diuitijs, optimam valetudinem, bona in vxore, Matre, fœminis, filijs. Afflicta à maleficis ægritudinem minatur, oppoſitiones, itinera infauſta; mala à Potentibus, populo, pericula, mala in fœminis.

Luna ad locum Capitis Draconis fauet corporis ſalubritati, diuitijs, honoribus, itineribus, & actionibus.

Luna ad locum Caudę Draconis mala in omnibus adducit, præcipuè itineribus, & complexione.

Luna ad Partisfortunæ locum benè conſtituta, diuitias ex mulieribus, copula, & itineribus pollicetur. Malè affecta difficultates, nec proficua.

DE PROFECTIONIBVS ASCENDENTIS. *Cap. XVII.*

Aſcendens profectione ad locum Saturni, vel eius oppoſitum, quadrata, Antiſcium, vel oppoſitum Antiſcij annum inſalubrem, & infauſtum præparat; non tribuit omnem optimam valetudinem: ſed abundantiam humoris melancholici, & frigidi, dat fluxiones humorum, dolores, & infauſta in complexione. Inſuper diſcrimina, timores, implicationes, turbationes, animi pathemata, animique, vel corporis mala.

Aſcendens ad Iouem, & Iouis loca benefica tranquillat animum, & corpus, dat optimam valetudinem, gaudia, laudes, honores, amicitias, & vtilia à potentibus, & Eccleſiaſticis. Carceratis dat libertatem; afflictis gaudia; pauperibus auxilia, & omnibus malis remedia; prohibet vitæ diſcrimina, & animi affectiones; aliquando prolem, & filios elargitur.

Aſcendens ad locum Martis, vel eius loca infauſta, ægritudinem minatur ex calidis humoribus, inflammationes ex cauſa Martiali. Mala in actionibus; profectione ad ſextiles, aut trinum Martis inclinat ad Martialia, ex his tribuit honores, adminiſtrationes, & bona.

Aſcendens ad locum Solis, vel ſextiles, vel trinos annum parat glorioſum, & proficuum; tribuit bona à Magnatibus, honores, & authoritatem apud illos,

& propitia iam ſpectata, & in actionibus tranquillitatem.

Aſcendens ad locum Veneris, & eius radios beneficos pollicetur laudes, honores, commercium cum mulieribus ſuaue, voluptates, gaudia, iucunditates plus ſolito, aliquando vxorium, vel in vxoratis generationem prolis; propenſionem ad artes voluptuoſas, & exercitia, picturam, muſicam, ad iocos, conuiuia, delitias, luxum.

Aſcendens ad Mercurij locum inclinat ad mercurialia, ſtudia literarum, negotia, adminiſtrationes, merces, lucra. Afflicto tamen Mercurio à maleficis, lites ſuſcitat, implicationes, & mala in aliquo ex Mercurialibus.

Aſcendens ad locum Lunæ decernit Natum plura negotia tractantem, & cũ felicitate abſoluentem, & fortuna, inclinat ad itinera; dat laudes à populo, & mulieribus, atque vtilia; aliquando tamen non omnem tribuit bonam valetudinem.

Aſcendens ad locum Capitis Draconis fauſtum eſt pro complexione, negotijs, & itineribus. Aſcendens ad locum Caudæ Draconis ad omnia eſt infauſtũ.

Aſcendens ad locum Partisfortunæ dat propenſionem, & labores pro diuitijs acquirendis, fortunamque præſtat, prout Parsfortunæ fuerit benè, aut malè conſtituta.

DE PROFECTIONIBVS MEDII CAELI.
Cap. XIIX.

MEdium Cæli ad locum Saturni, vel eius Antiſcium, Contraantiſcium, quadrata, vel oppoſitionem difficultates, & oppoſitiones ſuſcitat in actionibus, opificio, & exiſtimatione; diſplicentias à Saturninis, ſeruis, ſenibus, ſubditis, agricolis, melancholicis, & huiuſmodi; reddit actiones irritas, dat odia, inimicitias, moleſtias, pericula ignominiæ carceris, mala in Matre.

Medium Cæli ad locum Iouis, & eius alia loca benefica eſt propitium pro honoribus, exiſtimatione, actionibus, opificio: tribuit laudes, gloriam, bonum nomen; amicitias Magnatum, & Eccleſiaſticorum: reddit Natum intentum deuotioni, & rebus Eccleſiaſticis, ac virtutibus moralibus; eſt propitium pro ſobole, pro matre, & filijs.

Medium Cæli ad locum *M*artis, & eius loca infauſta dominata; reddit Natum propenſum ſignificatis Martialibus, inclinat ad itinera, difficultat actiones, eſt noxium pro honoribus, exiſtimatione; aliquando dat rixas, contentiones, diſplicentias ex cauſa Martiali, nocetque Matri. Profectione ad ſextiles, aut trinum Martis dat adminiſtrationes, honores ex Martialibus, & negotijs publicis vtilitatem.

*M*edium Cæli ad locum Solis tempus admodum honorificum pollicetur: dat amicitias Magnatum, honores, laudes; Natum reddit intentum rebus magnis, adminiſtrationibus, honoribus, & cum fortuna.

*M*edium Cæli ad locum Veneris, & eius radios beneficos inclinat ad voluptates omnis generis; in Natis proportionatis ad vxorem ducendam, filios procreandum; dat laudes, gloriam, amicitias cum mulieribus ex his bona, &

le-

titias; familiaritates cum Magnatibus, & tempus fauſtum. Ad maleficos radios dat ex Venereis diſplicentias.

Medium Cæli ad locum Mercurij fortunati dat officium, adminiſtrationes honorificas; reddit Natum intentum ſtudijs, ſcientijs, mercibus, negotijs, litibus, & alijs Mercurialibus, bonaque tribuit ex opificio, & actionibus.

Medium Cæli ad locum Lunæ reddit Natum negotijs intentum præcipuè publicis, & mulrebribus; dat amicitias cum fœminis; tribuit aliquando vxorem, vel filium, ſi adfuerit aliquod ſignificatum alibi.

Medium Cæli ad locum Capitis Draconis fortunam tribuit in actionibus, & opificio, itinera proficua, & bona ex Venereis, & Iouialibus.

Medium Cæli ad Caudam Draconis, difficultates decernit, odia, inimicitias, itinera coacta, damna in exiſtimatione.

Medium Cæli ad locum Partisfortunæ inclinat ad diuitias cumulandas; & fortunam prębet ex honoribus, actionibus, & Magnatibus.

DE PROFECTIONIBVS PARTISFORTVNAE. Cap. XIX.

PArsfortunæ ad locum Saturni conſtituti in ſuis dignitatibus proficua adducit in ſuis ſignificatis, ſtabilibus, hæreditatibus, mortuis, negotiationibus, nauigationibus, & reliquis: ſi Saturnus fuerit malè conſtitutus mala decernit in dictis, ſicut ex furtis, inimicitijs; ſicut ſi profectio etiam fuerit ad reliqua loca Saturni infauſta.

Parsfortunæ ad locum Iouis, ſuos radios beneficos, diuitias pollicetur in ſignificatis à Ioue, rebus, & perſonis Eccleſiaſticis, honoribus, Principibus, Iudicibus, Iuriſconſultis, & reliquis Iouialibus.

Parsfortunæ ad locum Martis, & loca dominata à Marte damna affert in diuitijs, ex Martialibus ſignificatis, rixis, bello, contentionibus, ludis, litibus, itineribus, inimicitijs, furtis, armis, equis, moleſtijs. Si Mars fuerit feliciter affectus vtilia afferet ex dictis ſignificatis Martialibus, ſicut ex adminiſtrationibus, & negotijs publicis.

Parsfortunæ ad locum Solis ex honoribus, & Principibus dat diuitias; verùm diſpendia ex magnanimitate, & inani gloria, & aliquando ex fiſco.

Parsfortunæ ad locum Veneris cauſa fœminarum tribuit diuitias, aut damna, prout Venus benè, vel malè fuerit in figura Cæleſti conſtituta.

Parsfortunæ ad locum Mercurij benè affecti vtilia decernit ex Mercurialibus, opificio, actionibus, litibus, mercibus, ſcripturis, & reliquis. Si Mercurius fuerit malè conſtitutus in his adducit difficultates, vel damna.

Parsfortunæ ad locum Lunæ bona decernit cauſa mulierum, plebis, itinerum, ſi Luna fuerit feliciter conſtituta, ſi infeliciter damna ex eiſdem.

Parsfortunæ ad locum Capitis Draconis dat diuitias, præcipue patrocinio Iouialium, & Venereorum, & honoribus, Magnatibus, fæminis.

Parsfortunę ad locum Caudę Draconis ex ſignificatis Saturninis, vel Martialibus damna minatur; litibus, furtis, inimicitijs, ludis, rixis, incendio.

DE

DE TRANSITIBVS IN REVOLVTIONE.
Cap. XX.

PRæter ingreſſus Planetarum in loca propria, vel aliorum Natiuitatis in figura reuolutionis, vt diximus; obſeruandi ſunt particulares tranſitus eorumdem Planetarum; qui ſuos curſus in Zodiaco dirigentes pertranſeunt loca figuræ Cæleſtis Natiuitatis, & ſuper ſignificatores primarios; & prout Planetæ tranſeuntes fuerint benefici, aut malefici propitia, aut infauſta oſtendunt in ſignificatorum ſignificatis.

Primarij ſignificatores, vt alias diximus alibi ſunt ex Ptolemæo, Sol, Luna, Aſcendens, Medium Cæli; & Pars fortunæ.

Sol ſignificat vitam Nati, eius potentiam vitalem, honores, & Patrem.

Luna animi, & corporis affectiones, Matrem, vxores, fæminas.

Aſcendens vitæ periodum, corporis affectiones, ac itinera.

Medium Cæli, opificium, actiones, amicitias, honores, Matrem.

Pars fortunæ diuitias; quemadmodum domus ſecunda.

Cùm igitur beneficus Planeta tranſit ſuper aliquem ex his ſignificatoribus, proſpera demonſtrat ex dictis ſignificatis. E contra ſuper ea loca tranſiens Planeta maleficus. Iuppiter enim, aut Venus tranſeuntes ſuper Aſcendens optimam tribuent valetudinem; pertranſeuntes verò Saturnus, vel Mars ægritudinem, vel aliud accidens infauſtum in vita, & complexione ſignificabunt; quod idem contingit, ſi Planetæ benefici, aut malefici pertranſierint ſuper alios ſignificatores.

Planetæ benefici tranſeuntes ſuper radios ſextiles, aut trinos, Lunæ aut Solis propitia etiam ſignificabunt in ſignificatis à Sole; & Luna. Si verò dicti benefici tranſierint quadrata, vel oppoſita Lunæ, vel Solis mala decernent, licet non magni momenti, cum beneficorum non ſit obeſſe.

Malefici tranſeuntes ſuper quadratos, & oppoſitos radios ſignificatorum, vel ſuper Antiſcia, & Contra Antiſcia infauſta decernent; Super ſextiles, aut trinos mediocriter bona, cum raro proſint malefici.

Obſeruantur inſuper Planetarum tranſitus ſuper domicilia figuræ Cæleſtis tam Natiuitatis, quam reuolutionis: cum malefici infauſta, benefici proſpera demonſtrent in ſignificatis domorum. Si namque Iuppiter, aut Venus pertranſierint domum ſecundam vtilia, & diuitias demonſtrabunt; quemadmodum diſpendia, & damna ſi tranſierint Saturnus, vel Mars. In domo tertia ſic mala, vel bona contingent in itineribus, aut cōſanguineis, pertranſeuntibus beneficis, aut maleficis. In quarta inſtabilibus, hæreditatibus, Patre; In quinta in voluptatibus, filijs, & negotijs commiſſis; & ſic in reliquis domibus pro eorum ſignificatis proſpera, aut aduerſa pro tranſitu beneficorum, aut maleficorum Planetarum.

Cæterum hi tranſitus maximè obſeruandi ſunt in annis, in quibus contingunt directiones, cum Planetæ tranſeuntes prope locum directionis, vel aſpectus minuant, vel augeant multoties directionis effectus, ſicut obſeruationibus accelerant, vel retardant. Si enim aliquo anno incidat directio verbi gratia infauſta

pro

pro vita, vt Aſcendentis, Solis, aut Lunæ ad corpora, vel radios quadratos,aut oppoſitos Saturni, vel Martis, & in tempore præciſo à directione; & eo tempore Venus, vel Iuppiter pertranſeant corpore, aut radijs prope locum directionis (quod ex ephemeridibus, licebit conſpicere) hi Planetæ minuent effectum directionis, & maliciam Martis, aut Saturni; vel ſaltem retardabunt effectum, & occurſum Anetetæ ad Aphetam; & accidet effectus poſt verum tempus demonſtratum à directionis calculo, vel effectus non erit adeo potens. Si verò prope locum directionis dictum pertranſeat maleficus, vel eius maleficus radius; effectus directionis vel ſuſcipiet incrementum, vel prius continget quàm exquirat calculus directionis.

Eadem experientur in directionibus Medij Cæli; Partis fortunæ, & aliorum beneficis, aut maleficis: nã in directionibus maleficis tranſeuntes propè Mars, & Saturnus vel effectus accelerabunt,vel augebunt,benefici verò vel minuent, vel retardabunt.

In directionibus beneficis Iuppiter, & Venus augebunt, vel accelerabunt.

Saturnus, & Mars impedient, vel retardabunt; veriſſima hæc obſeruantur.

Præter præfatos tranſitus obſeruandos in annorum reuolutionibus, obſeruandi ſunt Lunæ tranſitus ſingulis menſibus in figura Natiuitatis, cum quolibet menſe Luna tranſeat per omnia loca figuræ Natiuitatis; quod ſi ſolerti indagine obſeruetur illius tranſitus ſuper loca Planetarum, & eorum radios beneficos, & maleficos admiranda conſpicientur in arte; cum actiones ſingulæ quotidianæ,& propenſiones demonſtrentur ſingulis menſis diebus,& per conſequens toto anno; & hoc pacto.

Luna pertranſiens locum Saturni Natiuitatis, vel eius radios quadratos, aut oppoſitos (& aliquando Antiſcium, & contra Antiſcium) turbat animum, vel corpus Nati humore melancholico, & Saturni qualitate; ea die dat pigritiam, & torpedinem in negotijs, & actionibus, timores, triſtitias abſque cauſa; ſomnia turbulenta, capitis, & membrorum grauitatem, fluxiones frigidas, catarrhos, diſplicentias à ſeruis ruſticis; diſcrimina furti, caſus, difficultates in omnibus, parum fauſta fæminis, Matri, vxori, ſororibus, & ſimilia adducit de Saturni natura.

Tranſiens Luna radios ſextiles, aut trinos Saturni ea die tribuit grauitatem in actionibus, & conſilio, prudentiam, ſuaues conſuetudines cum Saturninis; inclinat ad ſignificata Saturnina; cogitationes de ſtabilibus, hæreditarijs rebus, opibus cumulandis, & de ijs, quæ fauſta decernit Saturnus; verùm multoties aliquod aderit etiam indicium humoris frigidi proprij Saturno.

Luna ſuper locum corporis Iouis, aut Iouis ſextiles, trinum, vel Antiſcium propenſionem affert ad pietatem, deuotionem, res eccleſiaſticas, virtutes morales; dat animi, & corporis tranquillum ſtatum, laudes ab alijs, familiaritates Magnatum,facilitatem in negotijs,& proſperitatem;ſicut fortunam in omnibus.

Super Iouis quadrata, oppoſitum, aut Contra Antiſcium, minuit illas Iouis beneficas qualitates; dat aliquas contrarietates, diſplicentias à religioſis, Iudicibus, potentibus, & Iouialibus, ſed tandem cum placido fine.

Luna ſuper corpus, quadrata, oppoſitum, Antiſcium, & contra Antiſcium Martis, accendit bilem, præcipuè in cerebro, inclinat ad corporis motus, aut animi motus violentos ex debili cauſa; ad contentiones, rixas; tribuit controuerſias,

Digitized by Google

uerſias, diſplicentias à ſeruis, aliquando ratione furti, aut huiuſmodi; turbat animum, vel corpus ex humore bilioſo, & qualitate Martiali, dat ſomnia Martialia, difficultat negotia, & nocet fœminis.

Luna ſuper radios ſextiles, aut trinos Martis tribuit animi fortitudinem, audaciam, animoſitatem in actionibus perficiendis, imperium quoddam ſuper alios; inclinat aliquo pacto ad motus, prodeſtque negotijs.

Luna ſuper corpus, quadrata, vel oppoſitum Solis ſemper aliquid infauſtum minatur, vel in complexione, aut actionibus.

Luna ſuper radios ſextiles, aut trinos Solis tribuit perfectionem negotiorũ, & in illis fortunam, amicitias, & conſuetudines cum Magnatibus, laudes, gloriam, & ad ſingula eſt propitia.

Luna ſuper corpus, ſextiles, trinos, & Antiſciũ Veneris propenſionem magnam porrigit ad voluptates, luxum, conuiuia, choreas, amicitias, delitias, & ſimilia ſignificata Veneris, & opificia voluptuoſa, muſicam, & huiuſmodi; & ad Venerea inclinat ſaltem in ſomnijs.

Luna ſuper oppoſitum, quadrata, & contra Antiſcium Veneris, alterat Naturam ex eiſdem cauſis; adducit diſplicentias ex Venereis voluptatibus, vel cauſa mulierum, ex Zelotypia, & ſimilibus; aliquando nocet corpori ex Venereis, vel nimia repletione.

Luna ſuper Mercurium, eius ſextiles, trinos, & Antiſcium inclinat ad ſignificata Mercurialia, ſtudia, ſcientias, negotia, merces, & ſimilia cum propitio ſucceſſu.

Luna ſuper quadrata, oppoſitum, & contra Antiſcium Mercurij, tribuit difficultates, diſplicentias in actionibus, opificio, ex negotijs imperfectis, litibus, ſeruis, fratribus minoribus, nec fortunam in illis.

Luna ſuper Caput Draconis fauet vitæ, itineribus, & exiſtimationi.

Luna ad Caudam Draconis, vel animum, vel corpus moleſtat.

Luna ſuper Partem fortunæ benè affecta vtilia præbet ex fœminis, vel earum cauſa. Malè affecta tribuit diſplicentias ex intereſſe fœminarum, & ſimilibus.

DE PROFECTIONE SOLIS, ET MEDII CAELI per duodecim domicilia cæleſtia ſecundum Antiquiores. Cap. XXI.

Omnia ferè in Genituris tribuerunt Antiquiores profectionibus; recentiores obſeruent earum robur; Nos omnium curioſitati indulgentes omnes compilauimus, & in illis, quæ congrua ſignificatis viſa ſunt.

Sol, vel Medium Cæli profectione ad Aſcendens, & primam domum ſignificant Nati functiones publicas, authoritatem ſuper alios, honores pro qualitate perſonæ; ſtatum vitæ circa animum, & corporis affectiones laudabilem illo anno.

Ad domum ſecundam ſpes tribuũt vtilitatis à Principibus, & honoris ſimul

Ad tertiam modicam tribuunt fortunam; & minantur vel mortem alicuius conſanguinei, vel conſanguineo aliud infauſtum, & inclinant ad motus, & itinera.

Ad quartam ſunt infauſti pro dignitate, & Magnatum auxilio, & amore Parentum.

Ad quintam ſolatia, voluptates, gaudia decernunt ex filijs, negotijs commiſſis; ſed ex Venereis diſplicentias.

Ad ſextam ſunt propitij pro familia, beſtijs, auxilio ex Patruis; parum verò fauſti pro honoribus, & actionibus.

Ad ſeptimam nobilium mulierum tribuunt amicitias, ſic propitia pro honore, gloria & diuitijs; verum infauſta pro Patris, vel alterius conſanguinei vita.

Ad octauam difficultant omnia, honores, actiones, adducunt contrarietates, ſicut animi pathemata, & afflictiones.

Ad nonam, amicitias nouas cum extraneis conciliant, & proficua, & ad itinera propellunt honorifica, & lucroſa ratione honoris, aut exercitij.

Ad decimam tempus fauſtum decernunt pro actionibus, amicitijs, opificio, honoribus, & auxilijs ex Principibus.

Ad vndecimam dant conſequutionem rerum iam ſperatarum; redditus ex beneficijs, ſtipendijs Principum, laboribus, ex opificio; & multos amicos nobiles conciliant.

Ad duodecimam mala minantur; contrarietates, oppoſitiones, moleſtias, iniurias, odia Magnatum, damna in exiſtimatione, inuidias, mala à Principibus.

DE PROFECTIONE ASCENDENTIS, & Lunæ. Cap. XXII.

Aſcendens, aut Luna ad primam domum decernunt propinquorum inſolitos amores, animi alacritatem, fortunam optimam in negotijs; tempus propitium pro ijs, quæ ad vitæ cultum ſpectant, cibis, veſtimentis, armis, iumentis, & ſimilibus.

Ad domum ſecundam tempus fauſtum pollicentur pro diuitijs, emptionibus, venditionibus, collocationibus, & reliquis ad diuitias ſpectantibus.

Ad tertiam fortunam afferunt in itineribus, & negotijs cum conſanguineis, vel eccleſiaſticis; verùm minantur odia antiqua inimicorum, vel aliquem morbum.

Ad quartam propitia decernunt in ædificationibus, vendendis, aut emendis ſtabilibus; pro hæreditatibus, & diuitijs à Parentibus, aut Principibus; condendis inſtrumentis; & ſepultura; Minantur tamen animi mœrores ob metum mortis; & aliquando afferunt periculum in aquis, & mala in itineribus.

Ad quintam tempus idoneum præbent pro voluptatibus, pacificationibus, mercaturis, contractibus, nauigationibus, mittendis Nuntijs, legationibus & filijs.

Ad ſextam tribuunt mœrores, & timores, ægritudinis, odij, inimicitiæ, aut alterius infortunij.

Ad ſeptimam bona pollicentur pro vxore ducenda, & mercatura; infortunam pro bello, tumultibus, mulieribus, & furtis.

Ad octauam timorem afferunt morborum, & damni in diuitijs; & damna

ex ſponſionibus, mutuationibus, ludis, rixis, medendo, ſecando venam.

Ad nonam ſunt propitij pro itineribus, honoribus, amicitijs cum eccleſiaſticis, ſcientijs Aſtrologia, Chymica.

Ad decimam fauſta decernunt in negotijs cum Principibus,& opificio, augmento honorum à Magnatibus, & actionibus. Verùm timenda ſunt damna domeſtica, & furta.

Ad vndecimam dant ſperata, & amicitias Magnatum nouas; negotiorum perfectionem, bona in ludis, & mutuanda pecunia.

Ad duodecimam inimicitias, odia, carceres, morbos occultos, mala à ſeruis, & infauſta ſemper minantur.

DE PROFECTIONE PARTIS FORTVNAE. Cap. XXIII.

PArs fortunæ ad domum primam idoneum tempus præbet ad diuitias augendas, ad tractanda negotia, ad quæ maximam præbet propenſionem, & in quibus fortunam, & exitum felicem in negotijs, & tractatibus.

Ad domum ſecundam eſt propitia ad emptiones, venditiones, & diuitiarum acquiſitiones.

Ad tertiam benè fortunata vtilia præbet ex itineribus, fratribus, conſanguineis, & parte etiam eccleſiaſtica, & ſocijs.

Ad quartam ex terræ fructibus, ſtabilibus, fundis, piſcinis, hæreditatibus, antenatis, & rebus occultis bona adducit.

Ad quintam ex negotijs commiſſis, legationibus, ſcriptutis, negotiationibus, filijs, amicis proficua pollicetur, quamuis diſpendia ob voluptates.

Ad ſextam dat vtilia ex ſeruis, familia, animalibus paruis, patruis, & ex ſcientia Medicinæ aliquibus.

Ad ſeptimam pollicetur bona benè affecta ex mulieribus, dote vxoris, litibus, bello, inimicis publicis.

Ad octauam dat hæreditates, lucra vxoria, bona à mortuis. Verùm damna in pecunia depoſita, & ex latronibus.

Ad nonam dat itinera longa, vtilia ex ſcientijs, eccleſiaſticis, ex parte longinqua, arte chymica, Aſtrologia.

Ad decimam fauorabilis eſt pro diuitijs à Principibus, ex opificio, actionibus, honore.

Ad vndecimam bona tribuit ex amicis, ſodalibus, mutuatione nummorum, ex ſtipendijs Principum, negotiationibus, filijs.

Ad duodecimam proderunt captiui, animalia magna.

Bona cæterum hæc decernuntur, ſi Pars fortunę fuerit benè affecta in dignitatibus, & radio beneficorum; è contra omnia minuentur, ſi afflicta à maleficis, vel eorum radijs maleficis.

DE RELIQVIS PLANETIS. Cap. XXIV.

PLanetæ etiam reliqui Saturnus, Iuppiter, Mars, Venus, & Mercurius profectione ad domicilia duodecima, bona, aut infauſta demonſtrabunt in ſuis ſignificatis pro qualitate domus ad quam proficiſcuntur, prout fuerint benè, aut malè affecti. Vt Saturnus, vel Mars profectione ad Cuſpidem domus ſecundæ damna ſignificabunt in diuitijs; vbi è contra bona adducent profectione Iuppiter, vel Venus, & ſic in alijs domicilijs, quæ breuitate relinquuntur.

DE DOMINO ANNI. Cap. XXV.

PRo his, quæ in reuolutione anni Natis poſſunt contingere fauſta, vel improſpera, more ſolito Arabes Antiquiores contendunt ſuis philaterijs efficaciæ maximę eſſe Dominum anni, dominum ſcilicet profectionis annuæ Aſcendentis, cuius prærogatiua poterit adſcribi omnibus Planetis non excluſis luminaribus etiam, quæ Ptolemæus in particularibus his non admittit.

Saturnus dominus anni, & profectionis Aſcendentis ad ſigna ♑ ♒, ſi fuerit in reuolutione fortunatus in ſuis dignitatibus, orientalis à Sole, in angulo, vel ex ſuccedentibus domo quinta ſecunda, vndecima in ſignificatis Saturninis proſpera pollicetur, ſtabilibus, hæreditatibus, agricultura, ædificijs, Patre & reliquis, quæ ſuo loco numerabimus; conciliat nouas amicitias cum Principibus Saturninis, vel alterius conditionis honorificas, & proficuas; Natum exponit deditum dictis Saturninis, & diuitijs cumulandis, eo anno prudentem, conſultum, circumſpectum, & actiones ſano conſilio omnes dirigentem. Si fuerit malè affectus, occidentalis, peregrinus in cadentibus, combuſtus, cum noxa Martis minatur mala corporis, animi, & fortunæ; Ægritudines pro ratione ſigni in quo fuerit conſtitutus; In terreis Tauro, Virgine, Capricorno morbos producit ex nigra melancholia, apoſtemata, Cancros, Antraces; In aqueis ♋ ♏ ♓ fluxiones frigidas, dolores, articulorum, neruorum affectus, vitia Vrinæ. In aereis dolores ex ventoſitate cholicos, Iliacos, pericula caſus præcipitij; & aliquod malum in partibus corporis ab ipſo Saturno dominatis, vt ſplene, auditui dextro, veſſicæ, offibus, ligamentis; febres quartanas, & ſimilia. Moleſtias inſuper adducit, difficultates, contrarietates, pericula in exiſtimatione, carceres, damna ab inimicis, furtis, in ſtabilibus, & eius ſignificatis, & aliquando in Patre.

Iuppiter dominus anni exiſtente profectione Aſcendentis in Sagittario, Piſcibus, aut Cancro. Si fuerit potens in ſuis dignitatibus in Natiuitate, et reuolutione, et loco Cæli honorato abſque noxa maleficorum felicem annum pollicetur; animi, et corporis tranquillitatem, diuitiarum affluentiam, in negotijs proſperos ſucceſſus, honorum incrementum, laudes, et gloriam in actionibus; familiaritatem Magnatum, ex quibus honores, et vtilia; gaudia ex filijs, filij generationem in ſubiecto proportionato, ſi aliquo fuerit in aſpectu benefico Veneris; bona ex eccleſiaſticis, et honores, ſi fuerit Natus religioſus; munera à Potentibus præcipuè cum conſtitutione benefica cum Sole, magnanimitatem animi, prudentiam, liberalitatem, ſtabilitatem, benignitatem; quæ omnia au-

gentur

Digitized by Google

gentur, ſi adfuerit tunc temporis directio aliqua benefica, Solis, Lunæ, Aſcendentis, aut Medij Cæli, vel Partis fortunæ. Si verò Iuppiter fuerit occidentalis, peregrinus, combuſtus, in cadentibus, aut alio modo à maleficis afflictus, ſuas minuet beneficas qualitates, minaturque difficultates, oppoſitiones, diſpendia, diſplicentias à Iouialibus, Potentibus, Eccleſiaſticis, Iudicibus, & animi afflictiones; quamuis tandem cum fine honorifico.

Mars dominus anni benè affectus in Natiuitate, & reuolutione in ſuis dignitatibus in angulis, aut ſuccedentibus orientalis à Sole, animi ſolertiam, fortitudinem, audaciam, caliditatem procreat; ad negotia tractanda promptitudinem, & efficaciam, & adminiſtrationem; tribuit authoritatem apud Magnates, honores in ſignificatis Martialibus, ad quæ inclinat, præcipuè cum aliquo radio benefico Solis, aut Iouis; dat diuitias, bona ex amicis itineribus, & felix eſt pro fratribus. Malè affectus, peregrinus, occidentalis in Cadentibus domibus debilis animum, vel corpus moleſtat Martialibus qualitatibus, inclinat ad contentiones, rixas, lites, itinera parum fauſta; minatur inflammationes, ægritudineſque ex humore cholerico: dat pericula. In ſignis humanis ab homine, & latronibus. In igneis ex igne, aut ignitis, aut humoribus calidis. In feralibus ab animalibus; ſic ebullitiones tribuit vulnera, exilia, carceres, & ſimilia.

Sol dominus anni fortunatus ratione loci Cæli, & in aſpectibus Veneris, & Iouis, & præcipuè in trigono igneo dignitates, & honores eo anno demonſtrat, conſuetudines cum Principibus, à quibus officia, & honores; laudes, gloriam, & diuitiarum incrementum; authoritatem ſuper alios, in exiſtimatione poſitum apud omnes, & veneratione; qualitates animi illuſtres influit, magnanimitatem, grauitatem cum ſplendore, fortitudinem, et reliquas ſimiles. Si malè ſit conſtitutus in cadentibus cum radijs maleficis Saturni, et Martis difficultates patit in honoribus, damna in exiſtimatione, oppoſitiones, damna, et diſplicentias à Principibus, animi pathemata; pericula ægritudinis, præcipuè, ſi adfuerit eius aliqua directio infauſta, vel Lunæ, aut Aſcendentis; et malum ſtatum prædicit Patris.

Venus domina anni benè affecta in Natiuitate, & reuolutione, annum iucundum parat; tripudia, choreas, conuiuia, amores mulierum, vxorem ducendam, omniſque generis voluptates; filij procreantur, inclinat ad delitias, muſicam, ornamenta corporis, odores, & ſimilia, ad illis vtendum; indulgendum genio hoc anno plus ſolito. Verùm male affecta Venus in Natiuitate, vel reuolutione in eius ſignificatis mala portendit, voluptatibus, Matri, vxori, filijs, fœminis, ornamentis, ex his triſtitias, (ſicut damna) & diſplicentias ex mulieribus, vel earum cauſa; aliquando ægritudinem ex Venereis, vel ex repletione.

Mercurius dominus anni benè affectus, & fortunatus; ex opificio, ſcientijs, operationibus intellectus tribuit honores, & diuitias; felicitatem eo anno ex negotijs, mercatura, ſcripturis, ſermone, induſtria; ſicut bona ex familia, ſeruis, fratribus minoribus, perſoniſque, & rebus ſignificatis à Mercurio. Male diſpoſitus dat difficultatem in actionibus, damna ex litibus, mercibus, opificio, ſeruis, ſcribis, Notarijs, Procuratoribus, inſidijs, calumnijs, contentionibus,

Luna domina anni felix in reuolutione, & Natiuitate, dat optimam valetudinem, animi tranquilitatem, propitia itinera, bona à mulieribus, & Magnatibus, lucra aſſidua, largitiones, bona in mulieribus Nati Matre, vxore, ſororibus, fœminis.

Malè conſtituta Luna dat itinera infauſta, in illis pericula; & damna; diſplicentias, & mala cauſa fœminarum, nec omnem optimam valetudinem.

Supradicta legere non eſt error; & alicuius vtilitatis; cum Planetarum vires denuò ſaltem explicentur, & in Iudicijs tam Natiuitatis, quam reuolutionum apprimè ſint neceſſaria.

DE VALETVDINE NATI IN REVOLVTIONE. *Cap. XXVI.*

PRo corporis optima, vel aduerſa valetudine in reuolutione generaliter conſideranda ſunt liminaria, & præcipuè Luna, Aſcendentia tam Natiuitatis, quàm reuolutionis, atque horum Aſcendentium Planetæ dominatores; quorum ſtatus ſi fuerit beneficus de optima valetudine coniectandum; dummodo eo anno non incidat aliqua directio infauſta, infauſtæ profectiones, aut tranſitus maleficorum ſuper dicta loca; ſi fuerit ſtatus malus timendum eſt de aduerſa valetudine, & corporis diſcraſia.

Arabum ſchola addit præterea in reuolutione conſiderandos eſſe dominum anni, & diuiſorem, ex quorum conſtitutione benefica, aut malefica proſperam vel aduerſam valetudinem coniectare profitentur, quemadmodum alia in vita, diuitijs, honoribus, alijſque in anno contingentibus; Dominus anni eſt Planeta dominus ſigni in quo cadit profectio Aſcendentis eo anno. Diuiſor dominus terminorum in quibus incidit directio Aſcendentis illo anno.

Nos nullis aliorũ ſpretis in hac parte conſiderationibus de Nati vita, & corporis affectionibus anno reuolutionis primò conferendam cenſemus reuolutionis figuram cæleſtem cum figura Natiuitatis; quomodo domicilia, & eorum dominatores, & ſignificatores ſint inter ſe diſpoſiti malè, an benè; Deinceps quæ directiones, profectiones, tranſitus eo anno contingant, et ſecundùm eorum qualitates iudicium afferendum, atque ſimul infra poſitis obſeruationibus antiquorum vtendum; Cum verò infinitæ ab Antiquis adducantur, et quædam aliquando voluntariæ; eas ſelegimus, quæ magis veritati ſcientiæ conſonæ viſæ ſunt.

Si in anno accidet fauſta directio Solis, Lunæ, aut Aſcendentis ad corpus, aut beneficos radios ſextiles, trinum, aut ad Antiſcium Iouis, aut Veneris optimam corporis valetudinem demonſtrabit, præcipue ſi eorumdem Solis, Lunæ, Aſcendentis aderunt profectiones, aut tranſitus ſuper loca benefica dictorum Iouis, & Veneris.

Aſcendens reuolutionis idem, quod Natiuitatis; vel ſi hæc Aſcendentia ſint inter ſe in aſpectu ſextili, aut trino propitia ſunt pro corporis ſalubritate.

Aſcendentium dominatores benè affecti in reuolutione cum coniunctione, aut radijs Veneris, aut Iouis; non combuſti, peregrini, cadentes, nec affecti à maleficis fauſti ſunt pro corporis complexione.

In

In Aſcendente reuolutionis Venus, aut Iuppiter coniuncti, vel aſpicientes radijs beneficijs Aſcendens ſunt etiam maximè propitij.

Venus, & Iuppiter iuncti cum Luna, & ſecundum alios etiam cum Domino anni corporis ſanitatem demonſtrant; idem decernunt aſpicientes ſextili, & trino, dummodo Luna non ſit nimis à maleficis afflicta.

Luna in Natiuitate, & reuolutione libera ab infortunijs, maleficis, combuſtione, & in aſpectu beneficorum valetudinem bonam pollicetur.

Planetæ benefici in quinta, quemadmodum Caput Draconis fauſta adducunt in complexione.

Liberi tandem in reuolutione à maleficis Sol, Luna, & Aſcendens ſemper corporis immunitatem decernunt ab ægritudine; & ſi in anno reuolutio aderit aliqua directio infauſta Solis, Lunæ, vel Aſcendentis ad vires maleficorum Saturni, aut Martis, mala timenda in corpore pro ratione Planetæ malefici, Martis videlicet ægritudo ex humore cholerico, inflammatione, vel periculum Martiale, rixæ, carceres. Saturni ægritudo chronica, longa, ex humoribus frigidis, vel pericula Saturnina, caſus in aquis, carceres, & ſimilia.

Si in reuolutione non adfuerit directio aliqua infauſta, hæ obſeruationes pro aduerſa valetudine ſunt attendendæ.

Luna in reuolutione malè diſpoſita afflicta à maleficis Saturno, vel Marte, vel combuſta Solis radijs ſine auxilio Iouis, aut Veneris mala adducit in corporis conſtitutione, & eò magis ſi Luna fuerit infortunata in natiuitate, & præterea applicuerit loco Natiuitatis.

Luna infortunata in radice, & in reuolutione ſit in loco Martis, aut Saturni Natiuitatis infauſta minatur in complexione.

Luna à maleficis afflicta corpore, aut radijs coniuncta Capiti Draconis tribuit humorum augmentum; cum Cauda Draconis humorum corruptionem; cum Venere, Ioue, aut Marte humorum inflammationem; cum Saturno humores frigidos, vel aliquod periculum, vt caſus, in aquis, carceres, & huiuſmodi.

Luna in quadrato vel in oppoſito Martis, vel nocet oculis, vel aliquid ſpernendũ adducit in Martialibus; Luna infortunata à malefico exiſtente in domo ſexta ægritudinem, vel aliud infauſtum decernit ex ſignificatis ſigni domus ſextæ, aliquando luxationes.

Luna in Cancro, Sol in Leone, afflicti à Marte, & Saturno ſemper infauſta adducunt.

Mars, vel Saturnus in Aſcendente reuolutionis ſemper minantur ægritudinem, vel mala de eorum natura; præcipuè ſi ſecundùm Arabes fuerint Domini anni.

Mars in reuolutione in loco Veneris Natiuitatis, & cum aliquo Veneris aſpectu ex cauſa Venerea dat ægritudinem, vel ex repletione cibi, & potus.

Venus in domo quinta cum quadrato, aut oppoſitio Saturni morbum decernit ex Venereis, aut gonorrheam, aut aliud.

Mercurius & Mars potentes in reuolutione cum Cauda Draconis, vel tribuunt diſſenteriam, vel ægritudinem melancholicam.

Dominus Aſcendentis radicis cum Cauda Draconis, & in reuolutione oppoſitus Lunæ, vel Marti, vel Saturno minatur ægritudinem.

Aſcendens reuolutionis locus Saturni in Natiuitate tribuit febres cum tremore; ſi fuerit in angulo Saturnus, & Aſcendente quartanam; & ſi aſpexerit Martem febrium mutationem ex vna in alteram.

Domini Aſcendentium Natiuitatis, & reuolutionis afflicti à Marte, & Saturno ſemper mala adducunt præcipue in ſexta domo.

Dominus Aſcendentis radicis cum Cauda Draconis, ſicut Luna; & dominus octauæ ex domicilio Saturni, aut Martis aſpiciat Lunam, dant periculum mortis.

Aſcendens reuolutionis locus Martis, vel Saturni Natiuitatis dat ægritudinē.

Saturnus in Leone afflictus à Marte; ſicut Mars, vel Saturnus in Sagitario afflicti dant pericula caſus ab equo.

Mars in decima afflictus dat pericula ex Equo; & in duodecima ex quadrupedibus.

Sol oppoſitus Marti, vel mala decernit in oculis, vel ex Equis.

Benefici combuſti; & malefici aſpiciant Solem de quadrato, vel oppoſito exiſtentem ſupra terram; vel Lunam ſub terram, & Aſcendens minantur mortem, etiam ſi non adſit directio infauſta.

Dominus Aſcendentis, vel Luna in reuolutione in quadrato Martis, aut Saturni vt plurimum minantur ægritudinem.

Dominus Aſcendentis reuolutionis cum Cauda Draconis mala minatur; aliquando periculum materiæ venenatæ.

Dominus Aſcendentis, & Lunam cum Cauda Draconis; & dominus domus octauæ ex loco Partis fortunæ aſpexerit Lunæ minatur pericula mortis.

Iuppiter in domo ſexta in Tauro, aut Geminis, vel in ſigno mobili; Venuſque Ioui applicuerit dolores in gutture minatur experientia ſumma.

In figura cæleſti reuolutionis in qua vnus tantum ſit Apheta, ſeu vitæ ſignificator, & debilis: ſi affligatur à maleficis, & benefici fuerint combuſti, ſæpè decernit mortis periculum, etiam ſi non adſit aliqua directio infauſta Solis, Lunæ, vel Aſcendentis.

Dominus Aſcendentis reuolutionis in ſexta multoties tribuit ægritudinem; ſicut eſt parum fauſtus in domibus, octaua, & duodecima.

Dominus Aſcendentis Natiuitatis maleficus; & in reuolutione fuerit in Aſcendente vt plurimum ægritudinem adducit.

Eclipſis, aut Cometa in Aſcendente; eclipſis in eodem gradu tam Natiuitatis, quam reuolutionis pericula ſemper demonſtrant in Vita.

Eclipſis Solis in eodem gr. Caudæ Draconis mortem minatur, ſi non in eodem gradu periculum.

Arabes hæc produnt circa dominum anni, diuiſorem, & alia.

Dominus anni male conſtitutus, afflictuſque maleficus in Natiuitate in ſeptima; & in reuolutione poſitus in Aſcendente; vel in dicto Aſcendente alter maleficus; mala portendit in Vita.

Dominus anni afflictus conſtitutus in domo ſeptima in oppoſito Lunæ; & in quadrato alterutri malefici, etiam infauſta minatur.

Saturnus anni dominus afflictus à Marte, vel ægritudinem, vel mala decernit pro ratione ſigni in quo fuerit collocatus.

Do-

Digitized by Google

Dominus anni in Natiuitate, & in reuolutione in ſexta, vel ſeptima dat ægritudinem.

Mars dominus anni malè affectus ægritudinem, vel aliud infauſtum producit de ſui natura, vel ex humore cholerico, vel moleſtia Martiali.

Saturnus dominus anni ad locum proprium radicis in Solis diametro ægritudinem parat, idemque ſi fuerit cum Luna, vel Lunæ oppoſito.

Saturnus dominus anni ſub terra iunctus Marti; vel Mars repertus in loco Saturni Natiuitatis etiam minantur ægritudinem.

Dominus anni in ſeptima, ſicut in ſexta præcipuè ſi fuerit Planeta maleficus, & affligens aliquo pacto Lunam.

Dominus anni combuſtus, malè affectus, & in domo cadente in Natiuitate; & in reuolutione fuerit afflictus, minatur ægritudinem, vel alia infauſta, vt carceres, & ſimilia.

Diuiſor beneficus in Natiuitate, & reuolutione afflictus abſque auxilio alterius benefici, impeditus a maleficis, ſicut Luna, aut dominus anni in ſexta, vel octaua minatur periculum mortis.

Saturnus diuiſor, & ipſe, & Mars impedientes locum diuiſionis abſque auxilio beneficorum afferunt vitæ periculum.

Saturnus dominus anni, aut diuiſor paſſiones affert melancholicas, & mala ex redundantia humoris frigidi.

Mars, & Saturnus potentes in reuolutione, & ſe reſpicientes de quadrato, vel oppoſito, vel ægritudinem, vel aliud infauſtum minitantur.

Dominus anni beneficus; & in reuolutione ex maleficis alter in prima, alter in ſeptima, & Luna aliquomodo affligatur decernunt damna ab inimicis, & vitæ diſcrimina, ſi non aderit auxilium beneficorum.

Dominus anni maleficus in Natiuitate in ſeptima; & in reuolutione affligat Lunam; & vnus maleficus ſit in Aſcendente mala demonſtrat plurima.

Dominus anni reſpiciens Aſcendens quadrato, vel oppoſito mala etiam minatur.

Dominus anni afflictus in domo ſeptima, vel ægritudinem minatur, vel aliud infauſtum, aliquando itinera infortunata, exilium, & ſimilia.

Mars dominus anni in loco radicis, in angulo, vel ſuccedente domo reuolutionis tribuit infortunia à Martialibus, vel periculum captiuitatis.

Mars dominus anni afflictus mala infert à latronibus, vel inimicis; vel periculum calidæ ægritudinis.

Mars dominus anni combuſtus tribuit rixas, lites, anxietates.

Venus domina anni combuſta mala decernit in mulieribus, vel earum cauſa.

Mercurius dominus anni combuſtus mala ſemper affert in ſignificatis Mercurialibus.

Profectio Aſcendentis ad Saturnum; & adſit quadratus, vel oppoſitus radius Martis tribuit penuriam victus, moleſtias, iniurias, damna.

Profectio Aſcendentis ad Martem, cum Martis communicantia cum Aſcendente reuolutionis minatur pericula Martialia ex igne, ferro, exilia, carceres, ab equis.

Aſcendens profectione ad ſecundam; Saturnus in quarta; & dominus Aſcendentis reuolutionis in octaua minatur captiuitatem, vel ſimili infortunia.

Aſcendens profectione ad quartam, vel ſeptimam; & hæ domus à maleficis affligantur, ſi luminare conditionarium fuerit afflictum periculum mortis minatur.

Maxime attendendum eſt ſi in reuolutione incidat aliqua ſignificatio eorum qui non nutriuntur, poſita capite proprio; nam mala minabitur magna.

DE ANIMI PROPENSIONIBVS, ET QVALITATIBUS. Cap. XXVII.

PRo animi propenſionibus in figura cæleſti erecta tempore anni reuolutionis non ſecus ac aſſolet in Natiuitate, conſiderandus eſt ſtatus Mercurij, & Lunæ, vt dominantium cerebri potentijs ſenſitiuæ, & intellectiuæ; quo pacto videlicet inter ſe ſint complicati, in quibus locis, ſignis cæleſtibus, Planetarum dignitatibus conſtituti; & cum quibus Planetis fuerint coniuncti, aut alio modo configurati; Si enim fuerint ſimul iuncti, vel ſextili radio, aut trino ſe reſpexerint in angulis, vel ſuccedentibus benè affecti à Planetis beneficis, concordiam exteriorum ſenſuum cum interioribus indicabunt, & optimam diſpoſitionem, hinc diſcurſus, & ingenij ſubtilitatem, & bonitatem; moreſque animi, & qualitates laudabiles: Si è contra fuerint in coniuncti, vel Mercurius, & Luna ſe reſpexerint de quadrato, aut oppoſito in domibus cadentibut malè affecti diſcordiam eorumdem ſenſuum oſtendent, moreſque deteſtabiles.

Si in figura reuolutionis facto ſcrutinio Mercurius fuerit validior Luna, eo anno virtus rationalis vincet ſenſitiuam, & ſenſus obedient rationi: Et contra ſi Luna fuerit validior ſenſitiua vincet intellectiuam, & ſenſus dominabitur rationi.

Mercurius retrogradus tarditatem tribuit ingenij, & in omnibus torpedinem, præcipuè in ſcientijs, & actionibus; è contra directus, & cæteris motus. Combuſtus non eſt fauſtus pro diſciplinis, quamuis optimus pro actionibus, & hiſtorica. Orientalis producit animum liberum, occidentalis ſimulatorem.

Cæterum particulares propenſiones decernuntur ex Planetis, quibus Luna, & Mercurius coniunguntur, vel radijs aſpiciunt, vel ſunt eorum dignitatibus; vt.

Mercurius beneficè communicans cum Saturno tribuit Nato ſolertiam, induſtriam curioſitatem, & actiones regendas prudentia, & conſilio; ſi Mercurius fuerit maleficè applicatus Saturno, vt radio quadrato, aut oppoſito, vel alio modo Natum decernit eo anno pigrum in actionibus, inuidum, triſtem, & propenſum ad labores & mala.

Mercurius cum Ioue, vel eius Antiſcio, vel ſextili aut trino tribuit Nato integritatem, bonos mores, bonitatem ingenij, & conſilij, claritatem in opificio, propenſionem ad res ſacras, deuotionem, & virtutes morales; in aſpectibus Iouis maleficis parum detrahitur ex ſua beneficentia.

Mercurius cum Martis ſextili aut trino tribuit audaciam, promptitudinem caliditatem, fortitudinem, aptitudinem ad negotia; Cum copore, quadrato, oppoſito, Antiſcio, vel Contra Antiſcio Martis inclinat ad contentiones, rixas, rapinas, & ſimilia ſpernenda.

Mer-

Mercurius communicans cum Sole dat elationem, amorem gloriæ, & ſimilia.

Mercurius cum Veneris coniunctione, vel radio ſextili, aut trino ad voluptates propellit, amicitias, negotia muliebria ſingula. In quadrato, vel oppoſito Veneris tribuit diſplicentias, & infortunia ex ſignificatis Venereis.

Mercurius communicans cum Luna inclinat ad itinera, merces, tractatus cum fœminis, plebe, & ſimilibus.

Eodem modo. Luna in reuolutione applicata Saturno, vel in domicilio Saturni reddit Natum intentum rebus Saturninis propitiè vel improſperè pro eorum bona, aut mala conſtitutione; Natum decernit tardum, lentum in omnibus, animo triſti, & vita laborioſa.

Luna communicans cum Ioue tribuit in omnibus moderationem, amicitias magnatum, hilaritatem, mores moderatos, fortunam in diuitijs, filijs, & reliquis.

Luna cum Martis complicantia propellit ad itinera, labores, & ſignificata martialia.

Luna cum Veneris communicatione iucundum affert tempus, voluptates omnis generis, amicitias, & muliebria negotia.

Luna cum Mercurij communicantia tribuit induſtriam, Natum intentum Mercurialibus, negotijs, mercibus, ſcripturis, ſcientijs.

Aſcendens reuolutionis locus Mercurij Natiuitatis intellectus decernit acumen, ſenſuumque optimam diſpoſitionem.

Ex Arabibus mores diſtinguuntur ſecundum naturam domini anni in reuolutione conſiderando eius vires; & his.

Saturnus dominus anni ſignificat, inertiam, metum, ſtultitiam, ſeruitutem, iniuriam, mendacia, triſtitiam, inuidiam, mala cordis voluntatem.

Iuppiter legem, fidem, ſcientiam, humilitatem, verecundiam, fidelitatem, patientiam, liberalitatem, hilaritatem, deuotionem, bonoſque mores.

Mars caliditatem, iracundiam, prodigalitatem, violentiam, rapinas, lætitiam, inuerecundiam.

Sol fortitudinem, potentiam, probitatem, ſublimitatem, ambitionem.

Venus pietatem, humilitatem, voluptatem, amorem, lætitias, effeminationem.

Mercurius mercaturam, loquelam, intellectum, velocitatem ſermonis, hiſtoriarum recitationes, ſcientias, præcipuè Mathematicas.

Luna domina anni tribuit inceſſum grauem, debilitatem, ſuſurrationes, itinera.

Alij eiuſdem ſectæ ſignificata qualitatum animi, & morum, ſumunt ex qualitate domini Aſcendentis, & ſigni Aſcendentis: hoc pacto.

Saturnus dominus Aſcendentis reddit Natum timidum, auarum, inuidum, triſtem, & aliarum qualitatum Saturni, quas libeat alibi exquirere.

Iuppiter inclinat ad religionem, honores, deuotionem, virtutes morales, & diuitias.

Mars dat rapacitatem, crudelitatem, fortitudinem,

Sol ſeueritatem, triſtitiam, ſuperbiam.

Venus, laſciuiam, amores,

Mercurius ſapientiam.
Luna itinera, volubilitatem, inconſtantiam.
Aries in Aſcendente decernit Natum affligi à timore mortis.
Taurus, quod Natus ægrotabit ex luxu, vel repletione.
Gemini. Secreta perquiret, & Mathematicis incumbet.
Cancer reddit Natum amatorem ſtudiorum, & rerum publicarum.
Leo reddit ſuperbos, triſtes.
Virgo tribuit amores honorum.
Libra dat pericula ratione gulæ.
Scorpius dat peruicaciam, & ægritudines ratione cogitationum.
Sagittarius dat ſollicitudines ratione ædificiorum.
Capricornus dat eaſdem pro pecunijs, & mobilibus bonis.
Aquarius decernit Natum maledicum, & malorum morum.
Piſces dant elationem, & ſuperbiam.

Ex Aphoriſmis in hac materia, qui produntur in Natiuitatibus poſſunt in reuolutione etiam obſeruari felici ſucceſſu.

Luna in reuolutione reperta in trino Veneris aſpectu pollicetur eo anno fortunam, & lætitias ex Venereis ſignificatis.

Venus reſpiciens Iouem, & in bono ſtatu dat etiam ſimilia ex Venereis.

Venus in quinta dat propenſionem ad voluptates, & fauſtat ſignificata filiorum.

Aſcendens reuolutionis locus Lunæ Natiuitatis bona animi impartitur.

Boni Planetæ in quinta dant in corde lætitiam; malefici triſtitiam.

Venus in Leone afflicta à Marte dat inclinationem ad Venerea, & amoris illecebras, voluptates cum animi affectionibus.

Dominus Aſcendentis radicis in ſexta, vel duodecima reuolutionis ſignificat actiones abſque prudentia, & conſilio.

Dominus anni benè affectus ſicut domini Aſcendentium Natiuitatis, & reuolutionis, ſignificant commutationem ſtatus Nati in melius, alacritatem, & lętitiam. Si verò hi domini fuerint malè affecti è contra in męſtitias, & deterius.

Dominus anni in ſexta, aut duodecima dat moleſtias ratione carceris, vel carceratorum.

Dominus anni cadens, & Luna curſu vacua demonſtrant inertiam, & laſſitudinem in omnibus.

Profectio Aſcendentis ad Caput Draconis, vel ad Iouem; vel ad Caput cum aſpectu Iouis tribuit cordis lætitiam.

Saturnus dominus anni, & profectionis Lunæ dat animi curas, ſollicitudines, variaſque turbationes; maximè verò ſi Saturnus fuerit combuſtus.

Saturnus in Medio Cæli, vel Mars dant otium, ſegnitiem, ſocordiam.

Profectio Aſcendentis ad Mercurium, & Mercurius conueniat cum Venere, & Ioue, ſignificat ingenij perſpicacitatem, & ſpeculationem ſublimem.

Mars dominus Aſcendentis reuolutionis in quinta, vel vndecima, & in earum radio ſextili, vel trino tribuit hilaritatem, voluptates, gaudia cum amicis, fratribus, & ſodalibus, & ſperata.

Eodem modo in eiſdem domibus, vel radijs Venus domina Aſcendentis.

DE DIVITIIS. Cap. XXIIX.

RAtionalis Aſtrologiæ quilibet profeſſor exactiſſimum poterit condere prognoſticum de Nati diuitijs in annis reuolutionis,ſi precepta obſeruauerit, quæ capite de diuitijs colligimus in Natiuitatibus; conſiderando nempe Partem fortunæ, domum ſecundam, earum Planetas diſpoſitores; nec non Iouem naturalem diuitiarum ſignificatorem, facto tamen generali, ac diligenti parallelo,ſeù comparatione inter vtraſque figuras cæleſtes Natiuitatis,& reuolutionis hoc ordine ſeruato in iudicio.

Si ex Natiuitatis figura felix generalis ſtatus diuitiarum colligitur ex conſtitutione dictarum Partis fortunæ, ſecundę domus; & ex earum dominis, & Ioue; & dicta loca in reuolutione fuerint fortunata, ſpectabilis diuitiarum ſtatus eo anno decernetur, & eò maximè ſi Pars fortunæ, domus ſecunda, vel Iuppiter tunc directione in beneficum aliquem locum impinxerit. Si in reuolutione mediocris fortuna conſpicietur circa diuitias; huic mediocritati vis Natiuitatis tribuet incrementum, & etiam aliqua ſuccedent fauorabilia circa ſtatum diuitiarum; Si tandem conſtitutio aliqua praua adfuerit in reuolutione decernens damna, diſpendia, & diuitiarum iacturas ex directione alicuius loci ex prædictis ad maleficos, vel ex infauſta poſitura Partis fortunæ, ſecundæ domus, earum diſpoſitorum, & Iouis; quamuis damna adfuerint, non magna contingent auxiliante conſtitutione generali in Natiuitate,

Si ex eadem Natiuitatis figura parum proficuus ſtatus decernitur diuitiarum; etiam ſi in reuolutione magna demonſtrentur ex dictorum locorum felici conſtitutione, non, vt demonſtrantur, ſuccedent tanta, cum aliqua difficultentur, aliqua euaneſcent ex potenti poſitura Natiuitatis generali. Si in reuolutione conſtellatio diuitiarum fuerit mediocriter felix,vtilia nulla contingent, & potius difficultates, & implicationes; ſi in reuolutione tandem diuitiarum ſtatus conſpicitur ſimilis Natiuitati dubitandum de detrimentis, diſpendijs, & infortunijs eo anno.

Cæterum ſi Pars fortunæ in figura reuolutionis fuerit in angulis, vel ſuccedenti in beneficorum Iouis, aut Veneris dignitatibus, & aſpectibus; ſine noxa Saturni, aut Martis; ſic eius dominus honorabili loco conſtitutus, in aliqua ex ſuis dignitatibus, orientalis, in Apogeo, non combuſtus, nec alio modo afflictus à maleficis, optimum eo anno ſtatum diuitiarum pollicentur, præcipuè ſi domus ſecunda, eius diſpoſitor, & Iuppiter fuerint benè affecti, nec à maleficis infeſtati. E contra ſi eadem Pars fortunæ, & eius dominus fuerint debiles in locis deiectis cum noxa maleficorum ſine Iouis, aut Veneris auxilio, ſicut domus ſecunda, & Iuppiter malè diſpoſiti, diuitiarum ſtatum damnis expoſitum, & diſpendijs demonſtrabunt;præcipuè ſi eo anno directiones, profectiones, & tranſitus accident Partis fortunæ, ſecundæ domus earum diſpoſitorum, & Iouis ad maleficos.

Particularia ex his colliguntur, & ingenij perſpicacitati coniunctis.

Primo iudicium colligendum eſt ex directionibus, quæ illo anno in hac materia diuitiarum contingent Partisfortunæ, ſecundæ domus, earum diſpoſitorum, & Iouis, ex ingreſſibus, tranſitibus, & etiam profectionibus, quamuis

debi-

Digitized by Google

debilibus. Ex Aphoriſmi, deinceps ab antiquis obſeruatis deueniendum, quorum aliqua ſelegimus.

Parsfortunę in reuolutione in eodem loco Natiuitatis proſpera in diuitijs decernit, vel infauſta prout erat in Natiuitate ſignificatrix.

Parsfortunæ cum benefico aſpectu ſui diſpoſitoris, bonum ſtatum sẽper tribuit in diuitijs; e contra in aſpectu prauo dicti diſpoſitoris damna minatur.

Adducit propitia in diuitijs Parsfortunæ reperta in reuolutione in loco vbi in Natiuitate fuerat aliquis beneficorum Iuppiter, aut Venus.

Parsfortunæ in radio trino Solis ſemper pollicetur diuitias, & bona à Magnatibus; idem ſextili licet debilius.

Parsfortunæ in domo prima, aut ſecunda decernit Nato diuitias acquirendas ſuo labore, actionibus, & induſtria.

Parsfortunæ benè affecta in octaua pollicetur diuitias cauſa mortuorum.

Domini Parsfortunæ, & ſecundæ domus fortes benè affecti, nec leſi à maleficis diuitias tribuunt, & ratione eorum, quæ ſignificat, vt Saturnus cauſa ſtabilium, hæreditatum, mortuorum, nauigationum, negotiationum, & perſonarum de natura Saturni, ſeniorum, & aliorum quos alibi numerauibus. Iuppiter cauſa religionis, rei Eccleſiaſticæ, ex honoribus, Præfecturis, Magiſtratibus, Principibus, perſonis Eccleſiaſticis, & alijs Iouialibus. Mars ex martialibus, bello, negotijs publicis, adminiſtrationibus, litibus, ludis, itineribus, atque ex perſonis Martialibus. Sol ex honoribus, Principibus, Patre. Venus cauſa fæminarum, amicorum, donationibus, dote. Mercurius ex mercibus, negotijs, actionibus, opificio, ſcripturis, litibus, fratribus minoribus, ſeruis. Luna cauſa fæminarum, plebis, itinerum, & ſignificatorum à Luna. Si fuerint hi domini è contra malè affecti noxia decernent in diuitijs, ex ſuis dictis ſignificatis.

Iuppiter benè affectus diuitias ſemper elargitur, & cum radio Veneris tribuit etiam patrimonij augmentum, ſicut cum complicatione benefica Saturni.

Iuppiter in ſecunda, vel octaua in ſuis dignitatibus hæreditates, & ab inſpẽtato multoties affert diuitias, lucraque ſine labore.

Iuppiter, & Venus in ſecunda vt plurimum dant diuitias, ex Eccleſiaſticis; & cauſa religionis.

Venus domina Partisfortunæ, vel ſecundæ domus in octaua diuitias decernit cauſa fæminarum, & dotis; ſicut domina ſeptimæ domus conſtituta in ſecunda.

Mercurius dominus Partisfortunæ, vel domus ſecundæ fortunatus in Aſcẽdente diuitias impartitur ex proprijs actionibus, & labore, & multoties etiam nec dominus illorum locorum.

Luna cum radio Iouis vbicumque conſtituta, vel iuncta Ioui, vel Iouis domicilio; ſemper diuitias elargitur, præcipuè verò in domo ſecunda. Sic Luna coniunctu Partifortunæ.

Dominus Aſcendentis applicatus domino ſecũdæ domus dat diuitias labore Nati, Natumque reddit intentum diuitijs acquirendis.

Dominus Aſcendentis non applicatus domino ſecundæ reddit Natum parum intentum diuitijs acquirendis.

Planeta peregrinus in ſecunda Natiuitatis repertus in Aſcendente reuolutionis

nis

nis diuitias ex rebus ſperatis decernit. Si reperiatur in tertia ex conſanguineis, itineribus Eccleſiaſticis; In quarta ex Antenatis, Patre; ſtabilibus, In quinta ex legationibus, negotijs commiſſis, ſcripturis, filiis, & ſic in aliis domibus pro earum ſignificatis.

Aſcendens locus Iouis radicalis ſemper fauet diuitiis, præcipue ſi in reuolutione aſpiciat Aſcendens.

Saturnus in ſuis dignitatibus in octaua tribuit diuitias cauſa hæreditatum.

Planetæ in domo ſecunda reddunt Natos intentos diuitijs cumulandis.

De dominis Partisfortunæ, & ſecundę domus tribuuntur hæ obſeruationes.

Domini Partisfortunæ, & domus ſecundę in Aſcendente dant diuitias ex actionibus, opificio, & laboribus Nati.

In domo ſecunda diuitias tribuunt ex ordine ſuarum rerum, ex proprijs ſubſtantijs, mercaturis, ex proprijs denarijs, & huiuſmodi.

In tertia ex fratribus, conſanguineis, itineribus, vel parte Eccleſiaſtica.

In quarta ex ſtabilibus, hæreditatibus, Patre, Antenatis.

In quinta cauſa filiorum, voluptatum, ſcripturarum, legationum, negotij commiſſi, & ſimilium.

In ſexta ex Patruis, familia, animalibus paruis, Medicinæ ſcientia.

In ſeptima ex bello, contentionibus, litibus, inimicis publicis, fæminis, dote, vxore.

In octaua ex hæreditatibus; bonis vxoris, mortuis.

In nona ex ſcientiis, itineribus longis, parte Eccleſiaſtica, religione.

In decima ex opificio, actionibus, Magnatibus, honoribus, dignitatibus.

In vndecima ex amicis, ſodalibus, ſtipendiis Principum, rebus ſperatis.

In duodecima ex inimicis, carceratis, animalibus maioribus.

Quæ ſingula intelligantur ſi domini dicti Partisfortunæ, & domus ſecundę fuerint benè affecti in ſuis dignitatibus, & aſpectu beneficorum; liberi à maleficorum coniunctionibus, aut eorum radiis maleficis; cum afflicti à maleficis ſine auxilio beneficorum contraria decernant.

Aphoriſmi obſeruati, qui militant etiam in Natiuitatibus.

Sol in ſecunda dat diſpendia cauſa honorum, & magnaminitatis, ſicut inanis gloriæ.

Saturnus combuſtus vbicumque conſtitutus damna adducit in ſuis ſignificatis, ſtabilibus, patrimonio, hæreditatibus, cauſa mortuorum, nauigationibus, negotiationibus, furtis; præcipuè verò ſi in reuolutionibus fuerit in ſigno Natiuitatis; idem decernit, ſi fuerit dominus anni ex Arabibus.

Saturnus in octaua in ſuis dignitatibus bona pollicetur cauſa hæreditatum; extra ſua dignitates decernit anxietates circa res hæreditarias.

Saturnus retrogradus in Leone dat damna multoties propter Equos.

Mars in ſecunda dat diſpendia, & damna ex cauſis Martialibus, rixis, litibus, furtis, latronibus, ludis.

In Medio Cæli reuolutionis Saturnus, & mala tribuit diſpendia, nec vlla vtilia illo anno, ſicut in ſecunda.

Cauda Draconis in ſecunda ſemper affert damna, & difficultates in diuitijs.

Saturnus retrogradus in quarta tribuit moleſtias ex cauſa rei hæreditariæ.

Do-

Digitized by Google

Dominus Vndecimæ in octaua, etiã tribuit implicationes circa hæreditates.

Dominus nonæ Natiuitatis in ſecunda reuolutionis dat diſpendia, pro qualitate Planetæ; Si Mars ex ſuis ſignificatis Martialibus ſupradictis; Venus cauſa voluptatum, & fœminarum; Mercurius ex negotijs, litibus, mercibus, Iuppiter ex Magiſtratibus, Eccleſiaſticis, Principibus, Saturnus ex ſuis ſignificatis, ſicut Sol ex Principibus, & cauſa honorum.

DE STATV HONORIS. Cap. XXIX.

QVemadmodum cap. præcedenti de Diuitijs diximus, eodem modo prognoſticum exactè condi poterit de ſtatu honoris, & dignitatis in reuolutione, ſi præcepta obſeruentur allata capite eodem de honoribus in figura Natiuitatis; conſiderando nempe ſtatus luminarium ex quibus omnes dignitates, & exaltationes proficiſcuntur, Medij Cæli, ſui diſpoſitoris, & Iouis; an ſcilicet horum ſtatus fuerint felices, an improſperi, ex quibus prodit iudicium.

Primò tamen videndum eſt, ſi anno reuolutionis adſit aliqua directio benefica, vel malefica Solis, Medij Cæli, & eius domini, vel Iouis; quæ loca honores decernunt, ſicut eorum profectiones, ingreſſus, & tranſitus; quæ ſingula agunt circa honores, hæc enim maximè conſideranda ſunt, cum eo anno effectus ſint expectandi; improſperi quidem, ſi directiones, profectiones, & alia fuerint ad maleficos, propitij, ſi ad beneficos iuxta eorum ſignificata.

Conſiderandus eſt deinceps maximè locus Solis in reuolutione, an fuerit in angulo, vel ſuccedente, cum Satellitijs, ſeu Planetis propinquis ad gradus triginta per coniunctionem, vel per aſpectum, ſi fuerit iunctus Veneri, aut Ioui, aut in eorum Antiſcio, vel radio ſextili, aut trino; tunc enim annum honorificum decernet, & Natum cum honoribus annum illum protracturum; Si verò Sol fuerit in domo cadente non ſtipatus Planetis, nec cum radijs beneficis Iouis, aut Veneris, verùm aliquo pacto afflictus à Marte, vel Saturno, humilem ſtatum in honoribus eo anno ſignificabit. Simile ſcrutinium eſt peragendum in Medio Cæli reuolutionis, eius dominante Planeta, atque in Ioue; ſi enim Medium Cæli fuerit dominatum à beneficis, & irradiatum à beneficis ſine noxa maleficorum, dominus dicti Medij Cæli, & Iuppiter in bono cæli domicilio in ſuis dignitatibus, orientales, in Apogeis, non combuſti, nec afflicti à maleficis, honores, & exaltationem oſtendent; Si Medium Cæli in viribus maleficorum, & radijs maleficis; & eius dominus, & Iuppiter debiles, peregrini, cadentes, in Perigeis, & alio modo afflicti, annum oſtendent abſque honoribus, & improſperum. His generalibus obſeruatis, vtendum pro prognoſtico ab Antiquioribus his relictis.

Sol in reuolutione in Medio Cæli, Aſcendente, vel Vndecima benè affectus in ſuis dignitatibus cum aliquo radio Iouis, aut Veneris, liber, à maleficis honores, exaltationem, gloriam, laudeſque impartitur, etiam ſi eo anno non adfuerit aliqua directio illa ſignificans.

Sol in tertia benè affectus tribuit officium, & adminiſtrationes à Principe.

Sol in quinta dat negotia ardua commiſſa, & benè conſtitutus legationes.

Luna fortunata in Aſcendente, decima, vel tertia in nocturna Genitura ho-

nores

Digitized by Google

nores ſemper impartitur; In quinta legationem; In quarta proſperitatem in actionibus; In Vndecima honores, & bona à Magnatibus, & rerum ſperatarum conſequutionem.

Iuppiter in Aſcendente in ſuis dignitatibus ♓ ♋ ♐ pro qualitate perſonæ ſemper honores demonſtrat. Meliora affert in Medio Cæli; & in quinta honores cum legatione.

Iuppiter in angulis, vel Vndecima dat honores, & authoritatem apud Principes.

Aſcendens reuolutionis ſimilis radicis propitiat exiſtimationem.

Aſcendens reuolutionis decima radicis; Vel decima reuolutionis Aſcendens radicis experientia fauent honoribus.

Mercurius in reuolutione in loco Natiuitatis Iouis honores tribuit à Magnatibus.

Dominus Medij Cæli Natiuitatis, vel reuolutionis in Aſcendente fauet honoribus.

Aſcendens reuolutionis locus Capitis Draconis cum aliquo teſtimonio Iouis magna ſemper adducit in honore.

Aſcendens reuolutionis locus Solis bene affecti cum teſtimonio benefici fouet honores.

In Aſcendente, vel Medio Cæli ſtella regia fixa dat honores extra Nati conditionem præcipuè cum auxilio Iouis, aut Veneris.

Planetæ benefici in Medio Cæli ſemper tribuunt honores.

Aſcendens reuolutionis locus Iouis radicalis; & in dicto Aſcendente, vel Iuppiter, vel eius Antiſcium, aut radius ſextilis, aut trinus pollicetur honores, diuitias, aliquando filium in ſubiecto proportionato.

Profectiones Aſcendentis ad Iouem, Solem, Venerem, eorum radios beneficos, & ad Caput Draconis ſunt fauſtæ pro honoribus.

Sic profectiones Solis, & Medij Cæli ad Iouem.

Mercurius dominus Anni cum Marte, vel Martis ſextili, aut trino, vel Antiſcio tribuit officium, & authoritatem.

Dominus anni, Aſcendens reuolutionis, & Luna liberi à maleficis, bene affecti annum ſtatuunt honorificum.

Dominus Aſcendentis reuolutionis in decima, vel vndecima fouet exiſtimationem.

Conſtituti benefici ſub terra; Saturnus, & Mars in decima, & vndecima, ſi fuerint potentes in Aſcendente, vel Medio Cæli reuolutionis minantur mala in principio anni, & difficultates; quamuis in fine bona ſperanda.

Sol infortunatus ſemper tribuit difficultates, & oppoſitiones in honoribus.

Sol in quadrato, aut oppoſito Aſcendentis, vel Medij Cæli reuolutionis adducit difficultates, & labores ex parte Principis, aut Patris, vel alterius Potentis ſupra Natum.

Sol cum Luna ſignificat ammiſſionem aliquam in dignitate habita tunc temporis.

Sol in ſeptima adducit controuerſias, & litigia, difficultateſque.

Sol in duodecima mala ſemper minatur, vel in exiſtimatione, vel Vita, vel Patre.

Sol

Sol in oppoſito Lunæ tribuit inſidias fæminarum, & ſimilia, vt plebis.
Sol malè affectus decernit Natum nihil boni poſſe adipiſci illo anno, niſi difficulter.
Iuppiter malè affectus ſemper nocet, & difficultat; cum ſignificet honores.
Dominus Medij Cæli Natiuitatis in ſeptima reuolutionis dat contentiones apud Magnates ob negotia, lites, & ſimilia.
Dominus Medij Cæli Natiuitatis, vel reuolutionis infortunatus dat depreſſionem.
Dominus Medij Cæli reuolutionis in octaua dat timores, & mœrores à Principibus.
Aſcendens reuolutionis ſeptima radicis tribuit, rixas, & litigia, ac contentiones.
Aſcendens locus Solis infortunati mala tribuit in exiſtimatione, & actionibus experientia; quamuis aliter alij contendant.
Mercurius dominus anni combuſtus, vel malè affectus mala adducit, & difficultates in actionibus.
Generaliter domini Medij Cæli, vel Aſcendentis tam Natiuitatis, quàm reuolutionis malè affecti ſemper difficultates, & mala adducunt, & diſplicentias.
Dominus Natiuitatis in ſexta, vel duodecima reuolutionis mala inopinata adducit aliquando carceres, & ſimilia infortunia, vel non optimam valetudinem.
Profectiones Solis, Iouis, Medij Cæli, & domini Medij Cæli ad maleficos ſemper, vel nocent honoribus, vel ſaltem difficultant; è contra ad beneficos.
Malefici aſpicientes quadrato, aut oppoſito Solem, Iouem, vel Medium Cæli, vel dominum Medij Cæli ſemper ſunt obnoxij honoribus.

DE PARENTVM STATV. Cap. XXX.

PRo Parentibus in filij Natiuitate diurna conſiderandus eſt Sol pro Patre, & Venus pro Matre; in nocturna verò Saturnus pro Patre, pro Matre Luna; inſuper Cæli medium pro Matre, & domus quarta pro Patre; & pro horum ſtatu benefico, aut malefico de Parentum ſtatu iudicium afferendum.
Primò conſpiciendum eſt ſi in anno reuolutionis accidat aliqua directio ſignificatorum Patris Solis, vel Saturni pro ratione Natiuitatis diurnæ; aut nocturnæ; pro Matre Veneris, aut Lunę; ſicut aliqua directio Medij Cæli pro Matre, & quartæ pro Patre, quæ eſt eadem numero, & oppoſita cum illa Medij Cæli; & iudicandum ex dicta directione pro ſtatu Parentum proſpero, vel aduerſo prout directio fuerit fauſta ad beneficos, vel improſpera ad maleficos; quod idem obſeruandum, ſi profectiones, ingreſſus, & tranſitus eo anno contingant benefici, aut malefici circa eoſdem ſignificatores.
Si deinde ſignificator Patris fuerit Sol, & repertus in angulo, vel ſuccedente liber à maleficis fuerit in aliqua ex ſuis dignitatibus iunctus Veneri, aut Ioui, vel in eorum radio ſextili, aut trino; ſicut ſi ſignificator Saturnus fuerit in ſuis dignitatibus, orientalis, in Apogeo, nec combuſtus nec afflictus à Marte; Status Patris bonus inſtituetur in optima valetudine, & honoribus. Si è contra

tra ijdem Saturnus, vel Sol fuerint malè affecti abſque auxilio Iouis, aut Veneris cum radio maleficorum, vel alio modo afflicti decernent malum ſtatum Patris in ſingulis. Eodem pacto ſi quarta domus fuerit bene affecta in dignitatibus beneficorum, & in ea benefici, vel eorum radij, & bene affectus eius dominus ſimiliter bona Patri decernent; ſicut è contra mala ſi in quarta fuerint malefici, vel eorum radij malefici; & quartæ domus fuerit dominus maleficus, mala Patri portendent.

Eodem modo coniectandum pro ſtatu Matris; ſi enim Venus, vel Luna ſignificatrix fuerit in bona cæli ſtatione, in ſuis dignitatibus cum aliquo Iouis aſpectu, nec ſub radijs, nec à maleficis afflicta; & medium Cæli in dignitatibus, & radijs beneficis Iouis, Matris bonum ſtatum demonſtrabunt; Si verò fuerint peregrinæ, cadentes, à maleficis afflictæ, ſicut medium Cæli in dignitatibus, & radijs, vel coniunctione maleficorum Matris infauſtum ſtatum oſtendent.

His generalitatibus addendæ ſunt pro iudicio obſeruationes Antiquorum, quarum aliquas ſelegimus.

Mars, & Saturnus, vel alter eorum in medio Cæli conſtitutus Matri periculum adducit, & eò magis ſi Luna, vel Venus fuerint à maleficis afflictæ.

Mars, & Saturnus, vel ſimiliter eorum alter, in quarta nocent Patri, præſertim ſi Patris ſignificator fuerit male affectus.

Sol in domo quarta cum Saturno minatur mortem Patris, vel aliud infortunium.

Luna in quarta cum Saturno, vel Marte dat mala in vita Matris, & alia ſemper infortunia.

Sol, vel Luna malè affecti in ſeptima, vel quarta minantur mortem Patris, aut Matris, vel ſtatum eorum improſperum.

Luminaria cum maleficis in reuolutione ſemper nocent Parentibus generaliter.

Luna, & Venus in ſeptima in quadrato, aut oppoſito Saturni mala Matri decernunt.

Dominus quartæ afflictus à domino Aſcendentis infauſta Patri minatur, vel patrimonio.

Dominus quartæ cum domino Aſcendentis, vel in eius radio ſextili, vel trino bona Patri pollicetur, & patrimonio.

Saturnus in octaua ſignificat Patrem anxium, & Natum cauſa mortuorum, vel hæreditatis.

Saturnus, & Sol in angulis, ſi inter eos non adfuerit radius quadratus, aut oppoſitus, bona Patri pollicentur in Vita, & honoribus.

Omnia tandem reducuntur pro ſtatu Patris laudabili, quod Saturnus, Sol, domus quarta, & eius dominus ſint feliciter conſtituti liberi à maleficis. E contra pro infauſto, malè affecti.

Sic benè affectæ Luna, & Venus, & medium Cæli, atque eius dominus pro propitio ſtatu Matris; ſicut pro infauſto malè affecta hæc loca.

DE FRATRIBVS, ET SORORIBVS.
Cap. XXXI.

SPeculationem iniji Ptolemæus de fratribus, & ſororibus, ex figura Matris extracta ex filij Geneſi, conſtituendo in Aſcendente Venerem in Genitura diurna, & Lunam in nocturna; & ex hac figura Matris conſiderando domum decimam pro fratrum productione, vel denegatione, ſexu, vita, fortuna, honoribus, & ſingulis ad hanc partem ſpectantibus, vt ſuo loco diſſeruimus, loquendo ſolum de fratribus ex eadem Matre ortis.

Alia ſchola pro fratribus conſiderat domum tertiam, & eius dominum; Martem pro maſculis, Lunam pro fæminis, & fæliciori obſeruatione. Hac via in anni reuolutione hoc modo de eorum ſtatu coniectandum.

Si tertia domus fuerit in dignitatibus Iouis, vel Veneris; & inibi vel fuerint hi Planetæ, vel eorum radij benefici; abſque noxa maleficorum, Status fauſtus illo anno decernitur in fratribus; eodem modo ſi dominus tertiæ conſtitutus in angulo, vel ſuccedenti fuerit in ſuis dignitatibus potens cum beneficis, vel eorum radijs liber ab infortunijs; & Mars, & Luna etiam benè conſtituti, applicati beneficis, vel eorum radijs liberi à maleficis, vel combuſtione. Si è contra tertia domus in viribus maleficorum, aut cum maleficis fuerit abſque beneficorum ſuffragio; & eius dominus, Mars, & Luna, & ratione loci, & aliorum fuerint malè affecti ſtatum improſperum fratrum oſtendent; & hæc generaliter.

Pro particulari, infiniti Aphoriſmi obſeruati produntur ab Antiquis, non ſpernendi, quorum aliquos adducimus.

Benefici Venus, vel Iuppiter domini tertiæ domus vel in tertia conſtituti corpore, aut Antiſcio, vel dictam domum intuentes radijs beneficis bonum ſtatum fratrum pollicentur.

Caput Draconis in tertia bona tribuitur fratribus, & conſanguineis.

Dominus tertiæ cum beneficis, vel eorum beneficis radiis, idem.

Dominus tertiæ cum Parte fortunæ dat diuitias fratribus.

Dominus tertiæ in trino vel ſextili Solis tribuit fratribus honores, vel conſanguineis.

Dominus tertiæ benè affectus in quarta, vel in ſextili, aut trino Saturni, pollicetur fratribus diuitias, & bona ex hæreditatibus, aut aliunde.

Dominus tertiæ fortunatus in quinta dat gaudia, fratribus, & lætitias, & aliquando negotia ardua, & commiſſa.

Malefici in tertia radicis ſi fuerint conſtituti in Medio Cæli reuolutionis minantur aliquando mortem fratris, ſi ſignum tertiæ fuerit maſculinum; ſi fæmininum ſororis, & idem decernunt, ſi fuerint in duodecima reuolutionis.

Dominus tertiæ reuolutionis in Medio Cæli multoties eadem minatur.

Infortunæ in tertia mala ſemper afferunt fratribus, vel conſanguineis.

Saturnus, aut Mars dominus tertiæ reuolutionis poſiti in Aſcendente abſque beneficis portendunt implicationes, & moleſtias Natis cauſa fratrum, aut conſanguineorum, aut aliorum loco fratrum.

Mars

Mars malè affectus decernit mala in fratribus, benè conſtitutus bona. Sic Luna in ſororibus, mala, aut proſpera prout fuerit benè, aut malè affecta.

Dominus tertiæ in octaua benè affectus decernit bona fratribus ex rebus hæreditarijs, vel lucro vxorio. *Malè* poſitus tribuit anguſtias, & damna.

Dominus tertiæ in ſecunda dat Nato contentiones cum fratribus, vel affinibus cauſa diuitiarum.

Mars in prauo aſpectu Mercurij, mala tribuit fratribus, & ſæpe cum illis cõtentiones. Idem in loco Mercurij malè affecti.

Cauda Draconis in tertia mala ſemper minatur fratribus; ſic dominus tertiæ cum Cauda.

Dominus ſextæ Natiuitatis in tertia reuolutionis, etiam mala adducit.

Mercurius dominus anni infortunatus à Marte minatur mortem fratris.

Dominus tertiæ in ſexta aliquando dat fratri ægritudinem.

Dominus tertiæ in Vndecimæ bona ſemper fratribus impartitur; & rerum ſperatarum conſequutionem.

Afflicto domino tertiæ domus, ſemper decernitur odium, & contentio inter fratres.

Luna domina tertiæ cum Ioue, aut Venere, vel eorum radijs bona decernit in vita ſororum, & fratrum; afflicta à Marte, aut Saturno mala.

Plura poterunt colligi ex capite de fratribus in Natiuitate.

DE VXORE. Cap. XXXII.

DVplex emergit conſideratio in hac materia, vel enim agitur de Natis vxore carentibus, vel de Natis coniugatis; Vtroque modo examinatur.

Si agatur de primis; Videndum ſi Natus quamuis decenti ætate conſtitutus aliqua conſtellatione prohibeatur ducendi vxorem, vt ſi in eius Natiuitate Luna fuerit ſub Solis radijs afflicta à Saturno, & alijs quas numerauimus capite de Coniugio in Natiuitatibus; ſi non adfuerit, quod prohibeat, & in opere voluntario ſit in Nati arbitrio ducendi vxorem, tunc videndum, ſi anno reuolutionis adſit aliqua directio, quæ inclinet ad coniugium, vt Lunæ, Veneris, vel domini domus ſeptimæ ad corpora, vel radios Iouis, Martis, & aliquando etiam Solis; vel directio *MedijCæli*, vel Aſcendentis ad corpora, aut radios Veneris, vel Lunæ, aut domini domus ſeptimæ; nam manente directione qualibet, ex minima alia cauſa ex infra poſitis poterit parere effectum Coniugii; quamuis hoc ſit opus voluntarium, & aliquando ex extrinſecis cauſis impediatur.

Inclinant. Venus in Natiuitate in ſuis, aut Iouis dignitatibus; & in reuolutione Iuppiter ſit in dicto loco Veneris, vel Veneris Antiſcio, ſextili radio, aut trino; decernit enim, lætitias, gaudia cum mulieribus, & aliquando matrimonium.

Venus in reuolutione ad locum radicalem Iouis ſæpe dat vxorem.

Luna coniuncta Soli cum aliquo radio Veneris, aut Iouis quocumque.

Domini Natiuitatis, & reuolutionis in domo ſeptima.

Directio domini ſeptimæ ad dominum Aſcendentis.

Aſcendens locus Veneris radicalis.

Venus, Luna, Iuppiter, vel Pars fortunæ in ſeptima etiam dant propenſionem ad vxorem.

Dominus Domus ſeptimæ cum Ioue, Venere, vel domino Aſcendentis.

Aſcendens ingreſſu in locum Natiuitatis Veneris.

Venus in Natiuitate cum *Mercurio*, & in reuolutione in ſextili *Mercurij* gaudia tribuit ex Venereis, cum amica, & aliquando vxorem.

Iuppiter cum radio Veneris, & Lunæ, etiam ſi non ſit in ſeptima.

In *Medio* Cæli Venus in ſuis dignitatibus.

Venus iuncta Lunæ in dignitatibus Iouis, aut Veneris.

Plures alij Aphoriſmi circumferuntur, omnes tamen contendunt bona pro coniugio ſucceſſura Luna, Venere, vel domino ſeptimæ benè conſtitutis.

In Natis complicatis hi Aphoriſmi circumferuntur.

Si Venus, Luna, & dominus domus ſeptimę fuerint liberi à maleficis, & potentes ratione loci Cæli, & ratione dignitatum eſſentialium; decernent bonum ſtatum vxoris.

Cæterum Luna, & Venus, vel dominus domus ſeptimæ cum aſpectu prauo Martis, & Saturni mala minantur in vxore.

Saturnus in ſeptima Natiuitatis repertus in ſeptima etiam reuolutionis minatur mortem vxoris.

Directiones Veneris, Lunæ, & domini ſeptimæ ad maleficos perturbant ſtatum vxoris, & vel in vita nocent, vel in alijs.

Ex maleficis Saturno, & Marte, alter in quarta, alter in ſeptima minantur mortem vxoris.

Mercurius afflictus à maleficis in ſeptima nocet vxori.

Dominus ſeptimę infortunatus à Marte, vel Saturno ſine auxilio Iouis dat mala vxori.

Venus, Luna, vel dominus ſeptimæ cum Cauda Draconis; Idem Venus occidentalis in coniunctione, quadrato, vel oppoſito maleficorum minantur vitæ vxoris.

Venus afflicta ſemper mala vxori adducit, ſic Luna.

Dominus ſeptimę in quarta combuſtus, vel alio modo infortunatus dat pericula vxori in vita.

Venus, & Luna in Aſcendente in oppoſito, vel quadrato Saturni, vel Martis ſimilia minatur.

Luna, & Venus in ſeptima in ſigno aqueo cum Marte, vel Martis quadrato, aut oppoſito mala decernunt in Matre, vel vxore.

Alij plures Aphoriſmi circumferuntur, omnes tamen tendunt, quod Luna Venus, vel dominus ſeptimę, vel eadē domus ſeptima ſint à maleficis infauſti.

DE FILIIS. Cap. XXXIII.

PRo filiorum, & ſobolis generatione, in anno reuolutionis conſpiciendum an adſit aliqua directio, quæ filios pollicetur generaliter; quæ ſunt Medij Celi ad corpora Amicia, vel radios ſextiles, aut trinos Veneris, Iouis, Lunę, & domini quintę; ſicut obſeruationibus directiones domini quintę ad eoſdem promiſſores dictos. Nec inficit etiam obſeruare eorundem Medij Cæ-

li, &

li, & domini quintę profectiones ad eoſdem promiſſores, nam in coniugatis, & ętate decenti conſtitutis filij poterunt decerni.

Obſeruandi deinceps ſunt hi Aphoriſmi antiquorum.

Venus, Iuppiter, Luna, Caput Draconis, vel quilibet eorum in quinta pręcipuè in ſignis fęcundis ♋ ♏ ♓. filios multoties demonſtrant, ſic dominus quintę ibidem. Venus Iuppiter, Luna in decima, vndecima, quarta, vel quinta fauent filiorum procreationi, ſi à maleficis non affligantur.

Dominus quintę abſque noxa maleficorum cum Venere, vel Ioue, vel eorum radiis ſextili, aut trino eſt propitius pro ſobole.

Aſcendens reuolutionis locus Iouis, aut Veneris in Natiuitate; & Venus, vel Iuppiter ſint prope Aſcendens dictum propitiant generationem.

Iuppiter, & Venus in ſignis fęcundis ſemper fauent generationi pręcipuè ſi aſpexerint loca filiorum.

Dominus quintę in Aſcendente eſt etiam propitius pro ſobole.

Dominus quintę ſub radijs Solis dat filium abſconditum ex amica.

Directiones, & profectiones *Medij Cęli*, & domini quintę ad maleficos, vel filios prohibent, vel nocent illis, qui nati ſunt.

Mars, Saturnus, Cauda Draconis in quinta nocent filijs.

Dominus quintę in duodecima mala minatur filijs.

Dominus quintę malè affectus ſemper filijs nocet. Omnia relinquuntur iudicio Profeſſoris.

DE ITINERIBVS. Cap. XXXIV.

Obſeruato, an in Natiuitate adſit ſignificatio itinerum; ſi itinerum promiſſores Sol, Luna, Mars, Pars fortunæ, Mercurius fuerint in locis itinerum nona, tertia, cadentibus, & etiam ſeptima, quæ ſignificat etiam moram extra patriam; videndum eſt, ſi anno reuolutionis contingat aliqua directio Aſcendentis ad hos promiſſores, vel eorum radios; nam eo anno itinera decernentur; ſic etiam attendendæ aliquo pacto etiam profectiones, & ingreſſus.

Ponimus Aphoriſmos, qui ad itinera propellent, etiam ſi non adſit directio potens, quæ itinera ſignificet in Natiuitate.

Sol, Luna, Mars, Pars fortunæ, Nodi lunares, Caput videlicet, & Caudæ Draconis in domo nona reuolutionis itinera decernunt; ſic in tertia.

Pars fortunæ, dominus anni, vel Caput Draconis in nona dant vtile iter.

Dominus Aſcendentis radicis, vel reuolutionis in tertia, vel nona dat itinera.

Luna in nona, vel tertia applicans ad locum Iouis dat itinera per aquas.

Multi Planetæ in tertia, & nona dant itinera.

Dominus anni peregrinus, infortunatus dat itinera, & moleſtias.

Planeta peregrinus in Aſcendente Natiuitatis, in tertia, vel nona reuolutionis dat itinera.

Dominus ſecundæ radicis in nona dat itinera ob diuitias, & lucrum.

Dominus Aſcendentis reuolutionis in quarta ſignificat, quod Natus non faciet iter.

Do-

Dominus decimæ in nona decernit itinera, ob magnates, honores, vel cauſa officij.

Dominus Vndecimæ in nona, vel tertia, itinera ob amicos, vel res ſperatas.

Dominus nonæ radicis, & reuolutionis in duodecima dat paucam vtilitatem in itineribus, inimicos, pericula, mala.

Mars infortunatus in tertia, nona, ſeptima decernit pericula, & damna in itineribus.

Mars, & Saturnus in tertia Natiuitatis, & reuolutionis pericula afferunt in itineribus ſemper.

Aſcendens reuolutionis in loco Martis radicalis dat iter coactum, vel cum metu, & moleſtijs; ſic Cauda Draconis in decima.

Aſcendens reuolutionis ad locum Lunæ inclinat ad itinera.

Profectio Aſcendentis ad tertiam, vel nonam cum malo aſpectu Saturni dat itinera periculis expoſita.

Profectio Aſcendentis ad Martem; & Mars reſpiciat Aſcendens quadrato, aut oppoſito dat itinera periculis etiam expoſita.

Plura alibi differuntur.

DE AMICIS, ET INIMICIS.
Cap. XXXV.

PRo amicis, & inimicis in anni reuolutione hæc obſeruanda.

Directio eo anno, ſi contingat, Medij Cæli ad beneficos, vel ad dominum domus vndecimæ, vel eorum radios beneficos Nato bona tribuit, & gaudia ex amicis.

Stellæ beneficæ in Vndecima, vel aſpicientes vndecimam benefico radio, bona pollicentur ab amicis, & ſperatarum rerum conſequutionem.

Dominus domus Vndecimæ fortunatus à beneficis, & liber à maleficis multos amicos decernit, eoſque proficuos.

Dominus Aſcendentis, vel Aſcendens reuolutionis in aſpectu benefico domus vndecimæ gaudia tribuit cum amicis.

Mars dominus Aſcendentis reuolutionis in trino radio Vndecimæ, & quintæ, vel ſextili Nato decernit voluptates, & gaudia cum amicis.

Qualitas amicorum habetur ex qualitate domini domus vndecimæ, & qualitate Planetarum, qui fuerint in Vndecima, vel dictam domum radijs felicibus reſpexerint, quæ ex capite de amicis in Natiuitatibus enumerantur.

Omnes Planetæ in duodecima tribuunt inimicos; Sol, Luna, Iuppiter, Saturnus, Mars, Venus, Mercurius, Caput, & Cauda Draconis; & inimicos pro qualitate Planetæ, vt Sol magnates, Potentes; Iuppiter eccleſiaſticos, & alios qui poſſunt conſpici in Natiuitate.

Mars, & Saturnus, ſicut Cauda Draconis in medio Cæli decernunt inimicos illo anno reuolutionis.

Planetæ, & Stellæ beneficæ in duodecima demonſtrant inimicos præualituros; maleficæ deiectionem, & conculcationem inimicorum.

Ca-

Digitized by Google

Caput Draconis in duodecima dat potentiam, inimicorum. Cauda Draconis abiectionem, & eneruationem; ſicut maximè mars.

Sol in duodecima tribuit difficultates in honoribus ab inimicis; quemadmodum dominus medij Cæli in dicta duodecima.

Plura colligentur ex dictis in Natiuitatibus, & vera; conſiderando domum duodecimam pro inimicis occultis; publicis ſeptimam.

FINIS.

BENEVOLE LECTOR.

Errata aliqua reperies, præcipuè in tranſpoſitione alicuius ſyllabæ, aut literæ, contugas quæſo indulgens abſentiæ Auctoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

GOTTSCHER • L.
1874
Digitized by Google